TRIUM ATTONUM SCRIPTA.

ATTONIS SENIORIS
VERCELLENSIS EPISCOPI
TESTAMENTUM (1)

EX CODICE VATICANO.

In nomine sanctae et individuae ſTrinitatis patris et filii et Spiritus sancti, cui sit gloria in sempiterna saecula saeculorum amen. Regnantibus domno Hugone et domno Hlotario piissimis regibus, regni domni Hugonis vigesimo, et domni Hlotarii decimo quinto, CHRISTI ANNO 946. pontificante venerabile patre et domino domino Marino sanctissimo papa universalis ecclesiae Dei anno tertio, indictione III, idibus maii, constituta synodo a venerabile patre domno Oldcrico archiepiscopo sanctae mediolanensis ecclesiae in basilica gloriosissimi pontificis et confessoris sancti Ambrosii ante eius sanctum corpus; adstantibus domno Hugone legato misso dominorum qui supra regum, et venerabili patre domno Rogerio episcopo perusino legato sanctissimi domini Papae. In ipsa synodo erat venerabilis pater dominus archiepiscopus sanctae mediolanensis ecclesiae, et venerabiles episcopi vercellensis, papiensis, novariensis, brixiensis, laudensis, bergomensis, terdonensis, cremonensis, astensis, curiensis, taurinensis, eporediensis, augustensis, albensis, aquensis, savonensis, ianuensis, albingaunensis, vigintimiliensis, placentinus, parmensis, mutinensis, et quam plures alii episcopi, abbates, sacerdotes, et clerici, una cum Vidone comite, et quamplures illustres regni proceres.

Completa liturgia, ante quam dissolveretur synodus, surrexit domnus Atto sanctae vercellensis ecclesiae episcopus, qui petiit reverenter facultatem loquendi, qua ei largita, dominus archiepiscopus eum sedere fecit, quo facto dixit. Venerabiles patres et illustres

(1) Conservabatur in archio monasterii monialium S. Mauritii maioris in urbe Mediolano. Extat autem apographum in codice vaticano, quem V. Cl. Laurentius Zacagnius Iosepho Simonio Assemano moriens legavit, hic autem bibliothecae vaticanae obtulit. Porro hoc praeclarum Attonis testamentum plane diversum est ab illo brevi quod Burontius in praefatione ad Attonis iunioris opera protulit.

viri, cum dixisset Deus in sancto evangelio ubi duo, vel tres in nomine meo congregati sunt, ibi et ego in medio eorum sum; ideo dubitare non debemus, Deum in medio nostrorum esse. Quam ob rem cum sim in bona senectute constitutus (1), et Deus nos admonuisset dicens, estote parati quia nescitis diem neque horam quando Dominus veniet, propterea si vultis mihi complacere, vellem coram Deo, et vobis bona mea ordinare ad salutem animae meae, parentumque meorum et omnium fidelium defunctorum, ut post mortem meam habeam qui pro anima mea Deum exorent, ut a peccatis solvatur. Quibus auditis, omnes dixerunt, fiat per venerabilem domnum Attonem quidquid vult. Et ipse sic dicere coepit.

In Iesu Christi nomine ego Atto sanctae vercellensis ecclesiae humilis episcopus cogitans infallibilia esse verba Domini, videlicet thesaurizate vobis thesauros in caelo, et date pauperibus, quoniam centuplum accipietis et vitam aeternam possidebitis; ideo ego qui supra Atto episcopus volo, iudico, seu per hoc meum iudicatum statuo una cum Hugone marchione, ac Brucardo comite advocatis meis, quod omnia quae statuero perpetuis temporibus inviolata permaneant: et in primis iudico et lego statim post mortem meam palatium meum Stazone cum eius pomerio et silva et annexis in integrum vobis venerabili patri et domine domine archiepiscope Mediolani, et hiis qui post vos ecclesiam mediolanensem episcopabunt, ita ut perpetuis temporibus permaneat sine imminutione in potestate archiepiscoporum Mediolani: pro quo rogo eos semel in anno sacra facere pro requie animae meae. Item lego et iudico ecclesiae sancti Eusebii seu episcopatui eius, unde sum indigne episcopus, casales quatuor iuris mei in valle Augustae, et alios duos in Verdezzo, omnia cum suis aedificiis et terris et iuribus mihi, qui supra Attoni episcopo spectantibus, cum servis et aldiis utriusque sexus in integrum; ita ut qui post me praeerunt dictae ecclesiae, usufructuario nomine tan-

(1) Igitur Atto hic, senex iam anno 946, idem homo esse non potest, qui anno 1004. concionabatur, ut adnotavimus ad sermonem tertium Attonis iunioris; qui etiam polyptycum post obitum Silvestri II. papae, id est post annum 1003, scribebat. Ergo auctor testamenti est Atto senior; ceterorum operum auctor Atto iunior. Rem hanc incompertam Barontio fuisse miror.

tum, cunctis diebus suis faciant ex fructibus eorum quidquid voluerint, absque tamen alienatione fundi. Quod si aliquid alienaverint, praedicta omnia perveniant in potestatem sanctae eporediensis ecclesiae: qui omnes mei successores teneantur semel in mense sacrum facere, ut Deus misereatur animae meae pro ignorantiis in regimine ecclesiae mihi commissae.

Item iudico et lego canonicis praedictae sanctae ecclesiae curtem regiam cum corticella, quae sunt iuris mei, qui supra Attonis episcopi, cum eorum aedificiis, terris et iuribus, vivis et mortuis in integrum, ut de eorum proventibus in dominica olivarum unitim sumant refectionem, et residuum dividatur in octava pentecostis aequis portionibus inter eos, quo die anniversarium faciunt pro omnibus episcopis eius sanctae vercellensis ecclesiae: et prohibeo eis omnem alienationem; et si alienaverint, omnia proveniant in potestatem ecclesiae taurinensis. Item volo quod statim post meum decessum, in honorem duodecim apostolorum liberentur duodecim servi mei, qui supra Attonis episcopi, ita ut cum uxoribus suis et filiis, cum omnibus eorum substantiis sint liberi, prout nunc, pro tunc, manumitto et libero.

Item iudico et lego domno Aldemano consanguineo meo archipresbytero sanctae mediolanensis ecclesiae, et cardinalibus et presbyteris decumanis, et clero dictae ecclesiae, qui modo sunt et in futuro erunt, illas quatuor valles iuris mei, qui supra Attonis episcopi, quae vocantur Bellaniam, Leventinam, Biascam, et Intrascam, cum omnibus capellis, casis et terris, cuiuscumque speciei sint, cum famulis et aldiis utriusque sexus in integrum, ita ut perpetuo sint in potestate cleri dictae sanctae mediolanensis ecclesiae, cuius fui indignus archidiaconus. Quorum proventus sic dividatur: dominus archipresbyter tantum habeat, quam duo cardinales presbyteri; et cardinales presbyteri cum primicerio decumanorum tantum habeant per unumquemque, quam duo presbyteri decumani; et diaconi cardinales et subdiaconi quantum unus presbyter decumanus. Eam vero partem, quae cardinalibus presbyteris spectat, dividat archipresbyter; ea quae cardinalibus diaconis et subdiaconis, dividatur per archidiaconum; et decumanis dividatur per eorum primicerium ad eius mansionem. Et haec omnia cum conditione ut in perpetuum omni primo die lunae quadragesimae maioris prae-

dicti archipresbyter et cardinales primicerius et decumani, qui pro tempore erunt, veniant cum litaniis, et crucibus ad hanc basilicam, ubi ante corpora sanctorum Ambrosii, Protasii, et Gervasii, sacrum celebrent pro animabus, mea, et bonae memoriae domni Desiderii regis, et ducis Ermenulfi eius patris, et Asprandi et Eberardi eius fratris abavi mei (1), qui supra Attonis episcopi, eius filii et aliorum filiorum eius. Et item in die lunae sequenti idem fiat ante corpus sancti Satyri in requiem animae meae et bonae memoriae Vuidonis comitis qui fuit proavus meus, et Attonis qui et Anscarius, qui fuit marchio, eius filii, qui sunt tumulati in eadem ecclesia. Iterum idem fiat tertio die lunae sequenti, ut supra, et ibi ante corpus sanctae Marcellinae virginis sacrum fiat pro animabus, mea, et bonae memorie Aldigerii (2), alias Ermenulfi patris mei, et fratrum suorum in eadem ecclesia quiescentium. Et prima die recedendo ab ipsa ecclesia intrent ecclesiam sancti Naboris; secunda vero vadant ad basilicam trium regum; et tertia pergant ad ecclesiam sancti Georgii, ibi ubi dicitur ad palatium, et ibi faciant kyrie et rogationes pro salute huius civitatis et omnium habitantium in ea, et in fine dicant requiem pro omnibus defunctis. Qui vero ad istas tres litanias non erit, nihil paenitus habeat, salvo si aegrotaret, et tamen teneatur idem facere in alio die.

Item iudico et lego venerabili domno Rupaldo abbati monasterii prope eandem basilicam, et eius monasterio, curtem meam de Deliciano, cum capella, et casis, et terris, et iuribus eius, et famulis mihi qui supra Attoni episcopo spectantibus, in integrum; cum hac tamen conditione, ut ipse abbas cum monachis suis, dum cardinales et decumani praefati erunt in ecclesia sancti Ambrosii, vadant cum litaniis suis ad ecclesiam sanctae Mariae maioris sitam intra civitatem Mediolani, ubi dicitur intus vineam, et ibi sacra faciant pro anima mea, et bonae memoriae domnae Mariae matris, ac domnae Imildae sororis, mearum, ibi humatarum: altera die idem faciant pro ani-

(1) Notemus regiam Attonis originem, Burontio incognitam, qui et ex longinqua gente Vercellas delatum Attonem (quem unicum agnoscit) somniatur.

(2) In alia charta anni 1027 apud idem archium S. Mauritii maioris Mediol., cuius item apographum in praedicto vaticano codice extat, verba leguntur haec: *concedimus nostras ecclesias seu capellas quae* etc. *sanctis martyribus nostris Nazario et Celso consecratae fuerunt, et dotatae ab religioso viro Attone episcopo vercellensi domni Algerii filio.*

mabus bonae memoriae comitissae Felindae aviae meae, et filiarum eius; et die tertio etiam ita fiat pro animabus Rodelindae proaviae meae, et omnium defunctorum meorum: quod si non fiet, omnia praedicta eis legata sint domnae Bertradae abbatissae dicti monasterii sanctae Mariae maioris. Item iudico et lego dictae venerabili domnae abbatissae Bertradae fratruae meae cum eius monialibus et monasterio suo mansa quinque terrae iuris mei, qui supra Attonis episcopi, in curte Cerdati, cum aedificiis, servis, aldiis, et eorum familiis utriusqne sexus spectantibus, in integrum, ut commodius possint Deo servire, et semel in mense recordentur orare ut anima mea a peccatis solvatur.

Et haec omnia ego qni snpra Atto episcopus iudico et facio cum conditione, quod praedicti omnes qui supra cardinales, decumani, abbas, monachi, abbatissa, et moniales, ac eorum sncсessores, vel succetrices, unitim vel separatim, in totum vel in partem, dictas valles, curtes, casales, terras, servos, famulos, aldios utriusque sexus, non possint quovis modo alienare aut invasere, quia mea firma voluntas est, qnod omnia praedicta perpetuis temporibus permaneant ad cultum divinum in requiem omnium defunctorum meorum. Ideo reverenter rogo vos, venerabiles, pater domine archiepiscope, et omnes residentes in hac sancta synodo, nt ponatis excommunicationem et anathema super omnes qui hoc menm iudicatum in toto vel in parte violaverint.

Hoc andito dominus archiepiscopus et omnis synodus ex parte Dei et omnium sanctorum anathematizavit quicumque per qualecumque ingenium hoc iudicatnm venerabilis patris domini Attonis sanctae vercellensis ecclesiae episcopi violaverit; et qui fecerit, partem habeat cum Iuda traditore ac Simone mago in gehennam acternam, una cum satana et diabolis eius. Et dixerunt omnes fiat, fiat, fiat. Quo facto, ipse Atto episcopus dixit, audite omnes venerabiles patres: hic disposni, quae indicare et disponere potui pro conscientia mea; reliquas vero meas substantias, quae mihi modo pertinere videntur, iudico et lego propinquioribus meis, nt de eis faciant quidquid voluerint, iuxta dispositionem maiorum eorum, et lex longobarda disponit. Item rogo sanctum patrem venerabilem Papam, et clementissimos dominos reges suis literis hoc meum indicatnm confirmare dignentur.

Quibus auditis , dominus Hugo comes et dominus Rogerius episcopus missi praedicti, auctoritatem dominorum regnm et domini Papae interponentes, haec omnia convalidaverunt et confirmare facere promiserunt. His peractis, idem dominus Atto episcopus una cum Hngone marchione et Brucardo comite advocatis suis dixit: haec est mea libera voluntas et ultimum meum iudicatum. Sic me Deus adiuvet, amen. Actum in basilica sancti Ambrosii pontificis et confessoris, ubi eius sanctum requiescit corpus.

+ Ego Rogerius humilis episcopus legatus missus sanctissimi patris venerabilis Marini papae hoc iudicatum laudavi, confirmavi, et subscripsi.

Ego Hugo comes legatns missus dominorum Hugonis et Hlotharii regum piissimorum hoc iudicatum laudavi, confirmavi, et manu mea subscripsi.

+ Ego Olricus (1) sanctae mediolanensis ecclesiae archiepiscopus omnibus, quae supra interfui, landavi, confirmavi, et propria manu subscripsi.

+ Ego Atto sacrae vercellensis ecclesiae indignus episcopus ad confirmandum hoc meum iudicatum manu mea subscripsi.

+ Ego Lincfredus papiensis episcopus laudavi et confirmavi.

+ Notinghus brixiensis episcopus subscripsi.

+ Gezzo sanctae dertonensis ecclesiae episcopus manu propria subscripsi.

+ Ego Bruningus astensis episcopus subscripsi.

+ Ego Riculfus episcopus taurinensis laudavi et subscripsi.

+ Griffo augustanus episcopus subscripsit.

+ Ego Adalgisius sanctae aquensis ecclesiae episcopus me subscripsi.

+ Mikdo vigintimiliensis ecclesiae episcopus firmavit.

+ Ego Sigifredus parmensis episcopus subscripsi.

+ Iohannes massanensis episcopus firmavit.

+ Ego Aldemanus sanctae mediolanensis ecclesiae archipresbyter laudavi, et ad firmandum manus posui.

+ Daipertus episcopus sanctae cremonensis ecclesiae manu sua firmavit.

+ Ego Baldo curiensis episcopus subscripsi.

(1) Pag. 3. *Oldericus.*

+ Asmundus eporediensis episcopus manu mea firmavi.
+ Ego Daibertus episcopus albensis subscripsi.
+ Ingulfus albingaunensis episcopus firmavit.
+ Ego Boso episcopus placentinus subscripsi.
+ Ego Vuido mutinensis episcopus laudavi et subscripsi.
+ Lotherius marianensis ecclesiae episcopus subscripsi.
+ Ego Hupaldus humilis abbas laudavi et subscripsi.

Signa * * (1) mannum Hugonis marchionis, et Brucardi comitis advocati praefati venerabilis patris domini Attonis episcopi, qui hoc iudicatum laudaverunt, et ad confirmandum manns suas posuerunt.

Signa * * * * * * manuum Ariperti, Olderici, Iohannis, Asprandi, Burli, et Canonis testium, et quamplurimae aliae personae quae ad hoc vocati [a] sunt. [a] Ita cod.

Ego Vualpertus humilis archidiaconus et cancellarius sanctae mediolaneusis ecclesiae et praesentis sacri [b] synodi de mandato suprascriptorum patrum hoc iudicatum venerabilis patris domini Attonis episcopi Vercellarum scripsi, tradidi, et subscripsi. [b] Ita cod.

Ego Lambertus notarius sacri palatii et missus dominorum Hugonis et Hlotharii piissimorum regum, una cum suprascripto domino archidiacono tradidi atque subscripsi.

Ego Petrus qui dicor Rabbus notarius domini Henrici imperatoris suprascriptum iudicatum domini Attonis episcopi Vercellarum ab eo pronunciatum in synodo mediolanensi et subscriptum, ut supra fideliter exemplatum per infrascriptum Rogerium Bonafidem notarium ab originale praedicti iudicatus, quod apparet fuisse tribns sigillis munitum, primum quorum erat dominorum regum, alterum cum sanctis Petro et Paulo, et tertium cum sancto Ambrosio sed antiquitate quasi consumptum, cum ipso originale, ut plurimum marcido, ut vix difficulter legi possit, diligenter concordavi, rogatus a venerabile domino Ambrosio dicto de Vicomercato abbate monasterii sancti Ambrosii, ubi eius sanctum requiescit corpus; instante etiam domna Columba abbatissa monasterii maioris Mediolani: et hoc de mandato domni Ioannis dicti de Rusca honorabilis potestatis civitatis et comunis Mediolani, praesenti-

(1) Asteriscos posui; at in codice sunt lineolae directae et transversae, cratis ritu.

bus dicto Bonafide, T. Senago, Io. Coalia, I. Canova, A. Lomatio, notariis, atque Thoma dicto Crasso, et Rufino Corbo iuris peritis, ac Ossa de Ossis, Petro dicto Bellabucca, Comasino de Cremis, Iohanne Marcellino, Vidone Vicecomite, testibus: et quia concordare inveni, praeter literas plus minusve, mea manu subscripsi.

Ego Tebaldus qui dicor de Sunago notarius hoc transumptum quia fidele inveni, me subscripsi.

Ego Iohannes qui dicor Coalia notarius sacri palatii praedicto transumpto interfui, et quia concordare inveni, ut supra, de mandato me subscripsi.

Ego Iohannes qui dicor de Canova imperialis notarius hoc transumptum fideliter concordavi, et [quia] uniforme cum originale inveni, me subscripsi.

Ego Anselarus qui dicor de Lomatio notarius cum supradictis notariis hoc transumptum examinavi, et quia concordare inveni, me subscripsi.

ATTONIS IUNIORIS
VERCELLENSIS EPISCOPI
SERMONES.
EX CODICE VATICANO.

I. IN ADVENTU DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI. (1)

AD CELEBRANDAM nativitatem domini nostri Iesu Christi, fratres karissimi, iam nunc corda vestra praeparate, mores conponite (a), vitam dirigite, ut non nos veniens de neglegentia iudicet, sed de (b) dignis operibus remunerare dignetur. Beatus Paulus clamat apostolus: hora est iam nos de somno surgere. Somnum itáque neglegentiam appellat, quam excutientes a cordibus, bonorum operum instantiam nobis convenit frequentare (2)... studiose adquirere (c)... digna... aliquid neglegenter offender... ipsis eum placaret. Ecce nempe caelorum... specialiter quodammodo ad visitandum venit; cuius adventum nobis multo magis [salutari] convenit providentia expectare, ieiuniis, vigiliis, orationibus, continentiis, eleemosynis, caeterisque virtutibus praeteritae culpae maculas a nostrae mentis domo sedule abluamus, nec ad easdem iterum redire intendamus. Minime quidem sufficit, aliqua interveniente festivitate, nostram deponere iniquitatem, si, ea transacta, rursus ad eandem recurrere consideremus. Hospes namque venturus sic de futuris (d) quemadmodum de praesentibus, sic de occultis quem-

EDITUS.

(a) Mansius pervertit haec cola. (b) Mansius *ex*. (c) M. male *atque fere*. (d) M. falso *praeteritis*.

(1) Hunc sermonem, cum aliis quatuor, de pentecoste, de S. Eusebio, de assumptione B. Virginis, de nativitate Praecursoris, edidit V. Cl. Io. Dominicus Mansius in appendice tomi II. Miscellaneorum Balutii Lucae an. 1761. ex hoc eodem vetere et perraro codice vaticano; sed enim festinatione perturbatus, vir celeroquin doctissimus, permultos turpesque errores contra codicis fidem scripsit et incautissime edidit, quos ego nunc corrigam.

(2) Summa codicis ora humiditate extabuit, perieruntque in singulis paginis versus ferme duo; ex qua regula metiri sequentes lacunas discant lectores.

admodum et de manifestis indicare volet. Denique psalmista ait : prope est Dominus omnibus invocantibus eum, qui invocant eum in veritate. Cum enim ubique esse probetur Dominus, illis tamen procul dubio proximus dicitur, quibus propitius esse dignatur, scilicet qui invocant eum in veritate. Illi quidem in veritate eum invocant, qui ea, quae expediunt, digne rogant: qui vero supervacua (a) ab eo quaerere praesumunt, vel qui ea, quae postulant, non intimis mentibus rogant; ipsi profecto in veritate eum non invocant, nec prope habere merentur, ut illud : longe est a peccatoribus salus. Nam qui ficte Deum quaerit, numquam eum invenire * merebitur. Hinc scriptum est : Spiritus sanctus effugiet fictum. Quod bene quoque per angelos dominicam nativitatem pastoribus nuntiantes declaratum est dicentes * gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Bona voluntas est non solum mala non agere, sed etiam nec velle. Iure ergo talibus Christi pax nuntiatur. Qui vero homicidia, odia, adulteria (b), furta, periuria, seu caetera vicia sic ad tempus simulant declinare, ut ad haec eadem iterum reverti iam corde conceperint, ii profecto bonae voluntatis non sunt, nec Christi eis (c) conceditur pax. Nam miles arma deponit, corpus reficit, membra refovet, ut tempore opportuno resumptis viribus eisdem armis rursus valeat dimicare. Non sic . . . induere mere . . . pertingere (d) gaudeamus.

* Cod. invenire.

* Cod. decentibus.

II. IN NATALI EIUSDEM.

INEDITUS.

Gaudeamus omnes, fratres karissimi, laetentur et exultent omnes gentes. Istum diem non tantum visibilis sol, sed eius invisibilis creator potius illuminavit. In hac siquidem die Deus homo factus est, caelestia terrenis famulantur, angeli et homines ad concordiam revocantur. Cum enim in principio esset Deus, sicut evangelica vobis lectio narrat, omnia per ipsum facta sunt: sed inimicus humani generis adversus creatorem suum insurgere temptavit dicens, ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis altissimo. Ob quam superbiam tam ipse quam omnes se-

(a) M. *supervacanea*. (b) M. omisit hoc vocabulum. (c) M. perperam *ei*. (d) M. male *perstringere*.

quaces eius, qui incommode temptaverunt ascendere, divino iudicio sunt deiecti. Ad quorum casus reparationem Dominus homines in paradiso constituit. Angeli quoque restaurationem sui ordinis ab ipsis expectantes, in magno eos gaudio multoque receperunt amore. At vero post praevaricationem Adae primi hominis in tantum discordiae odium crevit, ut nulla paene pristinae dilectionis radix permaneret. Nec iam nobis se consortes esse angeli aestimabant, quia Deo ullo absque delicto serviebant. Quoties quippe hominibus apparebant, adorari se quasi a subiecta creatura permittebant. Christus itaque Deus ante tempora, homo ut nos redimeret factus in tempore, formam servi suscipiens, caelos et terram, angelos et homines, pacificavit. Post cuius incarnationem, angelus se ab homine adorari prohibuit dicens, vide ne feceris, conservus enim tuus sum et fratrum tuorum. Haec est dies illa, in qua naturae iura mutantur, virgo concepit, virgo peperit, et verbum caro factum est. Nam quem inmensitas caeli capere non potest, praesepis angustia collocatur. Hodie angeli pastoribus apparuerunt, eosque de Domini nativitate instruxerunt, et ne timerent, confortaverunt, eisque gaudium magnum nunciaverunt, et gloria in excelsis Deo primum decantaverunt. Quibus ideo nativitatem Domini angeli primum nuntiaverunt, quia pastores prae caeteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus praeesse sollicite sciunt. Gaudeamus ergo hodie, fratres karissimi . . .

III. IN FESTO OCTAVAE DOMINI.

INEDITUS. * Cod. ianuariarum.

Hunc diem semper kalendis ianuariis * sicut nostis, karissimi, celebramus. Sed nobis hoc tacere non convenit, quod quidam falsi christiani tanti diei sollempnitatem sacrilega commixtione perturbant, ita ut divina officia in ecclesiis videantur celebrare, et variis maleficiis domi non desinant inservire (1). Insuper ianianas traditiones gentiliumque ritus non metuunt observare: qui etiam adeo a se karitatis gratiam expellunt, ut neminem suam domum eodem die primum ingredi velint, nisi qui cumulatus oblationibus advenerit:

(1) De superstitionibus in Italia medio aevo proserpentibus legatur Muratorii dissertatio LIX. in AA. medii aevi T. V., quae certe cumulatior fuisset, si Attonis hic ineditus sermo Muratorio innotuisset.

aliqnem autem hospicio se suscipere abnegant, et nihil penitus de sua domo dare aut commodare desiderant (1). O infidelis et erronee! Melius tibi esset in domo tua Christum in hospitem suscipere, vel pauperes, quam rusticos a te tuisque oppressos atque sic instructos, apophereta vel oenophora baiulantes. Idem quippe Dominus ait, quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis. Et item, date eleemosynam, et omnia mnnda sunt vobis. Similiter etiam kalendis martiis huiusmodi homines mnltis solent debacchare * praestigiis: prae cunctis autem anni diebus, in his diabolus adhuc suam exercet coloniam. Qnod unde processisse credimus, vobis indicare curamus. Mars namque et Ianus homines perversi et infelices fuerunt, quorum unus homicida et adulter, alter in tantum fuit vanus et demens ut etiam se ipsnm flammis cremaret. Post quorum interitum, paganorum illis more fabricatae sunt statuae, in quibus ob eorum scelerum immanitatem daemonibus placuit habitare: et ut facilius homines deciperent, praedictorum sibi nomina placuit fingere: sicqne se vivere, et deos esse iactabant; dnorumque mensuum * principia sibi sacranda dicebant; atque suo nomine eosdem menses, scilicet martium et ianuarium, a Marte et Iano appellari iubebant: et qualiter per singulas ipsas kalendas sollempnia colerent, qualesque cultus peragerent, edocebant: qui error in tantum frequentando crevit, ut paene ab omnibus coleretur subversis. Et inde esse existimo, quod hodieque durat in rusticis. Mensuum autem nomina . . . solu . . . quoque signorum sicut ab antiquissimis et paganis diversis composita sunt figmentis adhuc permanere in quibusdam cognovimus, ut aries, taurus, et caetera; quorum nomina si diligenter inquirantur, falsa esse noscuntur, quia animalium species numquam in sideribus videntur: sed cnriositas paganorum haec deliramenta secundum voluntatem vel laudem nnminum et potius daemonum suorum curavit pertractare: quod ex paucis possumus adprobare; nempe quod paganorum philosophi arcton, id est ursam, appellaverunt, atque a Iove inter astra positam scripserunt; hoc nostri rustici plaustrum denominaverunt. Quod autem ipsi caput tauri asserunt, hoc etiam isti gallinam dicunt. Sed quod balteum

* Ita cod.

* Ita cod., hoc et alibi.

(1) Memorantur similes his superstitiones in opusculo Martini bracarensis quod ego nuper multo emendatius et cum inedito exordio in tertio volumine classicorum Auctorum p. 379. edidi.

Orionis notant, hoc nostri falcem sectoriam clamant. Nec ideo inferiores hos diiudicet quisquam, quasi peius adsimulaverint nefas. Denique nec arctos * melius ursam quam plaustrum ostentat; nec illud aliud signum potius caput tauri, quam gallinam, designat. Quod autem balteum Orionis dicitur, omnibus patet quia melius quasi falci sectoriae quam balteo adsimilatur. Nos igitur talia dicere cogimur, quia multos perverso dogmate seductos haec supra modum observare cognovimus. Nam Deus omnipotens ideo sidera constituit in caelis, ut hominibus deservirent in terris. Haec quidem caliginem temperant, distinctionem horarum insinuant, iterantibus vel navigantibus mundi partes designant. Sunt etiam quaedam in quibus imbrium tranquillitatumve tempora aliquando prospicere possumus. Hanc illis legem creator omnium in principio posuit, nec ultra subvenire vel nocere valent: quamvis sint mathematici, qui haec nascentibus praeesse, coniugiis dominare *, architectis doceant observare. Sed quod de nativitate asserunt, satis in epiphaniarum homeliis destruitur (1). Nos vero quid de coniugiis sentiamus, interim adnotemus: innumeros nempe homines mares ac feminas steriles persaepe vidimus: et licet variis temporum indagationibus, vel studiosissimis signorum . . . ex diversis coniugibus procreasse. De aedificiis autem, ex praesenti saltim papiensi incendio (2) possumus colligere veritatem. Quae enim civitas in hoc regno fuerat, quae pulcrioribus, ut vidistis, rutilaret structuris? nec ulla poterat ab antiquis seu a modernis siderum computatio repperiri, sub qua domus fabrica in ea non creverit: una tamen die, instar divini iudicii, ab igne consumpta est. Qui ergo dicunt aliqua siderum observatione prolem suscipi, vel neglegentia fraudari; vel qui domos in ortu quorumdam siderum erectas ab igne cremari, in quorumdam autem permanere inlaesas astruunt, aut qui ab ipsorum veneratione aliquid provenire contendunt, his testimoniis fallaces esse monstrantur. Sed inimicus humani generis diversas sentiens infirmitates hominum, diversis nosmet nititur insidiis expugnare: sicut enim potentibus rapinam, callidis suggerit fraudem, deliciosis libidinem, robustis superbiam; sic stultis et

* Cod. arcton.

* Ita cod.

(1) Puta Augustini.

(2) Narrat hoc incendium Muratorius in annalibus italicis anno Christi MIV. Quare intelligimus ab Attone recitatum eo anno hunc sermonem.

rusticis incredulitatis vulnus obdurat, superstitionum venena diffundit, usus defendit, duritiam munit. Et licet de superioribus quoquo modo se excusent vitiis, his tamen prosternuntur iaculis. Igitur quaerendum est a talibus, si credulitatis (1) symbolum vel semel percantent, intendant, vel cogitent: quod si respuunt, a nostro collegio usque ad emendationem sequestrentur. Si vero hoc se perhibeut frequentare, dicant quo ore vel corde credere Deum omnipotentem asserunt, cuius voluntati talia impedire creduntur. De talibus namque Dominus per prophetam ait, populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Omnipotens vero non est, nisi qui omnia potest: de quo psalmista ait, omnia quaecumque voluit Dominus fecit in caelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. Et Paulus apostolus, voluntati enim eius quis resistit? Ergo, fratres mei, liquido patet, quia haec talia multum obesse suis possunt cultoribus: et ideo sic a vestris eradicate mentibus, ac si numquam fuerint in auribus: sed secundum beatum Paulum apostolum, quicquid agendum fuerit, semper fiat in nomine Domini. Quod si quis contempserit, a catholicorum sorte separatum qui . . . mathesis vinculis inretiti . . . filiorum tuorum adgregari mereantur.

IIII. IN EPIPHANIA.

INEDITUS
* Cod. festum.

Epiphaniae festum * celebrantibus quid sit epiphania innotescere curamus. Epiphania namque graece, latine superapparitio dicitur: nato etenim domino nostro Iesu Christo, diversorio in quo ipse cum matre morabatur, sidus superapparuit, quod magos de remotis partibus ad Dominum adorandum invitavit, huiusque diei tale nomen exinde consecravit. Denique licet Dominus hunc diem variis miraculis perornaverit, istud tamen in nomine praecipuum locum obtinuit, sive quia primum, sive quia omnium fuit maximum. Nam hoc sidus primitias gentium Christo domino excitavit, atque ad credendum conpulit, et adorandum edocuit: de quorum multitudine diversa nunc iam per omnem paene mundum una vocatur ecclesia: caetera vero miracula, quae Dominus revolven-

(1) *Credulitas* pro *fides* vulgo legitur apud veteres patres.

tibus annis per eadem anniversaria operare * dignatus est, omnia ad istud, quemadmodum ad principium, sive caput respiciunt; sicut scripturarum quoque declarat series. Eodem anni termino Dominus in Iordane baptizatus est, a Spiritu sancto in columbae specie declaratus est, ab aquis admiratus est, et a Iohanne digito etiam ostensus est, ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Deinde aquam vinum fecit ad nuptias; sicut postmodum de quinque panibus et duobus piscibus satiavit quinque milia hominum. Quae omnia quid aliud fuerunt, quam stella quae corda hominum in remotis partibus vacantia, ad agnitionem veri Dei domini nostri Iesu Christi perduceret? Sicut vero praevio lumine per noctis tenebras quae obscura sunt perscrutamur, sic homines visis miraculis Deum in effigie hominis latentem facilius intellegebant. Igitur si de praedictis miraculis subtilius intendamus, haec omnia in ipsis magis praefigurata intellegimus, quae Dominus postmodum . . . uptus . . . dum caelestis regis filium sibi per incarnationis mysterium inibi intellexerant sociasse. Rursus cum a Iudaeis quinque librorum (1) portitoribus indicium aliquod sumunt dominicae nativitatis, quasi quinque panes inveniunt: sed dum in itinere laborando ad eum perveniunt, eiusque praesentia perfruuntur, quasi quinque panes frangendo crescunt, ac suis * deliciis saturantur. Duos autem pisciculos psalmorum et prophetarum libros testantur auctores, qui etiam bene per istos comeduntur, quia quaedam eorum sententiae in istis consummantur. Nam psalmista ait, reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent. Esaias quoque dixit, omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annunciantes. Sanctum denique baptismum in eis per hoc designatum est, quod sanctae trinitatis confessionem in ipso suo suorumque munerum numero suscipere prius quam Dominum adorarent meruerunt: sive quia Deum, regem, hominem mortalem, eisdem muneribus declaraverunt, quod nulli aliter confitenti gratia est tribuenda baptismi: seu quod post adorationem admoniti sunt ne redirent ad Herodem, sed per aliam viam reverterentur in regionem suam. Nam haec adoratio baptismum nobis innotuit * quodammodo. Regio enim nostra

* Ita cod.

* Cod. suis eos.

* Ita cod.

(1) Scilicet pentateuchi.

paradisus est, a qua per culpam primi hominis eiecti, diu in regione Herodis, id est in potestate diaboli, errando deguimus. Sed postquam Deum catholice confitemur, eumque ad adorandum fonte baptismatis caput inmergimus, ne redeamus ad Herodem cunctis sanctae scripturae dogmatibus admonemur. Herodes namque diabolum significat, sicut eius interpretatio nominis clarificat. Unde et per aliam viam nostram repedare patriam divinis admonitionibus suademur, ut qui devia vitiorum sectando cecidimus, per virtutum tramitem ascendere summo. . . .

V. IN CAPITE IEIUNII.

INEDITUS. Quoties, fratres karissimi, . . . apparatus frequentia etiam . . . entibus . . . cognoscit . . . exi . . . qui preciosioribus vestimentis, vel deliciosioribus cibis et potionibus opulentius habundare . . . appetitus miseros, contemptus vero felices potius reddat. Multo magis ergo nunc, dilecti*ssimi* . . . et observantiae imminet tempus, congrua nos oportet omnimodis devotione praeparari. Sed quia *secundum* beatum apostolum, alius iudicat inter diem et diem, alius vero omnem diem, qui absolutis diebus avidius fruuntur deliciis, his quadragesimalibus acrius convenit abstinere. Nam anima, quae pro ciborum moritur affluentia, interdum per ieiunii resurgit observantiam. Cibus denique sumendus est sola necessitate, ieiunium amplectendum est summa utilitate. Scitote ergo nunc, dilectissimi, quia praesentis hebdomadae quarta feria sacri ieiunii caput, annuente Christi misericordia, devote celebraturi sumus, ut caro quae laeta nos traxit ad culpam, nunc afflicta reducat ad veniam. Quod cum magna diligentia inchoandum est, ut eius ad finem inoffense pervenire mereamur. Nam res quae bene inchoata non fuerit, perfectum exitum vix habebit. Quapropter, karissimi, mundana postponentes seria, ecclesias frequentare, peccatorum vestrorum lacrimosam Deo et sacerdotibus confessionem facere, et per totum eundem diem in Dei servitio laborare satagite, ut plenius discere possitis, quemadmodum coeptum opus Deo opitulante salubriter expleatis. Sed quia non omnibus unus est propositus, vita clericorum a laicorum debet esse conversatione remota. Et qui secundum beatum papam Telesphorum anticipare

debent ieiunio (1), sua quoque primnm delicta paenitendo abstergere non obmittant, ut populum statuto die dignius purificare queant: pollntis nempe quis manibus quid tangendo, coinquinare potius quam emundare solet. Et ideo ante omnia manus nostras lavemus, scilicet facta reproba studio bonae conversationis emendemus: et sic per divinam ministrationem aliornm culpae macnlas diluere laboremus; auxiliante domino nostro Iesu Christo, cuius sanguine sumus redempti et providentia gubernati. Amen.

VI. ITEM IN CAPITE IEIUNII.

. . . congrue est per . . . quaerit . . . cu . . . *quad*ragesimnm INEDITUS. vel potius . . . cesimum seu alicuius alterius numeri magis . . . ieiuninm, quod facile patet, si praefata tempora vel si consideremus auctores. Quattuor . . . adhuc numeri summam attingunt. Bene ergo Moyses legem decalogi accipiens quater decies ieiunavit, ut per hoc ostenderet, in decalogo nullam esse perfectionem, nisi sancti evangelii gratia illustraretur, quod quadrifario stilo describitur. Heliae quoque hoc ieiunium concessum est prophetae, quia et veteris extitit testamenti praedicator et testis, et novi etiam adhuc reservatus occurret. Dominus autem noster Iesus Christus hoc etiam ieiunium ideo celebrare dignatus est, quia sicut ipse ait, non venit solvere legem sed adimplere; seu nt se ostenderet eundem veteris et novi testamenti auctorem, quia sancta quattuor evangelia decalogum non destruunt, sed magis stabilire contendunt; sive quia eundem decalogum prius apud Iudaeos signatum et inclusum idem Dominus solvere, et per quattuor mundi partes venerat praedicare. Talibus denique parentes exemplis atque doctrinis, devota mente, puro corde, et pio affectu, huiuscemodi ieiunium omnes christianos venerari oportet, quod nullo tempore congruentius constituitnr, quam confine atque con-

(1) Ex S. Telesphori constitutione sumit haec Atto, quam videsis in ed. rom. T. I. p. 72. Rei mentio est etiam apud Anastasium in vitis PP. RR., et apud Hieronymum (non Eusebium in cuius pura editione nihil eiusmodi dicitur) in chronico. Attamen Baronius ad an. 154. sapienter adnotat, ieiunium quadragesimale non a Telesphoro sed ab apostolis initium sumpsisse.

tiguum dominicae resurrectioni. Per istos etenim quadraginta dies totum activae vitae tempus significatur, cui opus est continentia, ut ab istius mundi ieiunemus inlecebris, sola quae Dei sunt meditantes ac divina pabula ruminantes, ut ad contemplativam vitam, quae per paschale gaudium intellegitur, pervenire mereamur ovantes. Nam denarius perfectionem beatitudinis, quaternarius autem plenitudinem ostendit. Totus etenim mundus a quattuor ventis delinitur, et quattuor elementis erigitur: quattuor etiam temporibus anni vices variantur. Decem ergo quater ducta, quadraginta consecuntur: quo numero ostenditur ab omni temporali delectatione hic abstinendum ac ieiunandum absque ulla controversia esse, ut caelestes delicias consequi valeamus: quod plane Dominus in Iudaeorum significavit eductione, qui in huiusmodi anno, numeri per desertum educti sunt, solius paene alimonio mannae sustentati, ut ad repromissionis patriam pervenirent. Sed qui pro deserti . . . ergo, fratres karissimi, . . . *stu*diosissime custodiri: quae si sexta tantummodo ante pascha inchoetur hebdomada . . . *pa*tet quia quadragesima non erit: sex enim hebdomadae sunt dies quadraginta et duo: subtractis totidem dominicis diebus, non amplius in abstinentia quam triginta et sex superesse novimus, qui quaternis a praesenti numero deficiunt. Quattuor ergo dies huius antecedentis hebdomadae sumuntur, ut ad praedictam summam numerus crescat. Est igitur huius caput ieiunii hodie, quod est septimae quarta feria hebdomadae: a qua usque ad sanctam Domini resurrectionem, exceptis tantummodo diebus dominicis, districtum convenit per omnia celebrare ieiunium; quod si solvatur in aliquo, iam quadragesima non erit. Si autem sacra scriptura illos increpat, qui etiam quodammodo absolutis diebus, deliciis et voluptatibus fruuntur, quam diram illi recipient sententiam, qui saltim istos neglexerint? aut cum qua conscientia ad immaculati agni esum paschali festivitate inpudens accedere praesumet? qualiter communicare dominico poterit corpori, qui suum neglexerit bonis moribus vel ad tempus ornare? cum audiat, qui indigne manducat et bibit, iudicium sibi manducat et bibit. Abstineamus ergo nos a lucris et negotiis saecularibus, abstineamus nos a carnalibus delectationibus adversus animam militantibus, et dignum Deo nostris mentibus habitaculum

praeparemus. Ante omnia, dilectissimi, de praeteritis malis confessionem veram Deo et sacerdotibus facite (1), et dignam poenitentiam agite, quia multum obest luculenta aedificia caducis fundamentis coaptari. Considerate etiam serpentis prudentiam, qui nullo modo fontis lympham potare praesumit, donec omne venenum effundat. Vulneri quoque non proficit medicamentum, si adhuc ferrum insit. Estote ergo, fratres, in officiis assidui, in vigiliis prompti, in orationibus continui, in cibo parci, in potu sobrii, in eleemosynis largi, in castitate honesti, ab ipso etiam coniugali toro suspensi, ab omnibus ludis vel ociosis verbis remoti: quia quae aliis diebus etiam licent, istis pro crimine habentur. Ecclesias insuper frequentate, infirmos et in carcerem visitate, debitores solvite, maestos consolate, pauperibus erogate. . . .

VII. IN DIE PALMARUM.

*P*romissione domini nostri Iesu Christi, fratres karissimi, con- INEDITUS.
fidimus, quia de gloriosa eius resurrectione nullus terror vestrum cor oppressit, nec dubietas menti inrepsit: nam pavor apostolorum caeterorumque eius temporis sanctorum incredulitatis caligine alebatur. Sed illorum infirmitas nostrae fuit perfectionis augmentum. Igitur quae istis transactis diebus quasi ex opacis frondibus radios emittebant, nunc iam clara voce praedicantur. Hinc namque colligere potestis quia quanto magis Domini annuntiamus passionem, eo ocius ad eius celebrandam appropinquatis resurrectionem. Sex denique dies usque ad illius festi gaudium numerantur: sexta etiam hebdomada transacta est, postquam caput ieiunii indiximus. Vel in his ergo sex feriis, fratres dilectissimi, recuperare satagite, si aliquid fortasse in sex praeteritis hebdomadibus defecistis. Quamvis sint quidam qui aliquos huius hebdomadae dies, scilicet quintam feriam et sabbatum, absolutiores prae caeteris quadragesimalibus esse diiudicent, quod contra canonum est statuta, nec ullius sacrae scripturae confirmatur auctoritate, nobis quoque rectum minime esse videtur. Quanto etenim viciniores paschali gaudio accedimus, tanto puriores nosmet ipsos praeparare debemus,

(1) In marg. *faciamus*, itemque mox *agamus*.

ieiuniis orationibus vigiliis, seu omnibus misericordiarum operibus, et iugi insuper fletu praeterita delicta lavare. Sed et si quis sua flenda non sperat esse facinora, saltim Domini eum conpungat his diebus iniuria. Nam cum esset Deus ante saecula, in formam servi veniens, sputa, flagra ab impiis suscipiens, pro nostra ipsorumque etiam salute huiuscemodi in tempore animam ponere non despexit. Conpatiatur ergo unusquisque, fratres mei, portantes obprobria, et defleat inferentium caecitatem. Ipse denique dixit in evangelio, beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Commodus est enim nunc aliquantulum luctus, ut liberius in sancta resurrectione laetemur. Psalmista quoque ait, quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Calix vero et aperta persecutio et occultus potest intellegi gemitus, qui quoquo modo ab omni tamen convenit christiano potari. Praeparemus ergo nos ad futurum festum (a), karissimi, ad quod digne pervenire . . . Dominus. Exultemus . . . nec deliciarum cibi, sed opera praemittenda sunt iustitiae et aequitatis. Aptius est enim ut . . . tres mediocres praepares tunicas, unde et te et pauperes Christi vestire valeas, quam ut unam solum tibi preciosam adquiras. Et melius est tibi simplicem adquirere victum, unde plures egenos ad tuam suscipere mensam valeas, quam deliciosis cibis multam impendens pecuniam, cum sola domo tua ebriose vescaris, et pauperes Christi fame vel nuditate afflicti pereant te praesente. Ait enim beatus Iohannes apostolus, qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo karitas Dei manet in eo? Ergo fugite avaritiam et diligite karitatem, sine qua nemo Deum videre merebitur. Karitas pax et gaudium vobiscum in aeternum; quod ipse praestare dignetur, cuius regnum.

VIII. IN DIE SANCTAE RESURRECTIONIS.

INEDITUS. Hodie, fratres karissimi, diem dominicae colimus resurrectionis, in qua dominus noster Iesu Christus, destructo mortis imperio resurrexit a mortuis, quam etiam pascha vocamus. Pascha igi-

(a) Cod. 1. manu *futuram festam*, et infra *ad quam*, sine emendatione. Recole p. 16. Itali nunc dicimus *la festa*.

tur sermo est hebraeus, latine dicitur transitus; quod multo ante incarnationem domini nostri Iesu Christi praesignatum est. Nam cum filii Israël aegyptiaca premerentur servitute, clamaverunt ad Dominum ut eos eriperet de manu Pharaonis, id est regis Aegyptiorum, ad quem propheta Moyses destinatus est, ex Domini eum admonens sententia ne populum eius affligeret, sed soli Deo eos servire dimitteret, et quo proficisci vellent, ne contradiceret. Quod quia rennuit, visitavit Deus Aegyptios plagis maximis, in multis signis et variis portentis: qui nec ideo vocem Domini audierunt, et populum non dimiserunt, sed amplius afflixerunt. At illi magis magisque ad Dominum clamabant, ut eos de manu opprimentium liberaret; quorum voces ascenderunt in conspectu Domini. Dederat autem eis Dominus in signum, ut in omni domo sua agnum mactarent, omnesque postes suos eius sanguine adsignarent: nam se per medium *Aegyptum transiturum designavit, et omnia primogenita eius percutienda annuntiavit; eosque quorum postes taliter adsignatos invenisset, salvare, et ab hostibus liberare promisit. Quibus etiam praecepit ut singulis annis . . . mare rubrum, in crastin . . . has . . . Aegyptiorum, ut eos persequerentur. Filii autem Israël videntes eos, timuerunt valde. Dominus tamen aperuit illis mare, et apparuit arida, et factae sunt aquae a dextris eorum et sinistris quasi murus, et ambulaverunt per siccum in medio maris: inimici autem eorum persequentes submersi sunt, nec unus superfuit ex eis. Haec itaque omnia typus et figura erant, quod nunc cernitis in veritate perfecta. Nam illud pascha, in quo ille agnus mactatus est, istud significabat, in quo verus agnus, id est dominus noster Iesus Christus occisus est: de cuius sanguine nisi postes nostri, id est ora nostra, signentur, salvi esse non possumus. Sicut ergo per illius agni mactationem et sanguinem filii Israël ab aegyptiaca sunt servitute liberati, ita nos per istius veri agni a servitute diabolica sumus redempti. Quod autem illi hostium nullo modo evadere potuerunt periculum, nisi per transitum maris rubri, sic et nos nullatenus possumus diaboli vitare laqueos, nisi per lavacrum baptismi. Et sicut omnes inimici eorum submersi perierunt, ita omnia vitia quae in nobis sunt extinguntur in baptismate. Celebremus ergo, dilectissimi, verum pascha, transeamus a vitiis ad virtutes, oremus Do-

* Ita cod.

minum ut liberet nos de manu Pharaonis id est a potestate diaboli: resurgamus a morte ad vitam, scilicet a peccato ad iustitiam: festinemus ad sanctam ecclesiam, quae est civitas sancta Hierusalem, ut mereamur habere partem cum ipsis, qui resurrexerunt cum illo, et apparuerunt in sanctam civitatem multis. In ipso ergo gaudeamus et exultemus, qui cum Patre et Spiritu sancto.

VIIII. ITEM IN ALBIS.

INEDITUS. Laudate Dominum omnes gentes, et conlaudate eum omnes populi. Dignum et iustum est ut Dominus a nobis semper laudetur, psalmista testante qui ait, benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Semper vero laudes Domini nostro ori conveniunt, sed in hac praecipue tanta festivitate: regi enim qui infernum confregit, captivos reduxit, vitam reddidit, mortem ademit, iure canticum novum debetur, eiusque laudationem decet praeclaram concrepare. Eia nunc, fratres karissimi, cum propheta cantate Domino canticum novum, laus eius in ecclesia sanctorum: non aereis cymbalis, non canticulis platearum, non tubarum strepitu, sed novo cantico, id est novi testamenti, Dominum conlaudare oportet. Itaque subditur, exultabunt sancti . . . in Domino glorietur . . . gaudio, quia ipso testante apostolo transit mundus et concupiscentia eius . . . in Deo scilicet, profecto in cubilibus suis laetabuntur, id est in pura sua conscientia et mundo corde, quo Deum cernere merebuntur. Non laetantur in theatris, ut scenici; non in epithalamiis et cantilenis, ut mimi; non in saltationibus et circo, ut histriones vel idolorum cultores, quos heu quidam christiani adhuc in multis imitantur. Quid enim miserabilius senibus, quid turpius iuvenibus, quid perniciosius adulescentulis, quam stupra virginum et libidines meretricum turpi gestu et blanda voce cantare, ut spectatores suos talibus insidiis ad suas provocent corruptiones? et qui adhuc aut divina gratia custoditi non ceciderunt, aut miseratione per paenitentiam surrexerunt, luxuriae possint inpingere volutabris? Meretricem namque Salomon insinuans ait: mulier garrula et vaga, quietis inpatiens, nec valens suis pedibus in domo consistere, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians: et alia huiuscemodi multa, quae pro mag-

nitudine enumerari non possunt. Dina quoque tanti patris Iacob filia, dum ad videndum mulieres regionis graditur, stuprum perpessa est. Multas etiam alias simili modo amissam inrecuperabilem virginitatem graviter flevisse et legimus et audivimus. Nam ludus scenicus castitatis est raptor. Circi denique ludi Liberum et Venerem famosissimos daemones legimus fuisse auctores. Fugiat ergo omnis christianus obsequium, quorum non vult imitari meritum; maxime istis festis diebus; quia parum proficit hoc quadragesimali tempore nostras deplorasse ruinas, si nunc iterum ad easdem paschale festum polluendo dilabimur. Unde difficile poterimus evadere, nisi mentem nostram a talibus curemus abstergere: quia secundum apostolum, corrumpunt mores bonos colloquia mala. Hinc Salomon ait, intravit mors per fenestras: fenestrae enim nostrae, quinque sensus corporis sunt, per quos mors animae se nobis quasi per fenestras ingerit: a qua nos liberare dignetur, cuius regnum.

X. IN ASCENSIONE DOMINI. (1)

Dominus et salvator noster, fratres karissimi, postquam resurrexit a mortuis, per quadraginta dies cum suis voluit in terris conversari discipulis, ut tristitiam illarum quadraginta horarum, quibus in sepulchro quieverat, illorum abstergeret cordibus: vel quia sicut de aegyptiaca servitute et de profundo maris rubri filios Israël liberavit, eosque per quadraginta annos per desertum eduxit, atque de tabernaculi institutione, hostiarum immolatione, caerimoniarumque observatione interim edocuit; et sic postmodum destructis superbis gentibus, ad terrestrem Hierusalem, quae terra repromissionis dicitur, introduxit; sic et resurgens a mortuis, de tenebris inferni eos, qui indebite detinebantur, ad lucem erigens, suosque discipulos de incredulitatis caligine ad veri luminis agnitionem perducens, per quadraginta dies conversaretur cum ipsis, ut de sanctae ecclesiae constitutione, ac sanctarum scripturarum cognitione interim eos plenius edoceret, et postmodum ad sanctam

EDITUS. *sed aliter.*

(1) Hunc sermonem edidit ex codice vercellensi Burontius p. 310, plurimis tamen diversitatibus varium, quas adnotare operosum nimis foret; coarguere antem, sicubi peccat editor, sine vercellensi codice haud queo. Igitur vaticani tantummodo codicis lectionem fideliter exhibeo.

Hierusalem caelestem destructis cunctis aëreis potestatibus, praevius ascenderet, quae etiam terra repromissionis dicitur, quam repromisit diligentibus se: sicut psalmista ait, credo videre bona Domini in terra viventium. Bene ergo illi quadraginta anni et hos quadraginta dies possunt significare, de quibus tantam similitudinem possumus explicare. Hodie quidem Dominus peractis in terra mysteriis, multis videntibus immo et gaudentibus, triumphator ascendit ad caelos, sicut scriptum est, ascendit Deus in iubilo, et Dominus in voce tubae. Iubilum est cum tanta laetitia corde concipitur, quanta sermonis efficacia non expletur. Quod ideo dixit, quia apostoli videntes tale miraculum, ineffabili laetitia cordis repleti sunt, quia redemptorem nostrum, quem mortuum iam resurrexisse veraciter credebant, illuc corporaliter ascendere videbant: unde omnia, quae ipsis promiserat, dari posse non dubitabant, atque ad immortalem et caelestem gloriam sicut promiserat eundem sequi non diffidebant, ad quam eum iam pervenisse gaudebant. Spiritum quoque sanctum tanto fidelius expectabant, quanto magis caetera cuncta, quae praedixerat, impleta videbant. Sane quod subditur, in voce tubae, fragorem angelici intellegimus praeconii, velut tubae tonantis dum diceret, viri Galilaei quid admiramini aspicientes in caelum? Hic Iesus qui adsumptus est a vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum. Quod ideo est denuntiatum, ne aliquis maeror remaneret apostolis, cum viderent Dominum per corporalem praesentiam ablatum: sive ne dubitarent ad caelum ire, cui videbant angelos deservire. Ergo, fratres karissimi, quia nos iam ab aegyptiaca servitute eruti mare rubrum transivimus, et in Domini morte consepulti dudum consurreximus (per haec enim talia figuratur baptismi gratia) nunc instanter oremus, ut positi in hac mortalis vitae solitudine, sic nos evangelii et decalogi mandatis, quae quadraginta anni vel dies significant, dignetur instruere, ut ad caelestem Hierusalem dectructis viciis laeti mereamur adtingere. Sicque sanctorum apostolorum intercessione, Domini studeamus ascensionem celebrare, ut dona Spiritus, quae ipsi acceperunt, valeamus exspectare, sicut scriptum est, ascendens in altum Dominus captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Captivam autem duxit captivitatem, quando devicta morte, inferna-

lem auferens praedam, triumphans perduxit ad aethera. Dona autem hominibus dedit, quando Spiritum sanctum apostolis tradidit; et non tàntum apostolis verum etiam caeteris iustis; quod nobis summa veneratione convenit exorare, ut digni simus talia impetrare, et impetrata iugiter observare: et quod per continuum tempus implere obmisimus, saltim in hac futura decade observemus, pravi cordis maculas abluamus, cunctas nequitias repellamus; sicque in hac festivitate vivamus, ut futurum pentecosten laeti suscipere valeamus: quia si Spiritus sanctus nos purificatos invenerit, procul dubio sibimet in nobis mansionem parabit; quod ipse praestare dignetur, cuius regnum et imperium.

XI. IN PENTECOSTE.

Pentecosten, fratres karissimi, diem festum colimus, quem a EDITUS. dominica resurrectione quinquagesimum numeramus. Pentecosten enim graece, latine quinquagenarium intellegimus; nam quinque decades hunc numerum consecuntur. Qui dies ideo celeberrimus inter anni ferias habetur, quia in eo Spiritus sanctus scilicet paraclitus e caelo veniens apostolos adeo confirmare dignatus est, ut omnem metum, quo prius clausis ianuis sub silentio detinebantur, eorum cordibus excutiens, mox eadem claustra respuentes libera voce Christum palam omnibus gentibus variis linguis praedicarent. Bene autem eius adventus a paschali gloria tantis distat diebus, quia huius Spiritus septem sunt dona: septem enim septies multiplicata eorum, qui intersunt, dierum numerum conprehendunt. Sed hic unus, scilicet quinquagesimus, rite additus praeponitur, quia etsi diversa sint dona, unus tamen atque idem est Spiritus, cuius ideo festum per septem dies deducimus, quia unicuique dono singulos dies mos ecclesiasticus dedicavit. Nec defuerunt haeretici, qui dicerent hunc Spiritum, non a Patre simul et Filio, sed a Patre prodiisse tantummodo, quibus ex ipsius veritatis congruenter possumus occurrere testimoniis (1). Ait enim suis in evangelio apostolis: cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre. Et iterum: si ego non abiero, Paraclitus non veniet; si autem

(1) Notemus Attonis refutationem erroris Graecorum.

abiero mittam eum ad vos... *Quibus* verbis satis aperte *demonstratur* Spiritum *non tantum* a Patre, sed etiam a Filio pariter processisse. Sed quia haereticorum *per* hoc funditus evacuatur perfidia, nos ad iam coeptae festivitatis intendamus (a) praeconia. Quinquagesimus enim numerus remissionem significat, quod ex veteri possumus testamento colligere. Nam quinquagesimo anno qui iubeleus (b), idest remissionis vocabatur, debita debitoribus, servis etiam ad libertatem tendentibus servitia, ultro remittebantur. Bene ergo et hic quinquagesimus dies iubeleus dici potest, quia Spiritus sanctus superveniens apostolis remissionem illis omnium tribuit peccatorum, eosque liberos a fragilitate reddidit pristinae contagionis. Qui etiam in veteri testamento festus colebatur, atque in eo primum apud eos panes de novis frugibus in templo annue ministrabantur. Mystice enim apud nos (c) ipso die panes de novis frugibus, idest novae virtutes sancti Spiritus, quibus nutrimur et vivimus, primum per apostolos traditae sunt gentibus. Nec deest a ratione, quod quinquagesimo die, postquam Dominus Aegyptum in primogenitis percussit, eiusque principum potestatem destruxit, atque filios Israël de eorum servitute, et maris rubri profundo liberavit, legem per Moysen, quam populis praedicaret, dare decrevit; et quinquagesimo die postquam infernum in suis primitiis percussit, eiusque principum potestatem dextruxit, et omnes (d), qui illic indebite detinebantur, de profundo mortis eduxit, per Spiritum sanctum apostolis qualiter agerent, seu alios instituerent, declarare curavit. Sed divina providentia, alteram israëlitico populo per Moysen, alteram nobis per sanctos apostolos legem voluit commendare. Illa minatur interitum; haec iugiter paenitentiam docet: quod ostendit Moyses, cum post datam legem descendens de monte, rediret ad populum. Certe cum invenisset peccasse populum in vituli aurei adoratione, dixit: haec dicit dominus Deus Israël, ponite unusquisque gladium suum super femur suum, et occidat unusquisque fratrem suum, et unusquisque proximum suum, et unusquisque adfinem suum. Beatus vero Petrus princeps apostolorum cum reliquis post (e) adventum sancti Spiritus illis etiam qui ipsum Dominum crucifixerunt constanter ait: paenitentiam agite, et

(a) Mansius vitiose *incedamus*. (b) M. *iubilaeus*. (c) M. perperam *eos*. (d) M. male *omnium*. (e) M. male *per*.

baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti. Redemptor namque noster veteris legis duritiam temperans, amarum potum sua incarnatione fecit esse potabilem. Denique in veteri testamento scriptum est: anima quae fecerit quicquam de abhominationibus (1) istis, peribit de populo suo, dicit Dominus. In novo repperimus, gaudium erit in caelo super uno peccatore paenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis non indigentibus paenitentiam *. Videte, fratres, ne perdamus paenitendi tempus, quod tanta (a) est indulgentia concessum. Nam paenitentiae fructum dicimus quicquid pro delicti satisfactione boni operis ad divinam reconciliationem tendendo peragimus (b), ieiunia, vigilias, continentias, orationes, opera misericordiae, seu caeteras virtutes. Multas quippe nobis Christus semitas praeparavit (c), per quas perditionis foveas declinare valemus (d): sed quanto plura sunt evadendi consilia, tanto miseriores sunt qui descendunt in lacum. Licet igitur his (e) transactis diebus quasi in nuptiis pro continua sollempnitate in deliciis vixerimus, stantesque orationis vota Domino persolverimus; nunc autem abhinc terra prostrati lacrimas fundamus, ieiuniis et vigiliis operam demus, paenitentiae sarcinam (f) suscipere festinemus. Ait enim Dominus in evangelio: non possunt filii (g) sponsi ieiunare, donec cum illis est sponsus: veniet hora cum auferetur ab eis, et tunc ieiunabunt in illis diebus. Transacto quoque tempore quodammodo nobiscum quasi per corporalem Dominum habuimus praesentiam; sed nunc iam caelos ascendit, ad dexteram sedet Patris, promissum Spiritum cordibus fidelium infudit, qui eos indesinenter orare, ieiunare, seu caetera bona opera agere monet, ut quem corporaliter iam nunc attingere nequeunt, eius ubique valeant sentire solatium. Sed qui tale donum recipere meruerunt, sic vivant necesse est, ut ab eo non separentur in aevum, quorum (h) nobis peccatoribus in omnibus convenit aequipedare vestigia: talesque nosmetipsos praeparare oportet, ut si necdum Spiritus sancti gratiam percipere meruimus, vel perceptam peccando

* Ita cod.

(a) Mansius perperam *totum* et mox *indulgentiae*. (b) M. vitiose *pergimus*. (c) M. perperam *praeponit*. (d) M. *valeamus*. (e) M. sine *his*. (f) M. mendose *sacramentum*. (g) M. ridicule *filiae*. (h) M. *piorum*.

(1) Sequuntur lacunae apud Mansium.

repulimus, ad suspiciendum (a) vel etiam recipiendum pariterque custodiendum inveniamur idonei. Ipsumque Salvatorem omnium pura mente, devoto ore, dignis operibus rogitare curemus (b), ut nobiscum usque (c) in aeternum, etsi non corporaliter, per suffragia manere dignetur, ipso praestante qui cum Patre et Spiri-
*, Ita cod. tu sancto vivit et gloriatur * Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

XII. IDEM SERMO ABBREVIATUS, NE VULGARES FASTIDIARENTUR.

INEDITUS. Pentecosten, fratres karissimi, diem sanctum colimus, quem a dominica resurrectione quinquagesimum numeramus. Pentecosten enim graece, latine quinquagenarium intellegimus; nam quinque decades hunc numerum consecuntur: qui dies ideo celeberrimus inter anni ferias habetur, quia in eo Spiritus sanctus scilicet paraclitus e caelo veniens apostolos adeo confirmare dignatus est, ut omnem metum quo prius clausis ianuis sub silentio detinebantur, suis cordibus excutientes, mox eadem claustra respuentes, libera voce Christum palam omnibus gentibus praedicarent: qui etiam in veteri testamento festus colebatur, atque in eo primum apud eos panes de novis frugibus in templo ministrabantur. Mystice autem apud nos ipso die panes de novis frugibus, id est novae virtutes sancti Spiritus primum per apostolos traditae sunt gentibus. Nec deest a ratione, quod quinquagesimo die postquam Dominus Aegyptum in primogenitis percussit, eiusque principum potestatem destruxit, atque filios Israël de eorum servitute et maris rubri profundo liberavit, legem per Moysen, quam populis praedicaret, dare decrevit; et quinquagesimo die postquam inferuum in suis primitiis percussit, eiusque principum potestatem destruxit, et omnes qui illic indebite detinebantur, de profundo mortis eduxit, per Spiritum sanctum apostolis qualiter agerent, seu alios instruerent, declarare curavit. Sed divina providentia alteram israëlitico populo per Moysen, alteram nobis per sanctos apostolos legem voluit commendare: illa minatur interitum, haec iugiter paenitentiam docet. Quod ostendit Moyses cum post datam legem descendens de monte

(a) Mansius *suscipiendam*, contra codicis fidem. (b) M. mendose *instemus*. (c) M. sine *usque*.

rediret ad populum. Certe cum inveuisset peccasse populum in vituli aurei adoratione, dixit: haec dicit dominus Deus Israël, ponite unusquisque gladium suum super femur suum, et occidat unusquisque fratrem suum, et unusquisque proximum suum. Beatus vero Petrus princeps apostolorum cum reliquis post adventum sancti Spiritus, illis etiam qui ipsum Dominum crucifixerant, constanter ait: paenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti. Redemptor namque noster veteris legis duritiam temperans, amarum potum sua incarnatione fecit esse potabilem. Denique in veteri testamento scriptum est, anima quae fecerit quicquam de abhominationibus istis, peribit de populo suo, dicit Dominus. In novo repperimus, gaudium erit in caelo super uno peccatore paenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis non indigentibus paenitentiam. Videte, fratres, ne perdamus paenitendi tempus, quod tanta est indulgentia concessum. Nam paenitentiae fructum dicimus quicquid pro delicti satisfactione boni operis ad divinam reconciliationem tendendo peragimus, ieiunia, vigilias, continentias, orationes, opera misericordiae, seu caeteras virtutes. Multas quippe nobis Christus semitas proponit, per quas perditionis foveas declinare valemus. Sed quanto plura sunt evadendi consilia, tanto miserabiliores sunt qui descendunt in lacum. Licet igitur his transactis diebus quasi nuptiis pro continua sollempnitate in deliciis vixerimus, stantesque orationis vota Domino persolverimus, nunc autem abhinc terra prostrati lacrimas fundamus, ieiuniis et vigiliis operam demus, paenitentiae sarcinam suscipere festinemus. Ait enim Dominus in evangelio, non possunt filii sponsi ieiunare, donec cum illis est sponsus; veniet hora cum auferetur ab eis, et tunc ieiunabunt in illis diebus. Transacto quoque tempore quodammodo nobiscum per corporalem Dominus adfuit praesentiam: sed nunc iam caelos ascendit, ad dexteram sedet Patris. Unde pura mente, devoto ore, dignis operibus eum rogitare curemus, ut nobiscum usque in aeternum, etsi non corporaliter, per suffragia manere dignetur; ipso praestante, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur Deus per omnia saecula saeculorum, amen.

XIII. IN ANNUNTIATIONE BEATI PRAECURSORIS ET MARTYRIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI IOHANNIS BAPTISTAE.

EDITUS. Post (a) evangelicam lectionem, fratres karissimi, beatissimi Ioannis praecursoris domini nostri Iesu Christi nobis est denuntiata nativitas, de cuius praeparatione aliquid nunc iam edocendum esse videtur, quia omnimodis cavendum est ne vulgus polluat ignorantia, quod summa observare cogit oboedientia; si autem nescientes deliquerint in talibus, una nos cum illis involvet sententia: si vero quae docuerimus contempserint, sic alienum deflebimus, ut nostrum exinde non timeamus periculum. Cognoscat igitur prudentia vestra malam de tam gloriosa sollempnitate crebris in locis inolevisse consuetudinem, ut quaedam meretriculae ecclesias et divina officia derelinquant, et passim (b) per plateas et compita, fontes etiam et rura pernoctantes, choros statuant, canticula (c) conponant, sortes deducant, et quicquid alicui evenire debeat, in talibus simulent augurari. Quarum superstitio adeo gignit insaniam, ut herbas vel frondes baptizare praesumant, et exinde compatres vel commatres audeant vocitare, suisque domibus suspensas diu in postmodum quasi religionis causa studeant conservare. Nam beatus Iohannes ideo Baptista dictus est, quia ipse primum baptismum remissionis hominibus praedicaverat, et baptizandi ministerium sumpserat, auctoremque omnium suo meruit lavare baptismate. Caeterarum . . . Beatissimi quoque Petri principis apostolorum festivitatem huiusmodi solent naeniis commaculare; quarum aliae maleficiorum, aliae stupri causa, talibus vanitatibus inserviunt (d). Considerate ergo, fratres karissimi, quantum dedecus tales nobis prioribus, quantumque sibi inferant detrimentum, et sic unusquisque saltim (e) domum suam a talibus purget erroribus. Partiamur honus (f), partiamur et (g) praemium: debet enim unusquisque vestrum (h) domui suae praeesse episcopus, quia episcopus superinspector dicitur: ab unoquoque enim quantum creditur, tantum exigetur (i). Videte quia nullus est, cui aliquid non credatur, et a quo aliquid non exigatur. Ad cultum ergo tantae festivitatis vicissim

(a) Mansius *per.* (b) M. *partim.* (c) M. *cantiunculas.* (d) M. *intersunt.* (e) M. flagitiose *omnes.* (f) M. *sine et.* (g) M. *statim.* (h) M. *nostrum.* (i) M. *exigitur.*

nos invitare curemus, abstergamus errores, cunctas haereses reppellamus; ieiuniis, vigiliis, orationibus praecurramus, ut devote tam praeclari martyris festum (a) celebrare mereamur, praestante domino nostro Iesu Christo.

XIIII. IN NATIVITATE EIUSDEM.

Illius hodie nativitas, fratres karissimi, celebratur, de quo Dominus ait in evangelio, inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista. Natos mulierum, natos ex mollitia concupiscentiae appellat; mulier namque e mollicia dicta est, eo quod hic sexus facile molliatur ad culpam. Notandum sane quia suam Dominus nativitatem hoc testimonio non conprehendit, cuius mater etsi natura dicta sit mulier, virilis tamen fuit in continentia, quae sine humana concupiscentia genuit prolem et mundo edidit salvatorem. Ceteris autem sanctissimis et summis hominibus, virili scilicet semine procreatis, nullus beatum Iohannem per omnia dubitet coaequandum catholicus; cuius nativitas in templo ab angelo nuntiata, qua mater sterilis et iam anus fecundata, in qua et muta patris lingua absoluta est, a quo necdum nato Domini mater agnita, Christi quoque est praesentia delectata, qui etiam per prophetam longo ante tempore meruit proclamari; de quo dictum est, ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. Considerate ergo, dilectissimi, quanto honore dignus sit, qui missus a Deo patre, Filii meruit praecurrere adventum: ex quo etiam ministerio, praecursoris sumpsit vocabulum: praevenit enim Dominum nascendo praedicando moriendo atque ad inferni claustra descendendo: qui etiam adeo ab eo magnificatus est, ut ipsius testimonio clarificari, et plusquam prophetam appellari mereretur. Ad cuius quoque exaggerandam gloriam insuper adiciens ait, a diebus Iohannis usque nunc regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Regnum caelorum vim patitur et violenti rapiunt illud, cum quis pravus perversa longo tempore . . . poenas quas male vivendo promeruit, misericorditer evadit, atque . . . sublima . . . . caelorum mox intrat ovanter. Bene autem a diebus Iohannis, quia ipse primum baptis- INEDITUS.

(a) Cod. *festam*, ut non semel alibi.

mum praedicavit per quem peccata dimittuntur, et ianuae regni caelestis panduntur: ubi nos pius Dominus meritis et intercessionibus ipsius beatissimi praecursoris et martyris sui recipere dignetur; cuius regnum et imperium.

XV. IN FESTIVITATE SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

INCIPIT. Hodierna sollempnitas, fratres karissimi, nos admonet beatissimorum apostolorum Petri et Pauli ardenter amplecti vestigia, qui semet abnegantes, mundumque omnem contempnentes, iudiciariam eius adepti sunt potestatem: qui etiam quia mundo subcumbere noluerunt, caelo praelati sunt, cuius Petrus claviger, Paulus factus est introductor. O quam dignum et magnum, ut Petrus claviger sit caelorum, et Lucifer carcerem sentiat inferorum! Homo surrexit ad aeternam gloriam, angelus cecidit ad póenam perpetuam: iste in se multum praelatus et erectus, omnium a Deo creaturarum factus est infimus; ille humilis et abiectus, etiam apostolorum factus est primus: illum prostravit superbia, hunc humilitas sublimavit. Quam bene Simon dictus est, quía Simon interpretatur oboediens! quem sodalis Paulus non longe suo quoque secutus est nomine: nam Paulum parum dicimus; videtur enim multae oboedientiae esse nomen, cum vir tanta divinitate perlustratus, tantisque caelestibus dogmatibus imbutus, ut ab ipso Domino vas electionis ad portandum nomen suum vocari mereretur, ipse se parvulum aestimaret nominandum. Magnus itaque dici potuit, quem Dominus post ascensionem ad caelos per semet ipsum vocavit et docuit, quem sibi apostolum consecravit, qui usque ad tertium raptus est caelum, qui etiam divinum meruit audire secretum. Uterque igitur possident gloriam claritatis, quia utrisque adfuit humilitas karitatis. Uterque vivunt cum Christo, quia mori non timuerunt pro ipso. Petrus non dubitavit crucem gyratam, Paulus manum non expavit armatam. Ille caput declinavit ad terram, ut ad caelum erigeret; hic capite truncatus est, ut potius cresceret. Iure tanta consecuti sunt praemia, qui talia pertulerunt tormenta. Horum acta, fratres karissimi, saepissime pertractemus, et in quantum possumus imitari curemus. Respuamus terrena et caduca, am-

plectamur caelestia et mansura : quia nihil prodest homini si totum lucretur, animae suae detrimentum patiatur. Humilitate gaudeamus, superbiam fugiamus, quia omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur . . . est, qui amat . . . cio in vitam aeternam recipiet eam. Unde omni nisu omnique . . . vos viros *satag*amus exposcere ; ut quod nostra non suppetit fragilitas, eorum pro nobis obtineat sanctitas ; atque illuc suis orationibus introducant, quo meritis praecesserunt, praestante domino nostro Iesu Christo.

XVI. IN DEPOSITIONE BEATISSIMI EUSEBII VERCELLENSIS EPISCOPI. (1)

De praecipuis, fratres karissimi, sollempnitatibus semper nobis aliquid dicendum est vulgaribus, ut nostro discere valeant sermone, quod celebrare contendunt ex more : sed in hac festivitate nil eis pronuntiare possumus aptius, quam si nostri patroni gesta disseramus artius (a). Igitur beatissimus Eusebius, cuius hodie festum * colimus, Sardiniae provincia ortum (b) cognovimus ; Romae tamen unda baptismatis ablui, et ab ipso summo pontifice sacro de fonte suscipi, eiusque nomen meruit adipisci. Quod nomen bene adlusit ad gratiam ; nam pius fuit ab ipsa infantia : Eusebius enim pius interpretatur, sicut a graecis interpretibus declaratur. Sed qui regeneratus est per beatum papam Eusebium, antistes ordinatus est per eius successorem Iulium (c). Eo quoque tempore Vercellensis civitas magna totius Italiae paene erat haeresiarcha (d). Ad hanc quidem destinatus est Eusebius, qui fide, verbo, et opere cunctis fuerat praeditus. Hunc frendens contio (e) Arrianorum adeo spernebat, quem verae fidei adsertorem esse cernebat. Et quia non timuerunt blasphemare redemptorem, ausi sunt etiam refutare pastorem (f). Concludunt se beatae Dei genitricis ecclesiae ia–

saites. sed corruptissime.

Cod. 1. manu *festam*.

(a) Mansius vitiose *rectius*. (b) Ita cod. at M. *natum*. (c) M. infideliter *sanctum Iulium*. (d) M. *haeresi victa*, contra codicis scripturam. (e) M. perperam *coetus*. (f) M. infideliter *praeconem*.

(1) Hunc sermonem edidit Mansius ex cod. vat. an. 1761, eundemque ut adhuc ineditum protulit Burontius in sua editione anni 1768. Burontium sane ignorasse Mansii curas ad Attonem, constat ex illius editione, in qua ex Mansio nihil protulit : tum vero ipse Burontius p. XXV. hunc de S. Eusebio sermonem nominatim dicit (etsi falso) ineditum.

nuis, quam piae memoriae Constantinus erexerat a fundamentis: vectibus et seris munierunt aditum, ut vel sic pastoris repellerent (a) adventum. At pastor egregius signo crucis omnia confregit, qui ad sanctam Trinitatem praedicandum (b) libera voce venit; et qui filium Dei aequalem patri testificari non metuit, eius matris ianuas sese pandentes (c) intrare meruit. Cedunt Arriani tanto pavore perculsi, atque ad crudelissimum properant imperatorem confusi. Nam Constantius illius temporis imperator pernitiosus erat catholicae fidei supplantator: et quia sciebant haereticum, libere accusabant catholicum. Ad synodum mox cunctos episcopos Mediolanum convocat fraudulenter, ut sanctam fidem sic extinguat latenter (d). Ad quam beatus Eusebius ire (e) distulerat, quem qnid agendum erat minime latuerat. Chirographum in sua fide ab haereticis factum imperator laudabat, quod filium minorem patri (f) per omnia praedicabat. Contra quod catholici prima fronte contenderunt (1), novissime autem perterriti omnes qui adfuerant subscripserunt. Quod cum audisset beatus Eusebius, inenarrabiles corde profudit gemitus. Nec se iam potuit continere, quin ad memoratum iret (g) concilium pro fide contendere (h). Sancti evangelii (2) kara deportans pignora festinus ad flumen mox pervenit Siccidam (i): navis (k), per quam transiri (l) consueverat, ad ripam tunc morabatur alteram; quam ut vocavit, sola ad eum venerat, susceptum undam et transvexit validam. Inde progressus ad urbem metropolim ingentem luctum planxit cum catholicis. Extergens (m) luctum locutus est prudentiam, fratribus cunctis dedit indulgentiam, si eius deinde sequerentur vestigia. Imperator eum suscipiens magnam finxit humilitatem, ut eius ad sacrilegium taliter seduceret sanctitatem (n): dicens, subscribe (o), frater, quod subscripsimus; confirma tu, quod nos omnes iamdudum firmavimus. At

(a) Mansius perverso ordine *repellerent pastoris*. (b) M. *praedicandam*. (c) Codex cum M. *pandentibus*. (d) Foede M. *ut S. Patres sic extinguat latentes*. (e) M. *sic pro ire*. (f) Sic alibi loquitur Atto. At M. *patre*. (g) M. flagitiose *ad memoriam revocaret*. (h) M. *contenderet*. (i) M. *Sicidem*, et male ante interpungit. (k) M. *navisque*. (l) M. *transire*. (m) M. *extinguens*. (n) M. *securitatem*. (o) M. *scribe*.

(1) Saquentia aliquot verba, quae in lacuna codicis vat. perierant, ex Burontii editione sumo, cuius tamen ego in hoc sermone varietates negligo, quia vercellensem codicem procul habeo.

(2) Intellige famosum Evangeliorum adhuc conservatum Vercellis codicem.

prudens pater (a) se hoc facere detestabat; quippe priorem omnibus chirographi inscriptione se supponere denegabat: illud destruere, et aliud fieri proclamabat (b), in quo se prior subscribere iam valeat. Sic divino nutu tyrannum deludere potuit, quem callide tyrannus decipere voluit. Nec mora: ipsum concessum est cremari, et aliud iussum est (c) simile praeparari, quod taliter conpositum (d) est penitus quemadmodum beatus dictaverat Eusebius. In hoc catholici consenserunt; uno omnes animo post eum subscripserunt. Hanc fidem promiserunt contendere, hanc pro ipsa mortis iniuria polliciti sunt non negare. Videns imperator horum non posse dissolvi constantiam, omnem fere in beatum Eusebium contorsit (e) insaniam. Tunc vario (f) censuit eum affligi periculo: (g) insuper tandem iubet longo deportari exilio: carceres et conpedes acerbas (h) pertulit, fame et siti longo tempore laboravit: signis et virtutibus ibidem declaratus est; angelicis consolationibus saepe confortatus est. Nec in tantis etiam (i) constitutus periculis, sui bonus pastor inmemor factus est gregis: nam litteris eum de longinquis partibus instanter visitabat, et de catholicae fidei perseverantia iugiter corroborabat. Sed iam iam paene cedebant catholici, nam diu eos persequebantur haeretici. Tandem misertus (k) Dominus tyrannum extinxit improbum, et beatum Eusebium solum reduxit ad proprium. In quo illi (l) itinere ostendit visionem, unde sui corporis cognosceret resolutionem. In vertice montis per visum se stare putabat, et altius ad quoddam palatium sole praeclarius pennis evolare credebat. Intellexit ilico se de praesentis (1) vitae alta conversatione ad aeternae gloriae ascensurum remunerationem. Interea Vercellas rediens, magno gaudio a suis et summo receptus est honore, eisque fidem Christi constanti praedicabat sermone: se mox migraturum de saeculo asserebat, illos multa post se passuros et (m) praedicebat: patienter tamen haec toleranda monebat, suaeque constantiae et passionis exempla proponebat, et insuper aeternae remunerationis gaudia promittebat. Nec defuit seditio arriana quin martyrem conpelleret ad

(a) M. perperam *frater*. (b) Mansius *praeclamabat*. (c) M. pessime *non eius* pro *iussum est*. (d) M. *compertum*. (e) M. *convertit*. (f) M. flagitiose *ratio*. (g) Sex verba sequentia omisit Mansius. (h) M. *acerbos*. (i) M. *tamen*. (k) M. *miserans*. (l) M. *ille*. (m) Ita cod. vat.

(1) Complura verba sequentia, propter lacunam codicis vat., ex Baronio accersivi.

coronam, fustibus et gladiis super eum insurgere, et lapidibus non timuerunt obruere. Ictibus illorum fracto cerebro occubuit, et sanctam Deo taliter animam reddidit. In ea autem a suis discipulis ecclesia est sepultus, quam ipse olim in honorem martyris Theouesti (a) construxerat divino amore conpulsus, ubi multa beneficia praestantur omnibus, qui beatum Eusebium puris exorant precibus. Nos quoque suis orationibus ab aeterno liberet supplicio, qui hodie, quod est kal. aug., de carnis ereptus est ergastulo.

XVII. IN ASSUMPTIONE BEATAE DEI GENITRICIS SEMPER VIRGINIS MARIAE.

EXITUS. Assumptionem gloriosae Mariae semper virginis hodie celebramus, quam in caelesti throno collocatam devotis mentibus (b) adoramus. Nam ipse Deus et dominus, cuius eam (c) genitricem colimus ait in evangelio: si quis mihi ministrat (d), me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Prae cunctis enim mortalibus sancta Dei genitrix Christo domino ministravit; quem adeo est secuta, ut cum tristante tristaretur, cum patiente pateretur: de cuius tamen passione ei praedictum est, et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Vere ergo cum ipso manet in caelis, cui sedulo servivit in terris. Item discipulis suis ipse alibi ait: in illo die cognoscetis quia ego sum in patre meo, et vos in me, et ego in vobis. Item, sicut ego et pater unum sumus, sic vos (e) et ego unum manebimus: quod enim ait apostolis, hoc sentiendum est et de ceteris iustis. Quid ergo mirum qui (f) in eo sunt, si in caelis consistunt? Aut quid etiam magnum, si beata Maria caelestis esse meruit, cum beatus apostolus de omnibus iustis dixerit: qualis caelestis (g), tales et caelestes? Caelestis enim Christus est, qui de caelo descendit, quem etiam imitando (h) eius participatione caeteri quoque iusti caelestes esse merentur (i). Nec videatur contrarium quod Dominus ait in evangelio: nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit filius hominis. Deus enim Christus est Dei filius et hominis, qui solus de caelo descendit, immo qui et solus ascendit. Caeteri (k) autem qui in ipso sunt, unum sunt, et

(a) Mansius *Theonecti*. (b) M. infideliter *precibus*. (c) M. *omnes* pro *eam*. (d) M. *ministraverit*. (e) M. *nos*. (f) M. *quod*. (g) M. addit *est*. (h) M. *in dando* flagitiose. (i) M. *meruerunt*. (k) Mansius lacunam heic frustra facit.

iam diversi non sunt, sed eius membra sunt. Et ideo solus ascendit, dum ea quae in se sunt, vel quae . . . habitare in caelo. Nam apostatae angeli, qui in caelo fuerunt, qui a Deo recesserunt inde . . . homines si (a) Deo adhaeserint (b) in caelum (c), sublimabuntur: quod immo de beata Maria dicendum est, quod prae cunctis mortalibus in ea mansit Dominus. Et ideo in ipso eam manere nullo modo diffidimus; de cuius etiam (d) corpore corpus assumere dignatus est, eam sibi membrum coaptasse non dubium est; et cui prae omnibus adhaesit in terris, ipsam sibi prae cunctis applicavit in caelis. Corporis vero eius (e) iam factam resurrectionem affirmare minime audemus, quia nec a sanctis Patribus hoc declaratum esse cognoscimus (1). Denique in valle Iosaphat eius sepulturae manet locus, ubi tamen eius non repperitur corpus. Sed qui de ea ineffabiliter carnem eduxit, ipse quid (f) de eius sit corpore novit. Tamen sive in corpore, sive extra corpus, super choros angelorum in caelis exaltatam confitemur: si enim veraciter omnes iustos resurrecturos cum propriis corporibus quandoque credimus, eosque in aëra occursuros Deo, et sic semper postmodum cum ipso mansuros confidimus, secundum quod beatus Paulus ait apostolus; quid mirum si matri per quemdam miserationis effectum Dominus anticipando praestitit, quod omnibus in fine saeculi sanctis donabit, cum mortalia corpora immortalitate induerit? Denique scriptum est: alia claritas solis, alia lunae, alia stellarum: per claritatem namque solis resurrectionem apostolus docuit Salvatoris, de quo scriptum est: vobis, qui timetis Deum, orietur sol iustitiae. Per lunae intellegere possumus etiam matris suae: nam sicut luna a sole praecipue inter sidera illuminatur, sic et ipsa a Domino inter caeteros iustos divino procul dubio lumine potius inlustratur. Cum vero stellarum subiunxit, caeterorum sanctorum resurrectionem innotuit (g). Sequitur: sicut stella a

(a) Mansius *in pro si*. (b) M. *adhaeserunt*. (c) M. *in caelo*. (d) M. *tantum*. (e) M. *sui*. (f) M. *quod*. (g) Sic p. 17. v. ult.

(1) Intellige antiquos patres; nam paulo recentiores, veluti Gregorius turonensis, Idelfonsus toletanus, Fulbertus, Petrus Damianus, Petrus blesensis, Andreas cretensis, Ioh. damascenus id adfirmarunt, uti observat Benedictus XIV. in tractatu de festo assumptionis B. M. V. cap. VIII. 15. Pergit ibidem Benedictus docte more suo rem aliis locis theologicis confirmare.

stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum: nam discretio vitae varietatem gignit resurrectionis. Poterat forte resurrectio Dei genitricis praecedere aliorum anticipando, quos per vitae meritum in terris praecesserat vivendo. De morte quoque ipsius nullam fingamus dubietatem, quam et in sui filii cognovimus humanitate. Morti tamen subcumbere diu non meruit, quam, ex ea sumpta caro (a) iam resurgendo devicit: nempe cuius filius caelos ascendit per maiestatem, matrem illuc (b) assumere poterat per pietatem. Nec dubium est ei (c) suam impertisse gloriam, eamque totius mundi constituisse dominam. Nam qui patrem et matrem··· implere ... scripturarum exemplis possumus (d) adprobare ... igitur sancta Virgo adepta est dignitatem, dum Dei meruit effici mater. Virgo peperit puerum, mulier genuit Deum, Spiritu sancto gravidata est, auctore mundi fecunda (e) est, super choros angelorum in caelestibus (f) exaltata est, quo nos pius (g) Dominus, eiusdem Virginis interventu, perducere dignetur, cuius etc.

XVIII. IN DECOLLATIONE BEATISSIMI PRAECURSORIS CHRISTI IOHANNIS.

INEDITUS. Magnificum Iohannem praecursorem et martyrem domini nostri Iesu Christi, cuius natalem diem hodie celebrat orbis, sanctum effudit uterus matris; sicut scriptum est, prius quam te formarem in utero, novi te; et ante quam exires de ventre, sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te. Quam sanctificationem tanta custodierat abstinentia, ut nulla paene vitae eius adhaereret peccati macula: nam vinum et ciceram non bibit, et omne inmundum non manducavit. Elegerat insuper habitare desertum, ne eius vitam populi saltim pollueret conventus. Verbum Domini advenientibus continue praedicabat, quibus recedentibus iugi orationi vacabat: cuius cultus humillimus, vestitus asperrimus, cibus vilissimus declaratur: legimus enim in evangelio quod habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliciam circa lumbos suos: esca autem eius erant locustae et mel silvestre: et erat in deserto praedicans baptismum paenitentiae: qui suae praedicationis

(a) Mansius *carne*. (b) M. *illius*. (c) M. sine *ei*. (d) M. *possum*. (e) M. *foecundata*. (f) M. omisit *in caelestibus*. (g) Deest *pius* apud M.

gratia, mirâ usus est observantia; ut quod praedicabat, ipse prorsus ageret; et quod iubebat, impleret. Baptismum praedicabat, et ad se venientes baptizabat. Paenitentiam docebat, cuius in se normam ostendebat. O quantus vir iste, qui angelo nuntiante conceptus est, et ab ipso matris utero sanctificatus est! qui semper deguit in abstinentia, et aliorum quasi propria flebat scelera: qui viam Domino praedicando non cessaverat praeparare, et pro veritatis praeconio caput non est cunctatus amittere: cuius etiam in tantum sanctitas crevit, ut a conpluribus Christus esse crederetur: quod humilitatis custos adeo refugit, veluti si ei venenum propinaretur mortis. Se vocem confessus est clamantis: Christum post se venturum esse praedicavit, quem tantae praedixerat auctoritatis, cuius calciamenti corrigiam se ad solvendum non aestimaret idoneum. Adsertor veri, quem nec humanae laudis iactantia conpulerat proferre mendacium, nec tyrannicus pavor a veritatis poterat retorquere testimonio, nec reginae adulatio fecerat palpare flagitium. Herodem a fraternis thalamis prohibendo, ita ipsius . . . adulter . . . non licet tibi ut habeas uxorem fratris tui adulteram. Hinc diro retrusus est carcere . . . talis fama cessaret. Christi tamen athletam quanto magis affligebant vincula, tanto magis detestabat inlicita. Novissime tandem capite truncatus migravit ad Dominum, qui veritatis non passus est celare testimonium. Veritas enim Deus est, quemadmodum ipse ait in evangelio, ego sum via veritas et vita. Qui enim veritatem non metuit celare, Deum quodammodo nititur occultare: et qui pro eius testimonio hic affligitur, ab ipsa quod Deus est in aeternum coronabitur. Fugiamus itaque, karissimi, mendacium, eiusque simul patrem diabolum. Veritatem imitemur, quam a Deo processisse confitemur. Ipsius meritis et intercessionibus hoc impetrare valeamus, cuius hodie festivitatem omnes pariter celebramus, praestante domino nostro Iesu Christo.

EDITORIS MONITUM.

Ut omnia Attonis iunioris, quae sunt in codice vaticano, inedita scripta divulgàrem, restabat Polypticum bis ab auctore scriptum, primo quidem obscurissime, ne videlicet ab ἀμυήτοις intelligeretur; iterum paulo planius, quae secunda scriptio abs Iohanne Mansio ex hoc eodem codice excitata fuit. Prior scriptio nullis in codice declarationibus illustratur; altera glossis scholiisque stipatur, quae partim Mansius luce donavit. Ego vero priorem nunc editurus, glossas etiam et scholia e posteriore sumpsi, sine quibus inutilis mea foret editio, quia nihil prorsus liceret intelligere. Causa autem obscuritatis non una est; nam et barbara atque abnormia insunt vocabula, et metrum saepe poëticum impolita ratione cum prosa miscetur. Sed nihil aeque hoc scriptum obfuscat et obruit, quam perversa dictionum positio, quas auctor sponte extra omnem loquendi regulam solet disiicere. Unum pono exemplum ex capitulo extremo: hanc unde congruit Augusti caveat qui potiri censuram ut nomine parat. *Quam perversionem in polyptici scriptione altera sic auctor emendavit:* unde congruit, ut qui parat potiri nomine Augusti, caveat hanc censuram. *Porro Attonem mirari liceret stilo ad miraculum obscuro nunc utentem, qui in aliis lucubrationibus tam est perspicuus, nisi nos Virgilius grammaticus, a me nuper ex neapolitano codice editus, commode doceret, unum hoc esse ex ·XII· latinitatis generibus, quae ipse enumerat in suis epitomis, et in didacticis quoque epistolis non semel commemorat. Hoc autem ab eo dicitur* inusitatum et mysticum *latinitatis genus: et quidem in secundo epitomarum capitulo, ubi de scindenda oratione disserit, complura auctorum exempla profert, quorum prorsus institutum Atto noster secutus est. Causas quoque scinderationis (ut ipse loquitur) scribit Virgilius, quas inter illam potissimam,* ne mystica quae solis gnaris pandi debent, ab infimis ac stultis facile repperiantur. *Sed iam lectorem meum ad praedicti grammatici librum ablego, iuxta quem aliud quoque vetus opusculum arcana latinitate compositum, cui titulus* hisperica famina, *typis vulgavi. – Est Attonis polypticum satyra quaedam seu censura suorum temporum, praesertim adversus principes, quorum ambitionem et cetera vitia late castigat.*

ATTONIS IUNIORIS

VERCELLENSIS EPISCOPI

POLYPTICUM (1)

QUOD APPELLATUR PERPENDICULUM

CUM ANTIQUIS GLOSSIS ET SCHOLIIS.

INCIPIT EPISTOLA.

REVERENDO IN ME [a] FULANO (2) VALDE PRAESULI.

Fulanus [b] cupiens me sic beatum instar felicissimi opilionis Silvestri summi exitum. Mortuus aliquibus, sed mihi nec emortuus, vivus immo mihi vividus es; mortuus, sed vivus immo (3). Huius labyrinthi (4) iter currentes, aut qua insistendo vitare voraginem edoce, aut quo salubres sublati adtingere possint delitias. Quae sentio in hoc cernes. Sed sic ego quae et tu conparantur (5) cantabries (6) ut pollini (7). En quae ego, tu quae feliciter redde [c]. Amen. Explicit epistola.

ARGUMENTUM.

Non chaos explicant sophistae bombinare (8) laevum exsequar assiduum orbi, non ocia hoc calamo concussa pistico, nec osilla pinsabunt. Fessus iam hinc perpen-

(a) Quantum ad me, id est in mea conscientia. (b) Scilicet ego. (c) Restitue, meo videlicet libello responde.

(1) Polypticum est multorum descriptio. Non enim specialiter tantum de uno loquitur, sed plurimorum corripit vitium.

(2) Fulanus apud Hispanos loco unius cuiusque proprii ponitur nominis, cum nomen deficit.

(3) Sic Atto etiam in secunda polyptici editione. At Mansius infideliter *in me*. Reliquos Mansii multos errores et a codice discrepantias redarguere non vacat. (Editor.)

(4) Labyrinthum hoc loco istud saeculum appellat.

(5) Conparantur, aestimantur. In tantum quidem unus doctiorem se vult ostendere, ut suum scire, illius conparatum sapientiae, suum nullius utilitatis diiudicetur esse.

(6) Cantabries sunt tenuissima purgamenta, squamarum similia, de superficie humanae cutis cum pruritu exsurgentia in locis pilosis, et magis in capite, quae sine aliqua exulceratione defluunt.

(7) Pollinis species est farinae tenuissima et praecandida bovino corio setacta. Dicitur autem pollinis eo quod ceteris speciebus farinae praepolleat.

(8) Duorum sequentium versuum perierunt in codice glossae et scholia. (Editor.)

diculum (1) ponam, non aciare [a] cuius vocem conpescere poterit, nec attica (2) iu rumine (3) zema. Explicit argumentum.

1. Huius aevi langor est, et quaeritur: pestis est, et omnimodis ambitur; quae arridet in accessu; cum serpit, delectat: in cuius adhulescentis labor ingens est; cum intumuerit, prosternit; et cum recesserit, blasphematur. Solet enim clientes suos, ignobiles; spernentes autem se reddere gloriosos. Nam hoc mirum, quia cum hactenus paene omnibus sese appetentibus ruina extiterit, nec arrogantes adhuc deficiunt, nec elevandi acerbitas moderatur. Praestantiores se quidem veteribus fallentes [b], quos provida censura adeo segniores accusat. Horum igitur fasces si enucleari gradatim initientur, dignum iudico praenotandos, quos rigentes sertae [c] exhibent redimitos. Num chronici fraudant [d] hoc, qui praesertim summum vae [e], et ipsorum omne concrepant oche [f]? Haud agmen [g] perstrepunt, qui perplexum gradiendo perrecta callem rubrica (4) induxerint sequaces. Eorum quamvis inextricabilem pingant tesseram [h], qui durantes [i], nec vixere superstites, nec iocundantur miselli (5). Sed nec gestorum nunc facies [k], nec eos adnotare privatim [l] autumo sincerum [m], musta [n] nunc etiam quoniam aetate pupilli [o] clara vident, et a suis patribus ructata frequenter hauserant haec, et certius inculcata restringunt [p]. Nequitiae membra [q] nunc iam praelibatae [r] in promptu est censere, secundum quod cura perlambens [s], repraesentaverit hypocondria stilo [t].

2. Tale quod resolvimus [u] discrimine trino scanditur fastigium: quidam et adiciunt assem (6). Numinum aut cum praeses [x], claris quem nutibus signat provehere, calat [y] omnium vox: vel cum eadem unum, aut cum parentis valido iure fas est perfrui throno, improbus aut labor, et cum vaesana triumphis proelia conveniunt propere trucibus alteri insurgere, quem iam cantaverat praeco, profanis dum coniurati manibus execrabiles favent. Quid? Paenitus exinanitur aemulus, cuius beneficio primi ditantur velites. Nec intemerabile foedus poscunt (7), in quo herilis capiat dulce-

(a) Ferrum durum. (b) Mentientes. (c) Coronae. (d) Negant. (e) Calamitatem. (f) Iocunditatem. (g) Multitudinem. (h) Scribunt numerum. (i) Asperrime viventes. (k) Qualitates. (l) Nominatim. (m) Iocundum vel prosperum. (n) Nova. (o) Pueri. (p) Memoriter tenent. (q) Species. (r) Praedictae. (s) Cogitatio percurrens. (t) Praecordia reduxerit descriptioni. (u) Discernimus. (x) Sector potestatum. (y) Vocat.

(1) Perpendiculum hunc vult appellare libellum, in quo noxia redarguere, et honesta sancire disponit.

(2) Attica zema, graecisca sorbitiuncula. Graecia siquidem habundat pigmentis, quibus zema saporatur.

(3) In gutture. Rumen enim pars gutturis est, unde et ruminare.

(4) Linea rubeo colore pertincta. Id est qui sic sapienter in saeculari honore feliciter vixissent, ut suo exemplo posteros instruendo beatificassent.

(5) Miselli, mortui. Antiqui enim felicem tantum vitam, vivere dicebant; lugubrem vero, durare. Sic defuncti tempora recensentes scribebant, qui vixit tot, duravit tot.

(6) Assem, id est unum, quod est etiam et quartum discrimen. Tribus enim si unum adicias, profecto iam quartum erit. Quod supponens, ideo ait quidam, quia hic quartus ascensionis modus plurimum displicet sapientibus.

(7) Quaerunt inducias, ut securi aliquantulum a militia vacent.

dinem somnus. Sed interim remissum iuvat traducere tempus, et potiri placito adeptis iocundos, ambo per adversas principes terreantur [a] ut lites [b], audeant ne milites contra exippitare [c] potenter, vel negare [d] quicquam miserabili [e] restat nomine, ut tantum vigeant principes, ut sint potius immo nec privatae rei compotes. Secreta tum has sociis ruminant strophas [f] rependere sedulo cura. Nec taedet quapropter olivis [g] clanculo sese frequentare ramis (1), per veredarios (2) muciant [h] cautos, qui ne fribole quid, sollertes per quod milites prima instigentur indagine fulti; externos etiam duces, et conibentia rogant, et xeniis cumulant, propere et macta deponunt [i]. Cur nec dum extorta pollicetur extimis fortuna potentum, quam praelibare sequestres [k], vel strictim hii gestiunt auxilia (3) suos ferveant ut eorum secum edomare superbos: desides vel si torpeant sua tunc saevire per arma, subsidia oppressis denegent, nam saevient ipsi. Specimen praeterea restat doli, quo eliduntur affusi in imo tribuni [l]. Horum milites auras cum regias captant blandas, indeque onustis ad propria redeunt humeris, muniatores dictati [m], arbitros ipsorum dominos, nec etiam in largiendo ferent beneficia primo sarta sint, si se duces an larga praeponent. Faenerant inmunes et a proprio [n] alterius sibique fidos detrimento provehunt. Qui sumunt per quos praeferunt, sed non a quibus [o]. Hos separat si fors, aut in unum ipsi ab alterutro melius, quae donec iu alterutrum prolata silerent. Quos explorare quidem statuunt et instruere sese. Singulas e quibus per domos velut semina spargunt nugas, unde saepe metunt, expedientiaque praesciscunt. Hinc milites primam diluunt [p] dominis, firmant iam servare secundam, quae deerit principibus fidem. Tum se infamia notant, supplantant dominos, nec deierare supernum respuunt. Sic foeda cupidine infecti, levia [q] praestare maestia [r] quandoque sperantur, periculi quicquam fors ut cumque si differt ingerunt ex proprio, et aemulando [s] prosternunt.

3. Scabrosa per exesum addunt igitur principes, vadosaque munire cuncta (4), ut queat ignotum quis nil traducere sibi. Praevalidaque cui munimina extant, obsidibus aut premunt, aut eximere nituntur. Infide si forte quorum fundum credas committere tuum, ut servent tibi, aut hominum si titulum ipsorum cures imponere ullum heredibus, hunc propriis elogium (5) tenent metiri iam inde dotatum; e cunctis utile sibi vin-

(a) Interminentur. (b) Inimicitias. (c) Id est haro, ut opinor. Et tractum est ab avibus. (d) Vetare. (e) Vili. (f) Fraudes. (g) Namque oliva signum pacis est. (h) Susurrent. (i) Magis aucta promittunt. (k) Internuntii. (l) Defecti maiores. (m) Regis consiliarii frequenter vocati. (n) Immunes a proprio, id est a suo, quia de alterius detrimento eos fenerant, id est munerant. (o) Id est a dominis. (p) Dissipant vel evacuant. (q) Prospera. (r) Tristibus dominis. (s) Implendo scilicet periculum.

(1) Videntes enim principes, suos admodum sibi velle dominari, eligunt se potius quoquo modo pacisci, quam subiectorum iniuriis taliter tribulari. Et quamvis mutua ad comprimendum eos auxilia sperent sufficere, sed tamen externa quaerunt sibi suffragia sociare, ne illi postmodum suum valeant in auxilium invitare.

(2) Veredarios, legatos. Veredarii siquidem sunt legati aliquid portantes, a vehendo dicti.

(3) Solatia. Auxilium, praesidium, et subsidium, hoc inter se differunt: auxilium est quod ab exteris datur: praesidium quod loco utili ponitur: subsidium quod postea supervenit.

(4) Statuunt quidem castra in praeruptis montium, sive transitibus fluminum custodes etiam constituunt, ut nulli, se incognito, transmeandi pateat accessus.

(5) Elogia dicuntur ignominiae sive notae criminum. Alogia vero dicuntur convivia; bene, quia antiqui silentes et quieti prandebant. Moderni vino iu conviviis utentes, cum quo non est fas custodire silentium, quaerant inter po-

dicant, quicquid est, neque dispergere possunt partem in eos, qui saltim paraverant olim. Concilii quin arces struunt, ut sit incursio nequa, terreat quae ipsos, sed meditata tranquille reddere cuilibet valeant inibi. Aumatia (1) in qua statuunt et tristega conponunt. At postquam labentes perfixerint solide plantas, iurgia tum procerum animos inter digesta reponunt, adversantium seque utrorum adfirmant esse socios. Quod quoque perverse fingantur infidos ei, et aemulis aemulos accusant plagiatores (2) semotos arguunt crimine tanto, pharetra (3) ne pandatur iniqua, mordeat et quemquam fore indifferenter ingratum [a]. Accitos canunt praeclues, discidiumque perdurant contestando sacris [b], ne simul ad pristinum (4) redeant cum ipsis, donec in imo versentur. Non sequestrantur et ipsi indices [c], haud secus et hos revolvere nitentes. Tunc crinibus [d] plaudit Alecto.

4. Versutus at vafer has si quis praesenserit curas, susurret deserta fuerint haec si et infecta valebit, non insontes luant, quos nec censura [e] fatigat. Premitur tum horrore bronchus [f], et exilis ad auras stridentibus evadit vox postibus [g], lividisque pupillis, praestigiis urguens politis [h] edicta fulcire. Stigmate hic veri rabido notatur adsertor, ut discerpenda quantocius praeda. Mastrugati (5) intentant cum scorpiis tragelaphos (6), quomodo Parthi, praevius et gradiens leti captaverit auras, agmina se duce tunc pecudum contorquens per aëra fugat, inputat arcitenens, quod cui prostrati quisque fuissent non omnes, blasphemat imprecans solum quem et conpescere fatigat, valet si ducum sic, qui cognoscere fraudes protulerit in medium. Abscidibus et camuris consonos mandant plastis caelare coruscis, martisiis (7) intritisque (8) frequenter, et hemistibus (9) advocant, ut sese condito dum sunt, resolvant: affatim [i] et quibus insuper horridulis [k] student discludere [l] duellem, dum sibi talenta de cruore trahunt, aut quae quos pessum dant relinquunt. His provectum [m] donec, sed aliorum de iactura, ministrant. Ex quibus fortunam sunt etiam sibi qui aemulantur alio-

(a) Exosum. (b) Iurando per sacra. (c) Auctores. (d) Serpentinis crinibus. (e) Lex. (f) Bronchus eminentior pars gutturis. (g) Dentibus. Postes vero oris, dentes sunt. (h) Affectatis. (i) Minutatim. (k) Turpibus. (l) Imperire. (m) Aucinoeam.

cula quod dia poëmata narrent. Ante inventionem etenim vini neminem legimus in prandiis fuisse locutum.

(1) Aumatia loca sunt secreta in theatro. (Infideliter Manutus *humatia*. Editor.)

(2) Deceptores. Plagiator autem dicitur ἀπὸ τοῦ πλαγίου, id est ab obliquo, quod non certa via gradiatur, sed pelliciendo dolis.

(3) Pharetram nunc dicit dolosam mentem variarum baiulam insidiarum.

(4) Ad priorem amicitiam revertantur.

(5) Mastrugis vestiti. Mastruga namque vestis est ex pellibus ferarum; et dicta mastruga quasi monstruosa, eo quod qui eam induunt, in ferarum habitum transformari videantur. Apta venatoribus, at maxime sagittariis: nam ferae tali specie deceptae, facile ab ipsis propinquantur.

(6) Tragelaphus idem est, quod et platacerus in deuteronomio; animal latis cornibus, eadem paene specie ut cervi, villosos tamen habet armos, mentum prolixum, barbam hirsutam. Haec etenim animalia iuxta Phasidem sunt. Latine hircocervus.

(7) Martisium est cibus in mortario factum, unde et nomen adsumpsit.

(8) Intritum siquidem similiter cibus est, ex pane arte cocinaria praeparatum. Panis quidem in aqua mittitur, et illic aliquantulum donec totus infusus sit, relinquitur. Postea vero ex aqua sumptus, in mortario pilo resolvitur: et sic oleo et modico melle pigmentisque permixtus, in lebete igni adponitur, donec debitum perducatur ad usum. Dicitur autem intritum quasi contritum.

(9) Hemistes vasa sunt, quae uno tantum spiritu bibuntur.

rum indeptam, fatigant his cassare eos praestigiis, inlices [a] ostentant luctus, quod et fixissent [b], depromunt aerumnas principes illis, qui auxerant ipsos, excludere quos et dignum produnt, et haec vindicare repulsant, disserunt et validum [c]. Illi dum hoc perpetrare nituntur, exquirunt modos tales potius ut amphifarii dictant. Si nactum expectent qui elidere, duces iam unde valeant. Quaerunt tum inde proventu. Sin sapide, cautos ipsis ponunt reducere sese. Et socios exponunt machinas quibusque resolvunt. Ab aliis et docent in his primum, et mox se refugisse vocatos, ut proderent ad eos, sibique adtribui fidis exposcunt, quae possidere rebelles, proditionis maneant dotes, ut et periuria fraudis. Prospectant interea ducca, cedunt tunc quae et revellere prisca, dum abrasae [d] dimersis subpediae [e] fuerunt procinctis, et his qui sollertia vigent: tum detrimenta luunt et ii, tristique successu extorres efficiuntur a commodis, nec vegetantur ab ullo. Vicissim eiulant, titulus nec deerit facinoris, quo instigetur aerumna ut caeteris, heu pro dolor ambrones (1) quem propalavere rapaces.

5. Tunc etiam obicitur caeterorum his nex atque ruina: fomenta scelerum accusant, duces hos fecerant, et qui foeda per omnes pudet, sed neque redigere conantur traductos [f]: haec tantum odia sed ut inicere possint. Acerbam fama diducit avem quandam, quae gliscente calore dum genitali pipliat, alisque remissa blanditur, subvenit generis imparis ei non naturae coniux. Quo patrante foetaor se ut praesenserit ales, insequitur dutats [g], gaudens dissolvere viscera sponsi. Sic duces crassantur in exuviis (2): ut surgant in alterutrum inhiant, ne vana impediatur libido ad omne quod appetit facinus. Dum diversa trahunt inpacati custodes [h] inter se exosi, nec unum sentiunt hini, nec resistere possunt singuli vittati quocumque procedunt, acciat [i] quem urna [k] tantum est expectare. Quemquam spiritum superas pudet ipsum vibrare per auras: ingrata cuique dum quaeque manent auferenda tenentur, felicior proditus qui iam extasset immunis. Basia repudiant [l], nec verentur frustrari [m] natos exules hinc alii. Perstringunt lurida quidem et alii viscera pascemate (3). Sunt et inbertes piramydis, et spelaeon iconis [n] lacunacve spectantes nodum. Restant et quibus fraudatur aspectus titanis, vel quos parentis praecisum nomen inpubes servare videtur [o]. Adimitur pars [p] aliis sensus quae expers [q] baiulat quattuor: alium et revulsa conpescit (4). Hic sic sopita premuntur odia, persequuntur quicquid de germine re-

(a) Inductos, vel fictos. (b) Firmo animo stabiliscent. (c) Possibile. (d) Evacuatae. (e) Auxilia. (f) Publicatos revocare. (g) Coitu copulata; dat namque mutarum animalium coitus e t. (h) Provisores; nam custodes ducum, proceres esse solent. (i) Advenet. (k) Sors. (l) Coniuges respuunt. (m) Frustrari nati videntur, cum a superstitibus parentibus quasi orphani relinquuntur. (n) Sexum concretum, quod ad vocem elementis imaginem reddit. (o) Abscissum vocabulum patris videtur retinere imberbes. (p) Caput. (q) Experiens, probans. In capite etenim aut adprobantur aut reprobantur.

(1) Anthropophagi. Propter nimiam crudelitatem isti etiam ambrones appellantur.

(2) In spoliis. Sicut enim praedicta avis coniugis foecundata semine, eius quaerit saturari visceribus; sic duces procerum magnificati invamine, illorum quoque cupiunt invari substantiis.

(3) Pascema panis est aegyptius permodicus, quo ipsius loci monachi sustentantur.

(4) Reprimit. Dicit namque alios relictis uxoribus et liberis exulare; alios postposita saeculari vita, monachicam eligere; alios carcerum suppliciis colla submittere. Plerisque lumina adimuntur, aliis virilia absciduntur, interdum etiam capita amputantur, quae quattuor sensus baiulant: et revulsa quintum, id est tactum, mortificant.

stat. Merito nam quidam persolvunt poenas, sed furibunda cupido dum fruitur sontibus, nequem donat excipiendum nefas saevit in abruptum probos ecfrena per ipsos. Insignes et postquam hiare diruti compendio [a] frenant, derisores eorum implicantur taediis. Et qui ipsos irrita quondam abdicaverunt fida, tum seducti quaerunt dextras, quas prius iocunde praeditis committerent dominis, foedera si prima servassent, praediis iam nullis facultatibusve dotandas. Eugenes hos et si origo protulerit, nequitiae continui ni parcant orsi naufragos ire post se cogunt albis pedibus (1), at causantur dediticii [b] ut vel inviti suppleant, spoponderant quod foenerati [c].

6. Arbitri [d] quid eligant? quos nec spectata referre, nec spectare iuvat tomis inserta vetustis. Heriles inductos intentant nutus, et sic iura concinnant nummismate infecta, iustitiae ut neminem faceta lanx exaequata trutinet. Indicitur nec omnibus eadem lex: sed quamvis feriat quem diligunt, ipse exiet indemnis, arcuset et excludunt si quem, fortunamve tenentem, insidiis aut vi fractus subcumbet abactus. Nec una saepe durans censura respondit sententia in idem, arguit quae nunc, iterum mox laudibus inflat, profanaque rursus eadem insuper et deteriora proclamat. Arduae ast arcis proterve conditor, quin [e] laureatus solio nixus elevatur opimo, foetatur [f] et rudibus residuam eludere syllogismis cohortem [g], iubilat summa si quos eximit dies, dum caducarius [h] intret: et quae superstant ab ipsis viduis, nec optio datur maneant si sic, aut quibus ni redimant sese biviras praeparent: quorum ab inmeritis connubia, aut mercantur egentes, aut erigunt regia inepta clientes, dubitant qui nec obfuscare [i] privignos, nec prodigas excludere matres (2). Turpibus interdum sumet insignitas litostratam [k] figuris et dux usibus in aulam. Deinde privatim degere qui superant consules, et caeteros cogit: productos explodit indigenas, dapsiles nam sibi aperat egenos, curulibus advenas et iactat electis. Et sacra vel cives tantum mamona sequestrante si bnccos [l]. Obsequia celebrent, ut potius pareant et iussis per omne. Magnalia nec iacent haec nobis genuina prosapia fulit. Qui plaudunt attoniti, rutilet ignari per trabeam, sed quid nec praetexta docuit. Obsius (3) hos fallit, et quem a nitro expulit cauma licorem (4), solent praeferre lapillis indicis Caucasique, et dum chiliartica [m] tollunt insignia, noscunt nec coaptara secunde [n].

7. Hos cumque plebs consulit, barbaricas frendentes premunt rudere [o] sequellas [p]. Fastidiunt quid reboent leges, suique fragore barritus perterritant subditos; successibus

(a) Utilitate. (b) Obligati. (c) Munerati. (d) Iudices. (e) Revera. (f) Suis perversis cogitationibus adimpletur. (g) Populum superstitem. (h) Eventicius heres. (i) Dehonestare. (k) Parvulis crustis ac variis tessellis elaboratam. (l) Garrulos et stultos. (m) Millesarius qui mille militibus praeest. (n) Copulare ordinate. (o) Inutiliter loqui. Rudere proprie asinorum est. (p) Mores.

(1) Aut discalciatis, aut albo corio contectis. Calciamenta quippe nobilium de denigratis coriis fieri solent.

(2) Postquam omnem substantiam, tam suam quam etiam filiorum in proprium usum expenderint, tum eas abiciunt, ut alias si fieri potest nobiliores vel pulchriores aut etiam ditiores ducant uxores.

(3) Genus est lapidis translucidum, et reddens imagines.

(4) Tradunt qui de vitri natura scripserunt, quod ex cocto nitro et littorea harena, eius sit reperta materies. Dicit eos novitate honoris adhuc incogniti, nec vilia contemnere, nec eligere pretiosa.

et primum ignotis gaudent traducere pompam. Ut vero fortunae coeperint inspicere mores, foris [a] licet perendinent [b] curas, sed inspicatur [c] sub pectore vulnus. Fuleribus [d] sic post quam altis se dedere quieti, silentii fructum summi nec capescere dator. Stephadium (1) suspicinnt, tum et sub divo frequentantque clepsydras (2) lucubro [e], etsi metiri fallantur. (3) Fluctuant his animi, dum insuete rimantur, fortuitae nunc opes, nunc et ruinam expavent de gratia, ut praecedentes docuere tranquillam dum crederent pri ◊ cipis. Nec veniabila ducunt quod praeterira, nec ullus excusat modus, dum ipsis ab inmeritis vilicis nt servitus excutitur quaeque. Auctoritas suo excusat neminem et sedis inde respectu, fugat nec contumeliam doxa, dignitas quos contra priscorumque ratardant caelatas catalogis eulogiae. Parant obducare dedit si origo naevum, et emicare auscepta de dignitate solum. Hoc stimulaut sese: sed dum conscientia vexat degenaris propaginis animos, quos artius implicat terror, procacem revolvunt dominum, praedecessoresque retractaut axconsules, speculantur et quas subagere pervasa, et exire [f] metnunt, mutuis unde poscunt se sodales * . . . minaci perficitur: diutius dum iam securitas lapsum praeparat incaute, ut didascala fingit series. Exlucidant coupacta nae, dum in glomere cogant ad unum inductos milites, ut sit ne exul et quaerat qni obsistere uaquis. Una cum facie prorumpunt incensare ducem, indulgent cui, castam et si recedare licet servant fidem. Lentiginem [g] obponat populo, si forte vel iumurmuret vincilibus [h], quem etiam conpensare suum silere conpellent, obducunt vel luci moleste, et acerbum experire cogunt iter, et ignota lustrare (4) saecula. Hinc animis effluunt prostrati, eveniunt conpotes dum cadnearii regis. Caltudias [i] unde saepe colunt ostantando superba, et alogiis [k] nibara [l] sese carchesia libare conducunt [m]; calbas [n] et ad invicem tribuunt, et semicinctia reddunt sabsea bullis gravata coruscis. Ingeminant rursus fide se viucire novella. Alterna sibimet mutuo dant prosapia nymphas, et piguora vicissim delubro [o] excipiunt, clientala servanda arrhaboue tali, nt vel conpacta persistant. Caeteri spirituum dominum, fidissimorumque iurando eius testium per urnas (5) polito caelatas in ofaz [p]. Igitur inter se patriam gantamque distinguut, evertunt inopes, et temerari sacra quaelibat hand odiunt.

* Desunt pauca verba.

8. Hericinae autolops (6) fama est, cum coeperit elidere comam implicare neci,

(a) Palam. (b) Procrastinent. (c) Pungit; inspicare enim proprie est faces infindere. (d) Ornamentis lectorum. (e) Candela quae lucet in umbra. (f) Scilicet ab honore. (g) Maculam. (h) Vinculis. (i) Dies festos. (k) Conviviis. (l) Splendida. (m) levitant. (n) Armillas. (o) Ex sacro fonte. (p) Auro.

(1) Stephadium signum est in caelo, quod rustici praesepe dicunt. Et dicitur stephadium quasi stipadium; sic enim praesepe prius dicebatur, a stipitibus ex quibus fiebat.

(2) Vasa aquarum, quae iudices habent pro horis nocturnis metiendis.

(3) Decipiantur. Quamvis etenim spatia horarum in his discernere nesciant, sed quia maesticia somnum capere non possunt, haec tamen inquirere illis saltim tranquillitas est.

(4) Circumspicere. Haec quippe omnia periphrasis sunt mortis. Denique si suam considerans culpam, exilium subeat, fortasse quiescent persequentes. Quod si ipsis coeperit crimen innectere, vel si murmuraverit, aut carceri mancipatur, aut etiam interficitur.

(5) Dicit eos laborare ut inter se inviolabilem possint firmare amicitiam, alii per nuptias, alii per comparatica, alii vero quod superest iure iurando per Deum et sanctorum corpora.

(6) Animal acerrimum nimis, habens cornua longa, serrae figuram habentia.

G

et tandem propria se prodere voce. Evenit sic illis sacra qui violare praesumunt. Punitio interea nec cessat, quamvis oblitterata credantur, dudum moleste quae tulerant, vel non si inpetrata fuerint quae inserant, in ipsis vindicat opportunitas. Tripliciter insuper addunt perficere nuxas, fiuxerant pro quibus olim repellere ducem. Praeda supellex et quibus est de qua rarus proclamat curiam, cum sit qui de curia nuciat nemo. Ops (1) longe considerat, nec partem secum in his prospectat (2) buteones [a] quos neoterici stipant, quorum plaudente caterva mucissonem [b] audies velit si opipare cum ipsis, obsoleta veritate proferre. O tempora quae celebrem protrahitis ad iudicem nullum, insistant etsi rustici! Busticeta [c] recolo, sed non quales istos propensi librare prospiciunt rebus consules qui sic cuncta secundis. Symposia dum protrahunt, resonat inflata per urbem, et repercussa modulis fidibusque pulsata productis musica: vox inde canora suppeditat; dat Istria (3) saltus. Invigilant perpetim defecata confundere pincernae vina simul nectare, et caeliam (4) siceramque ministrant, ut fugent parcos, et temulenta resolvant corpora. Prodentium [d] hinc heu nefas cachinnis qui quoque petulcis perstrepunt, lascivas et mutuo instigant se iaculando fabellas. Stupra tunc inlecebrae suggerunt incestaque. Et servi dominis circumquaque bacchantes in his morigerando pernoctant.

9. Sed nec diu perfrui his alicuius sine zelo poterunt, cum sint ordine pares caeteris, et tanta dignitate praepolleant. Nam labor concordiam, discidium insolentia parat. Accelerant semotim pariter, et se unire minores, maiorum in iniuria, sibique deberi causantur plurima quae retinent, et exaequanda castigant [e]. Hii superant agminibus, et toto fervet robore virtus. Maturior illis sensus viget, excelluntque opibus, et moenium sublimitate firmantur. Sed tamen considerant, quod ebullit extinguere invalidum [f] esse, ni statuant principem, sub quo sed se statuere recusant. Consilium ineunt tandem praeponere sibi stolidum, perficiant quae sunt commoda per quem, inquirere nec quicquam illos, qui vel recusare praesumat. Divina cogunt etiam quem haec testare per sacra. Incassum; fuerit nam cumque praelatus, si hebes perstiterit, luctamen deluet nullum. Adicient quin etiam iuvenes priscis iam derogare potenter. Nec dominum excipiant [g], ni segregetur ab illis. Qui contra facundi rudibus [h] infigere deteriora minantur, et exercent dominum, promissaque requirunt, ut surgat in adversos et docent. Quid faciet? Poteritne utrasque vitare ruinas (5)? Sed nec ingenia suffragantur inepto. Restat

(a) Iuvenes. (b) A mutire seu mutire [Editor]. (c) Sepulchra maiorum, quae nunc ipsis mortuis p...t. (d) Manifestantium. (e) Monent. (f) Impossibile. (g) Exequant, scilicet a minis vel a derogationibus. [sed excipiant.] (h) Iuvenibus vel imperitis.

(1) Ops dicitur misericors, eo quod libenter opem ferat.

(2) Speculatur; nullam namque partem in his prospicit, quam in se recognoscat, cum illos crudeles, se misericordem intellegat.

(3) Locum pro habitatoribus posuit; ex ea enim provincia sunt homines nimiae atque incredibilis velocitatis.

(4) Caelia est potio ex succo tritici per artem confecta.

(5) Pernicies ab utrisque, partibus pollicitas. Minores minantur principi ni segregetur a

ut osores effugiat, vacetque privatus. Ignavum si vero se primum propalaverit arte, eluceat, et protinus prudentia diademate in quo favente odia perterriti clanculo tum sopire procurant, rursus et in unum se reducere mussant, huinsce pactu queaut herilem ut iterum retexere pestem, quae (1) cognitione clara nec poterunt delitescere duci: quas abulere nugas parat cum nugacibus una. Quem etiam adverse solio et ipsi gestiunt excludere ab aucto [a]. Impediunt quos plurimum quae praecedentia (2) ducem informant, arbitrentur ac si verenda haec et dumtaxat semet opinentur deficere in ipsis (3). Tunc quoque gazas dirigunt heroes eminus conducere sibi. Hinc augenda tenent solatia [b]. Extimum quin etiam atque robustum inde promovere parant ducem, et submittere colla. Tum quidem * . . . suffragia, et primum per vicarios si non fuerit fas celebrare conventus, quibus digesta differantur si haec imperfecta paulisper deficient.

* Desunt verba aliquot.

10. Praesidis interim nec cessabit praesentis concursus saevire furor, torpebitque depascere sontes. Perpetitores [c] in supernum aget eiuius hostire [d] subversis. Et si subvenire parent his olim producere [e] quos saepe salutandu tentabant; hoc primum labentis ut famae sibilum persenserint, immo declinant, vigentis referunt et ducis ad aures ipsius, quod a propriis fuerit militibus pestis ad ipsos exquisita nimis, quorum animus poterit persuadere nullus, et caritate relicta inficiunt quae metus deluerat. Talibusque figmentis foenora [f] expectant eius a latere, quamvis praerogativas dudum his proceres infidi promiserint, quae sunt deierando mercati. Porrigit sed pauca providus quibus dux, arguitque modestus, maturius haec nobis vestra si panderentur a parte dum caeca laterent, iuvaret; quorum et invalidos despectat artus cordaque tabida subsannat. Externi sunt etiam alterius principes militum qui cum lamenta per latores hauserint ad gratiam prisci seductos ne quando redeant ducis ilico firmare deposcunt; subvenire quibus, et pari mox ratione confirmant. Legatos ad quorum caute dirigunt tum et citissime regem, pandere quae milites, sed non quae firmaverant ipsi, ut dona praestet lepida [g], iam quae sunt et firmata caaentur; saeviat inque suos, nec enim sustinere valebunt requiem in ipsis. Et si cumulare procuret quos ad eorum exitium valebit concitare hostes, dum credantur solari; tunc nectunt foedera prolato talione, si expedist. Sunt invadere iterum alterius qui dum principatus rogantur, rugiunt fremuntque et rigida iactant, accelerant incinctum armis ducem et incursare latenter. Sed postquam ultra margines [h] subierint eius, stipatum cernant eum si iam radiante caterva, subsistunt, ab animis frigescunt-

(a) Sublimi. (b) Auxilia magnificanda. (c) Tolerantes, qui sunt et potentiores. Maioribus enim fulti praecedunt magis praevalent adversa tolerare. (d) Aequare. (e) Promovere. (f) Lucra. (g) Honesta. (h) Fines.

maioribus, et suis consiliis adquiescat: at contra maiores admonent ut in minores saeviat, sibique ut promiserat in omnibus pareat. Minores quoque in aliquibus superant, maiores vero in quibusdam excellunt.

(1) Quae neutrum absolutum est, id est quae res. Dicit enim, quia si ante adsumptum honorem, stultam se princeps simulaverit, et potestatem adeptus suam ostenderit sapientiam, cuncti proceres eius pavore clam ad concordiam revocantur, ut eius a se iugum facilius simul excutere valeant: non enim volunt imperantem habere dominum, sed potius obsequentem.

(2) Prioris principis deiectio.

(3) Scilicet in dominica expulsione.

que, et subfugia captant, inde referre pedem. At extare suum licet conspiciant agmen, tranquillos dux illis eminus si angelos gravatos xeniis indicere procuret, disputant inclusi, sese querelantque seductos, et perfidos declamant consules sibi qui conduxerant ipsos, innectuntque fraudes, quos et deserunt, letoque distingunt [a]. Tum et reducere gressum pertemptant incolumes, et adepta solo perferre privato [b].

11. Est raro sed inductus nudo est adgreditur pectore qui ducem expognare dicatum, nec donec desistit adeptus sit orcumve palmamve, aut cum altero belli per cladem dividat, partibusque contenti, in unum coëant foedus, sua quis edomare securus. Proficient qui provocaverant quid milites hunc? Si in discrimine tali supremum efflet, poenae hos expetet [c] superstes. Evaserit et eos si compos, ad id tunc coget et isdem [d], nec thronum extare sibi iam intemerabile ponit, huiusmodi quae fuerant recolens, ni auctoritate priventur. Provinciae sunt quibus praesidet unius princeps, summo tenus et laeserit si quos, hyperiphania turgescunt rumina si quidem, verendum et adeunt protinus diademate trino, incitant auferre, impar quibus potitur dux. Explicent sin poterint, recursum ne habere ad propria et quamvis perfecerint, tandem competentia ferent. Diversas nationum acies sibi praeminens, verbaque diffusa conducet in obsequium, nec vivere parce quae noscitant, sed potiura compilare quaeque, ut prostibuloque matronas addera in sacris (1). Depopulatamque ut patriam persenserint, non statio traducitur [e], diu nam in externis invalidum est continere phalanges. Nec tanto convenit a legione remotum sua quidem degere duci, exili cum ipsis quorum oppido de fide veretur. Ad proprium redit, quod gaudet revisere solum. Deducere [f] proponant quem induxerant, qui eum si forte sollempne exilium eligant lugubre iugi confusione manente, ruinae sin potius ignominiosae linquuntur. Milibus inferior praesentis [g] interea patriae dux exulat vel profunde moenibus obstrusus praevalide vel residens eiulat urbis. Sed cum optatam diem discessum noverit hostis, in aciem disclusos convocat, clara quos signaverat fides. Primipilos instruit, et debita conferre disponit cuique laeta fidis et acerba sinistris. Summe qui tyrannum acciverant prae se, multatio his, et poena adicitur supplicium inde. Nec solum exosor dux est, sed et agmina figunt odia, pertulerant quae contumelia, tantum nec illis, sed et ipsorum conantur pariter egestare [h] minores, hoc totum gradatim aetas donec demoliatur in annis.

12. Et superest hos funus si forte praecidat in istis, labenti ut aevo valeant nec gratulari futuro. Non deperit quapropter vitium. Insurgunt alii, et rursus rotantur in hisdem. Sed quis sunt, qui neque fuerant cirrati (2) laciniam nec prae fulgore vel car-

(a) Destinant. (b) Terra propria. (c) Expetet ad poenam. (d) Ipse. (e) Prolongatur. (f) Seducere prope est amicum abeuntem prosequi. (g) In qua iste aguntur. (h) Ad egestatem perducere.

(1) Etiam in sacratis locis, hoc est in ecclesiis. Pro nimia enim multitudine hostium quia castra vel urbes raro defendendi adsumunt fiduciam, nobiles feminae contemptis omnibus ad ecclesias confugiunt, ut saltim pudicitiam sibi religionis valeant reverentia custodire. Sed nefandissimus hostis non eas tantum extrahere, sed inibi etiam commaculare praesumit.

(2) Cirrati sunt scholastici a cirris capillorum dicti. Nam antiquitus scholares pueri usque ad adulescentiam non tondebantur.

basi (1) poterant pertingere sophiae; si duces nihil est et quibus sandapila deferantur ad urnam, ut eis indemnem liceat domoitionem [a] perferre manubiis refertis. Inluderis erronee a saeculis prae te [b] singillata [c] confundere sutelis [d]. Exercita foerint vel si effusa, quae promis flocci pendenda, natora et sterilis sua tonc monera linquat. Summati [e] et lixae statum poteris si fingere eundem aetheris, et aridas [f], Cocytique unum [g] prospicee quibis. Officiis quid derogas praesidum? Vales an offuscare quas ipse legerat somme potens labentem sobpetias [h] ut fulciret orbem? Non malachim [i] confiteris [k]? Aut minime plaudis, cui concentus decem miliom virginum dat hostiom ipse trophaeum? Non potius hoc, quam hecaton per phoneoma (2) adsumis? Bis quinis au cui titan oculis gradibus revocaverat cursum? Procanum [l] nec refers templi cobelath, qui et abominanda detersit? Nunc testamentum subeat, et ut in ordine novum, Helenae filium trophicis streouum armis, pancratiari [m] christicolis, qui removens officii iura firmavit. Huius nec dux ore magnus duceris tantis o Theodosi triumphis, qui respuens haereses barbara tu tela fudisti, et fana destruets tutulos [n] et deleri sanxisti, restaret hypogaeum daemonis saltim ne in quo lateret residuum ex sacro quiddam uno sed cuncta militarent auctori. Nepotem aequivocum huius nec extare sublimem reputas inducte [o], prunas pruna qui temperans pruinas iterum pruna (3), et dogmate furorem libidinem domavit, et karitati [p] fidus nec extiterat segnis tristitiae aut cedens subiodius [q] aeterno supplicans quam triumphaverat armis Perficit plebeia quid manus? Singula nec ipsa subsistet ducibus exhausta, quod prima saecula signant notamen facile, et est hinc apponere corac. Seminibus Adae primis validi excreverant artus, et foecunda proles turbas paravit opimas, successibus crebris et raro erescens exessu [r]. Sed praeses instructus defuit rudes erudire cohortes, discrimen undantis lymphae unda vitarent. Abramicus ipse populus, Dei plebs, est actus triomphis, dum stitiosis [s] deguit sub ducibus supplex, quoniam exorbitatus [t] contempsit, exulat

(a) Domum ire. (b) Extra te. Non poteris namque adprobare quae nieus es confirmare. (c) Separata. (d) Astutiis, quasi subtilibus telis. (e) Summates. (f) Terrae. (g) Eundem statum. (h) Setro *subpedias.* (i) Labros regum. (k) Testaris. (l) Procanos est ornator aedificiorum. (m) Omnimodis pati. (n) Tutulos dicebant sacerdotes breviom templorum. (o) Seducta. (p) Deo qui karitas est. (q) Saepius. (r) Exessu, morte. [Malim *excessu.*] (s) Modestia. Stitiosi siquidem dicuntur instituta servantes: unde et superstitiosi qui super instituta observent. (t) Devialus.

(1) Carbasus genus veli tenuissimi at perspicui ex lino. Bene sophia carbaso tegitur, quia nec ex toto latet sapientibus, nec omnino nuda conspicitur. Stultis vera nec ad ipsius etiam veli perscrutationem patet accessus, quia eius disciplinae non susceperunt intellectum.

(2) Hecaton per phoneuma genus est sacrificii. Siquis centum hostes interfecisset, Marti de homine sacrificabat; et dicebatur hoc sacrificium per phoneuma. (a φονεύω.)

(3) Haec omnia per hexegesin in subsequentibus invenies explanata. Nam pruna ignis est adhuc ardens, unde etiam a pruritu dicitur, id est ab ardore, vel ἀπὸ τοῦ πυρός, cuius vis diversas in scripturis habet significationes: aliquando enim significat doctrinam, aliquando iram, aliquando libidinem, aliquando praeceptum caritatis et cetera. Pruina est frigus, cuius nomen ab igne est, sicut et prunae, quia paene unum effectum habent: urit namque ignis, urit et frigus: quod etiam quamvis varias habeat significationes, saepius tamen in malo ponitur. Vere ergo Theodosius prunas pruna temperavit, quia per doctrinam, quam didicerat, iram at libidinem devicit. Rursus pruna pruinas edomavit, quia per ignem caritatis segnitiam at accidiam superavit. Haec siquidem duo vitia bene pruinae comparantur, quia prudentiae ignem minime capiunt: naturaliter etiam in corporibus hominum ex frigidissimo humore id est melancholico nascuntur. (Theodosii senioris vitia haec, verene an potius falso? notat Eunapius ethnicus in excerptis vaticanis script. vet. T. II. p. 287. Editor.)

a limine procul, stirps et inutilis extat hoc, cuius nec solum est sed cuique terrigenae restat, et quid homines notantur tantum, quorum quod praecipuum mente est, cum Deo (1) esse fatemur. Exiguae sunt etiam volucres et providae, quae sollertia vigent, ceditur perhenne quibus et caelibatum ferre per auras, stratilatem [a] quae in se colunt, stratilati et debita reddunt. Alacres quem caeterae si sint, et sospitem monstrant. Cuius etiam rursus si sit pro funere squalent. Discedat a propriis, suas sed si cunctae serias linquunt, cum quo besternas piget eas nec inquirere aedes. Sedulo et cato proficit nempe sub duce popellus, quo sine legio exinanitur instructa.

13. Desine nunc coeptos, et sensibus utere nostris. Sic fabre nunc eos suggillare iuvat pecuatos [b] memet. O quos sat est vestris effusa distrahere hemicadiis (2)! Quorsum? ut possitis fore vel symbolones [c] magnatum. Dumtaxat nugae quorum in talione [d] redduntur delenifici vester pleumon non durat, dum angitur panegyrica videtur tuccetis [e] exprimere solum. Helluones, edulio [f] conclave vos si suspendat ab uno, mox catillando [g] procul ientaculum vel insectari, temetum exteriusque libare, ferculum et inde gyrando, vel obolam [h] in ganea deficiat, si hoc parara curatis, abscessu remota si praeda sit, vel auctoritate privetur. Non crapula differtur, utcumque praegravidus acerbum reppellat dum aqualiculus fascem. Fraternitas in vobis arvalis, quo sola est, fatetur a vobis. Iam quibus sarciam [i], staret ut ne ferendis, sed vergitur quod pectore vulnus haec in tenui licore consumens, hinc foetara [k] bilem non desinit atrum (3). Sarcophaga polinctos [l] quam nunc o tautum capereut vos subgrundaria [m] prius! Et silicernios obtat in istis si pegaso (4) vos protrahi, ad usque non capulum spectat tum sed ora iocunda vispillones et neque sublustrat. Manalibus (5) nam licet validum esset, caeli vobis faciem, non viri est inficere sensum. Rictibus bacchantes quod tristibus cassare minamini verum ad levem aemula ducentes valgias [n] et ora baubatum [o]. Aretina [p] cacabaut [q] ut humida cum bauserint ignem, sic temulentia stultis stitiat in ipsis. Quid taciti respuo nictent, quorum et frigultire contemno, garrireque nauci pouo. Nou diobolaris ad naenias lingua est mihi defluens quaque iniuriam stilo vestra meo, sed si syugrapha moveant, ad semniou [r] paginae stat ut nostrae ducantur. Mea quam nec obelus signabit, merebitur * . . . cera unus esse sedula turrix [s] cuspidis ne inhaereat nocuum sigim.

* Perierunt verba aliquot.

(a) Magistrum militiae. (b) Stultos. (c) Symbolones a symbolo, quae vulgo dicitur confersa. (d) Vicissitudine quae vobis redditur. (e) Tuccetae dicuntur escae principum. (f) Edulium est praegustativa comestio. (g) Catillare est alienas domos infrontate gyrare. (h) Confer em. (i) Sarcio est superfluum carnis incrementum, quo ultra modum corpora saginantur. (k) Implere. (l) Funeris obsequio peruncto. (m) Sepulchra infantium nulla obsequia promerentium. (n) Valgiae sunt labellorum obtorsiones in supinatione tractae. (o) Latratum, et est proprie canum. Baubare tamen nunc eos dicit supervacua et vilia loqui. (p) Vasa fictilia dicta ab Aretio civitate, in qua plurima fiunt. (q) Fervendo sonant. Cacabare enim a qualitate soni dicitur. (r) Semnion graece, latine conventiculum honestorum dicitur. (s) Perierunt in lacuna glossae.

(1) Ideo mentem hominis cum Deo esse dicimus, quia inter omnes mortales solus de divinis noverit cogitare.

(2) Hemicadium est vas olearium: dicitur autem hemicadium eo quod non plenum cadum contineat; cadus quippe graece amphora est.

(3) Ad augmentum quidem suae invidiae, quicquid comedunt, in felle destillat.

(4) Pegaso homo iocularis aut vilis persona, et declinatur pegaso pegasonis. Pegasus vero apud paganos fingitur equus fuisse pennatus.

(5) Manales dicebantur petrae, quas antiqui in modum cylindri per limites verrere solebant pro pluviae commutanda inopia.

14. Dedistis etiam populis blaterando licet quos nunc sedare rumores. Futilibus si deinde pullulent sed harpagantibus [a] ullis, urbanum in ipsis dudum iam erit tunc promissa tueri. Num luseiniorum [b], et acies flosculum si sit perpendiculi praetores poterunt prospicere sudo? Erucae quaerunt sed amrodere more, non quod in ore sapor sit, sed ut devorando pessum dent, horticola repagulis ego quos obstans excludere curo. Myropolam adeant, collyria delegant, et alucinaria [c] comant, ut lucidum post opacumque secernant. Non ego letargum passus officia praesidum pellere praesumo, sed non temeranda castigo. Iuepte quod retuli iam quia grave est comicii scandere summum, captivam et subigere patriam, alterumque frustari solio. Pornia [d] et praeda quis hoc etsi deneget erit; pellere primatum potius amplexum est quam anferre ingalem ducere inelegum. An levius a proprio non fert exulat qui limine tractus, premitur in ipso, ut baro [e], quam qui rusticus alterius inibi condensare promos [f], quos struxerat sibi ne mordeat inde cuius absque iure parumper? Vadatusve nummellis [g], et abstemius, sint dum diruta cuncta. Saviis qui propriam cernit mulcere matronam, et suae nepotem familiae vi sentiat corrumpere hymenaeum, earum quin etiam et deludere proeos spe clientelae seducta Arguat alicui difficile, si haec est, invadere regnum. Polemum [h] quod hinc est, cui oriendum delectat oppetet interea forte, barathroque decedet. Inhiat descriptos caeteris sed qui parare maerores, Avernum aut ignorat, impavidus aut expectat. Quem ipse omnium sator volvet in sententiam, ut ab hoc discedat aevo ignobilis subeatque futuri supplicium. Prognosticis omnipotens igitur quem suis vult ostentare dignum, vel procerum una quaerit omnium promovere conventus, iuvat et quem patrius amor ad id decorus, vacantem fas est ascendere thronum, cum autestat. Sed caveat quod populo ne dividiae erescant, eius sed ascensus, iustitium et si sit removeat omne. Ad regnum evaserint qui tali satione, felicem poterunt beando diem forsitan patriam obtinere supremum. Tyrannidis exuti luent poenam caeteri, quam et protraxerunt tenendo, paudeeten [i] reserare poterit, ramenta [k] haec in gymnasio vobis; millenas et facies [l] cuius si revolvere placet, non obicem opponet meis testibus, sed scriptis ipse succurret.

15. At ut ad ipsos redeat, quos praenotare curastis in faciem [m] a tilus, Isai, o pelingua [n] coburs, proles an praespiraverat usque in scipionem (1) mutare pedum, videntis dum oratione mystici quaesita chrismatis in vertice sit virtute praelata? Ezechiam, Iosiamque genitali prodiisse populo recolo favente regum a sanguine reges. Helena non eius genitrix an regni fuerat genitor cuius in sede sopitus? consedere dum ageret sibi voluit quod providentia natum (2). Militibus Hispaniae claris est et Theo-

(a) Excolensibus. (b) Luscinii dicuntur in die parum videntes. (c) Vasa somniaria et obscura, conopeis similia. Dicuntur autem alucinaria quasi a luce alia, id est luce privata. (d) Fornicatio. (e) Fortis mercenarius. (f) Ita cod. At Mansius primos. (Editor.) (g) Vincula quibus quadrupedes alligantur. (h) Bellum. (i) Pandects, liber vetus et novum testamentum continens. (k) Ramentum dici voluerunt antiqui quasi quoddam proiecticium purgamentum. (l) Falsa. (m) Speciali. (n) Stulta.

(1) Scipio virga regalis est. Romani siquidem scipionem vocabant virgam quam triumphantes cum sceptro in manu gerebant, ad imitationem victoriae Scipionis.

(2) Constans enim imperator filium suum Constantinum favore populi etiam secum regnare compulit.

dosius ortus, auxilio tutum primi a barbaris qui reddidit numinis orbem. Indiciis primum ad summa cum intenderat se quoque levari: Meletio (1), inquam, a probo in oramate se cerneus imperii indutum chlamyde, stemmaque ferente impositum; invisum sibi indagine potuit ante qua noscere eundem, nullo indice, cum quandoque eius conspiceret vultum (2). Qui mox promotus ab imperatore Gratiano consors efficitur, visio quod ipsa monebat. Urgeutibus interea bellis, quae isque sedavit, aequivocum et inde suum nepotem meritis equipedantem tranquille patris avique decuit subsedere thronum. Provenit alieni hac si in norma regale solium, et si sedeat, hunc iam non culpa tenebit, ad maiestatis semet tantae censeat si sufficere nomen; minime pro quo sed iubilet adhuc se manere securum. Auspicia supplent sola non praebere felicem, sed incrementa quaerunt, digna licet existant.

16. Unde pasta [a] mihi ponere nunc dogmata libet. Λόγῳ κυρίου Saul Israël de parva est ut tueretur traduce levatus. Hinc palaestinos trudit sui caeteras et perduelles ceperat in tirocinio regni per gyrum nationes levibus exinanire triumphis. Quem pleonexia [b] ut vetitis inhiare coegit, a pugna teretes mox eius cesserant torpendo lacerti. Terribola [c] mens etiam hostis aciem cuius non spectare praesumens, semet telo proprio impegit aetnaeas poenas. Eudoxus [d] et regem Manassen redivivo (3) tulerat de sanguine princeps. Succedens extingui interim (4) censuit genitor in throno, cui quae ipse flagrare, et quae subsicivа (5) prodit, his supplicanda sancivit theusebian impugnans, daemonis et orgia fanaque reducens. Collega Licinius donec quippe militum in agmine tendit, scytalis (6) eorum ad usque obtinuit inlicere mentes, favoribus ut eum urguerent calculo inepte potiri imperii, se concinant impune sub et quo silere. Augustum inluserat quod sedulum (7), ut fulciat et ipse. Quem etiam

(a) Praeclare; unde et postophoria dicimus. (b) Avaritia. (c) Formidolosa. (d) Bonae gloriae rea.

(1) Meletius quidem episcopus fuit Sebastes Armeniae civitatis, qui merito sanctitatis maximus ab omnibus dicebatur. Postea etiam ad antiochenam translatus est ecclesiam.

(2) Theodosius cum a Gratiano imperatore directus contra barbaros triumphasset, vidit se in somnis a Meletio episcopo imperiali more ornatum; et non longe post ab eodem Gratiano ad imperii susceptus est culmen. Sed postea cum synodum Constantinopolim centum quinquaginta episcoporum congregare fecisset, nullo prodente, inter omnes et sola sui somnii memoria eundem cognovit Meletium.

(3) Reviviscente: postquam enim Deus quindecim annos Ezechiae auxit ad vitam, postea iste natus est Manasses.

(4) Interim, donec. Interim autem dixit propter ipsius ultimam conversionem. Notandum sane quod horum trium regum exemplum satis ad hoc quod proposuerat explicandum sufficere credidit. Nam hii legitime sumentes imperium nefandissime postmodum conversati sunt: quorum Manasses solus egit: paenitentiam ceteri vero in id perdurantes ad infelicem pervenerunt exitum. In quibus ostendit nullum debere pro rectitudine esse securum, vel pro criminibus desperare.

(5) Abicienda. Subsiciva proprie sunt quae sutor de materia praecidens quasi supervacua amputat.

(6) Scytalis genus est serpentis, quae tanta praefulget tergi varietate, at notarum gratia aspicientes retardet: at quia reptando pigrior est, quod adsequi non valet, miraculo sui atupentes capit. Bene ergo Licinius scitalis vocatur, quia fraudulenta simulatione adeo sibi aliorum favorem adscivit, ut sponte sibi subponerent: cuius venenosis fraudibus plurimi postmodum deperirent.

(7) Antiqui lapillos in manu tenentes numeros conponebant. Dicitur etiam calculus adeptio culminis vel victoriae, quia quotiens ad millenarium crescebat numerus, millesimum sibi

applienit (1) insodem, suam deflaus [a] haud ingare germanam eius thalamis. Toga qui tantisper tum rudi te obduxerat pellax, hortodoxis secunda spirans, et daemonolatria ruens. Anxerat [b] tum delphicos, et tegularia [c] pressit, prorsus abiurabat mechanicae [d] acceptatores [e] et artis, archontes [f] adlexerant prisci quos et adseclas sibi et spiculatores cimilia [g] idoneis ut attaminarent cum ipsis et artaverat is. Anna [h] iam non auspicata caluisset [i], auctorata [k] fuerat per climata [l]. Sed ut praesentia [m] cuius desipuit, antithetis quin recusare appeudit tunc mulgata [o] cruentis alme [o] nuper. Iesum confiteretur iam si quis, sectoribus primum destinabat, et inde lanistis. Cum mox et Bromio bacchare donavit, simulquu Cynthio complicibus eorum et Incubo tenus omnes. Praeterea romphaeam principem erexerat contra tum Constantinum, a quo stipulatus in regno est, etiam conglorium eius et cognatiouis adtinxit. Ilico traducta [p] sed ei ut sunt haec ipsa refragans a numine [q] exemit eum, tersa quin et iura firmavit (2).

17. Digna quidem species a torpido vix pullulat vel nequando genere. Nec quae etiam ab expectabili [r] extat, indifferenter provenit, sed subinde praecipuo defluit a germine, neque ot practaxata [s] tonant ad sceptra, ot est inde ruere crimen. Sed quemquam perficiet, nec sola dicatio magnum aequa, minoribus dignitatem imbutis quoque protendat honestus, quoad in aeternum valeat conscendere regnum. Redimiis (3) debentur hae omnibus et phylacteriae [t] Christi. In mensura vitae cuique propria servare modestum. Accidiam ambire ponat extra, sit et abrogans [u], sit neque congerro [x]. Sat cui sint heneficia iuste ei quae liquerant antigenae, impendit et herilis liberalitas quae inlibato famulatu cogente, iure et exacta de proprio quae rusticatio fundit, ars et iniuncta quae rite depromit. Officia delegant et sedulo si forte maiores, suppleat non pompam hic sed gestiendu perhennem. Emolumentum quae si referant, laudes aeterno rependat, et pariter obsequia. Deliquium et quamvis patiatur, eundem non expes flagitare deserat, nec in egestate blasphemet, ignarus qua sit sententia taetua [y]. Inopinatae nequeunt num succedere vices? Prae se [z] cenodoxus inhiet egratus [aa], nam si auctionari [bb] erinis [cc] hic elisus poterit, ereboque retrudi.

(a) Despiciens. (b) Suppresserat. (c) Veneficia, quae super tegulas sacrificabantur. (d) Fraudulentiae. (e) Auctorem. (f) Principes. (g) Vasa sacra. (h) Interiectio est deprecantis, quasi diceret utinam, vel obsecro. (i) Numquam inchoata evacuasset. (k) Auctoritate maiorum firmata. (l) Per partes mundi. (m) Dominatio. (o) Prolata. (o) Sancte. (p) Publicata. (q) Potestate. (r) Nobili. (s) Praedicta. (t) Observationes. (u) Humilis. (x) Congerrones dicuntur qui aliena bona sibi congerunt, id est congregant. (y) Iudicum palatius. (z) Ultra modum. (aa) Qui grates non reddit. (bb) Augmentari. (cc) Miserias, quod etiam nomen furiae esse dicunt. [Dic. aerumnis. Editor.]

computatores adsumebant calculum, dicebantque se tot adeptos fuisse calculos, quot et milia numerassent. Et idea quia millenarius numerus summus est, et ultra iam numerari non potest, siquis summam alicuius rei adquisisset, ipsum dicebant calculum obtinuisse.

(8) Sedulum Augustum, fidelem, absque dolo. Constantinum siquidem dicit, quod et in sequentibus indicabit. [Haec adnotatio poni debet pro 7. paginae praecedentis; illa vero 7. retrahenda est ad vocabulum *calculo*. Editor.]

(1) Adsumpsit. Audiens quidem Constantinus eum tantum laudari a militibus, secum adscivit in imperio, suamque illi germanam in matrimonium tradidit: qui initio regni ficte se modestum reddidit; novissime vero ad omnia facinora delapsus, insuper et eidem bellum indicens, ab eo de imperio ilico est abiectus.

(2) Deiecit eius abominandas leges, et dignas posuit observandas.

(3) Redimiae sunt quae ab hostibus pervasa, a propriis dominis redimuntur. Redimiae ergo Christi omnes sunt christiani, quos a diabolica pervasione suo sanguine redimere et sibi reconciliare dignatus est.

18. Patagine (1) profusus hem (2) sed quid ego, praeconis instar emphatici, explicare saeculi diaetam [a] liquentis, diserta cuius nec glossa suffert conicere morbos? Sed languit deterius quondam dum clinicus caenoque depressus, congeminans threnos defreta [b] iam salute tabebat. Cui super astabat morsibus etiam protocleptes [c] demoliri virosis. Interim adtrito respiciens sobvenit, vola sed [qui conlinierat ipsum, excussit ab ore eiusdem, et eum quem etiam edentavit [d] evirans [e], solutumque resolidans mundum, tum et atare firmavit elumbem. Innotuit vitanda cuius pariter et utenda saluti. Quod quia transgressus, noxiis communicat, salutariaque recusat, hinc recidivare totiens conspicitur. Ponit sed et ipse medelam ingratis opifex medicus salutis et auctor. Antidotis iupensis pariter et lixopyritia [f] tensis persaepe iam. Nunc instauter arceus, ne manum retrahat, vel chirurgiam premat adhuc furore motus, sed delegat unguenta a summis dynamidiis (3) infundat et linat, quibus et repellat tabifica; chirurgiae venerit saeio [g] his ut eum modicum dilata exurere inveniat, quod vel secare praesumat. Ne Christi dicata thalamo (4) defleat praesegmina [h], mystica quae mausiterna [i] lavit. Quibit medicinae capax nullus esse peritus, physicam intente ne rationem scrutetur. Intellegit figmenti nequis et, ut qui finxerat ipsum. Quis ergo poterit mundum salute tueri, haud dicam monarchiam vel proportionem in ipsa eius primae, ni figulus ipse plastis (5). Formulam et si perfici per humanam quodque fateatur, almus in ea manet qui spiritus id tamen ministrat; pure si cui famuletur in aevum, ab illa devenient prospera quaeque fiant. Sceleribus inde citus et fugiet si commulgaverit [k] semet. Actibus deserta tunc ilico eum suis quae una perihit, ni se ab ipsis eruderet, et ut ante consistat.

19 Hanc unde congruit Augusti caveat qui potiri censuram ut nomine parat. Inlatum communi suscipiat voto sic quoque vivat adepto ne temeraverit ipsum. Nutibus in quo se divis agat, suumque [l] frustretur (6). Iolustres sint adhuc, qui soperant arbitri [m], et qui iam praecesserant hinc, et diathecam [n] ponat speculum quod

(a) Regulam. (b) Desperata. (c) Diabolus. (d) Absque dentibus fecit. (e) Exinaniens. (f) Cataplasmata. Antidota et lixopyrita, opera misericordiae vocat. (g) Tempus. (h) Praesegmina sunt partes corporis recisae. (i) Aquae urnae. (k) Commaculaverit. (l) Proprium. (m) Indices qui vivunt. (n) Librum duorum testamentorum veteris et novi.

(1) Inter pataginem et patagium hoc differt. Patago est exulceratio oris, quod cum intumuerit, paene elinguem facit. Patagium vero est pallium ex auro purpuraque variatum.

(2) Hem quando cum aspiratione scribitur, interiectio est dolentis, quasi heu me. Quando vero sine aspiratione, adverbium ostendentis, quasi en me.

(3) Libris medicinalibus. Dynamis dicitur potestas et vis herbarum; unde etiam dynamidia dicuntur, ubi earum medicinae vel curationes scribuntur. Merito nunc pro dynamidia divinas intellegimus miserationes.

(4) Ecclesia. Novit namque omnes sacri fontis unda ablutos, corpus esse sanctae matris ecclesiae, sponsae Christi. Et ideo orat ut nullus christianus ab eius divellatur corpore, ne ipsa in aliquo mutilata ad luctum videatur promoveri.

(5) Dicit nullum esse medicum, nisi fuerit physicus. Rursus nullum tam plene intellegere physicam rationem uniuscuiusque rei, quam qui eandem conposuit. Restat ergo nullum posse tueri mundum salute, nisi ipse qui eum plasmaverit.

(6) Non tantum quae illi solum bona videntur agere praesumat, sed auctoritate praecedentium doctorum et consilio honestorum potius adhuiescat.

callidus nec relnat kanpo (1). Imploret quapropter Dominum iugiter, adiciatque non conperendinare devotus. Hoe etiam supplere [a] ne seducatur [b] ab ipso eunetus debitum est ut populus instet. Praecipui quoniam testamenti vim abolere luetatur pro ope qui sui stolidus neglegit flagitare patroui. Praesto sum indifferens [c], orate vobis ut fiat. Adae in lingua (2) nune iam nt fiat vobis respoudebo, etsi mavultis ausapicare me * . . . a maiestate vestrum ante summa * . . . nt placido deluat lumine noxam de me, fingat et quem tibi gratum, precesque fundeudas acceptet, inlex [d] quas nec primus valeat impiare molestus, hiautis mutilare linguam nec ea inspirante politam, nec facile quae etiam meum alibi subferat cor inquam dilabi, sed exaudiri pio merear a pietatis auctore. Auxilio quo fretus, supplices oriar tum dependere voces, hebraicus confirmet vester quas et una dietione sueeentus, eius et extremis coronis aptetur in oris.

* Desunt aliquot vocabula.

(a) Implere. (b) Separetur. (c) Paratus sum ad respondendum, nil morans. (d) Receptor.

(1) Fraudulentus tabernarius aquam vino miscens: quod refertur etiam ad falsos doctores, qui vera falsis inficientes, noxias solent propinare doctrinas.

(2) Innuitne preces psalmorum hebraicorum? (Editor.)

ATTONIS
CARDINALIS PRESBYTERI
CAPITULARE

SEU BREVIARIUM CANONUM,

EX CODICE VATICANO.

Atto cardinalis presbyter de titnlo S. Marci
Confratribus eiusdem ecclesiae
salutem.

Scio, dilectissimi fratres, quod duae causae sunt ignorantiae vestrae: una quod aegritudo loci extraneos qui vos doceant hic habitare non siuit, alia quod paupertas vos ad extranea loca *ad* discendum non permittit abire: quibus compellentibus causis factum est ut paenitentiale romanum apocryphum fingeretur, et rusticano stilo; ut illi qui authenticos canones nesciunt, et litteras non intelligunt, in his fabulis confidant; atque tali confidentia sacerdotium, quod eos non decet, arripiant; et caeci duces cum sequacibus suis cadant in foveam. Et cum ibi vix inveniatur scripta differentia ordinis, scientiae, vel aetatis, sufficit ad infirmandum quiddam apocryphum Hieronymus dicens: quia divina auctoritate non nititur, eadem facilitate contemnitur qua probatur. Hinc Leo papa inter alia de apocrypho ait: si quis episcoporum apocrypha haberi per domos non prohibuerit, haereticum se noverit iudicandum. Hinc apostolus: doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Sicut enim, secundum Iob, est locus ubi conflatur aurum, ita apud nos locus est ad faciendam hanc monetam, ut non sit scriptum authenticum quod a romano Pontifice non fuerit confirmatum. Unde Nicolaus papa venerabilis, qui fuit tempore Loduici imperatoris, quibusdam sic inquit dicens: relatum est apostolatui nostro, quod opus beati Dionysii ariopagitae, quod de divinis nominibus vel caelestibus ordinibus graeco descripsit eloquio, quidam Ioannes ge-

nere scotus nuper in latinum sermonem transtulerit, quod iuxta morem nobis mitti, et nostro debuit iudicio approbari vel reprobari. Si enim, secundum Iulium papam, nullum ratum est concilium aut erit, quod huius sedis non est fultum auctoritate; nec sine huius sedis auctoritate rata sunt scripta, quibus fieri solent concilia. Est enim Petrus petra aurificis, probans aurum, utrum verum sit an falsum.

Unde patet quod paenitentiale romanum non est ratum, sive fuerit ille romanus qui dictavit, sive alius fallaciter romanae sedis auctoritate rusticanum scriptum titulavit. Transalpina vero concilia, quae in Burcardo leguntur, si non sunt contra rationem aut contra instituta romanae ecclesiae, in locis suis ubi facta sunt obtinent firmitatem. Alias autem si non sint hac confirmata, non valent, nisi ex partis utriusque consensu. Multa tamen ibi (1), licet vera, falso nomine auctoris titulantur; alia re ipsa falsa leguntur; alia vero turpissima scribuntur, quae sanctis viris solet esse pudor dicere, et pudor audire. Proinde quadam orta confusione, cum nesciatis inter haec quid spernere, quid tenere, hortatus a vobis ut excipiam aliquod ex sacris canonibus breviarium, quod pertineat ad dandas paenitentias et ad definitionem causarum, oboedio caritati vestrae; et sicut beatus Hieronymus de psalterio quaedam excerpsit, quae ad orandum meliora sunt; sic quandam deflorationem simplicitati vestrae tribuo ex decretis romanorum Pontificum, et conciliis transmarinis, qui corpus illud decretorum intelligere non valetis; et etiamsi intelligeretis, propter fastidium legere non possetis. In quo hoc opusculo verbis quae ibi inveni nihil addidi, nihil mutavi. In quibusdam vero locis propter adbreviationem in eadem sententia verbis quibusdam interpositis transitum feci.

Si autem doctores, ex apostolo sumentes exemplum, mentionem eorum, quibus scripsit, non faciunt; non miremini, si eorum quibus scriptum est, non facio mentionem. Licet ergo vos tamquam viatores caupo ad praelibandum vinum invitem, rogo tamen vos, ut intus hospitati amplius requiratis, ne de ignorantia iudicemini, quemadmodum scriptum est: qui ignorat, ignora-

(1) In paenitentiali romano.

bitur. Unde Caelestinus papa ait: nulli sacerdotum suos liceat canones iguorare. Item Leo: si vix in laicis tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in his qui praesunt nec excusatione est digna nec venia! Item Dominus per prophetam: quia tu scientiam reppulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.

INCIPIT CAPITULARE.

Clemens epistola prima. Neque enim iudicem aut cognitorem saecularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus.

In quantum unusquisque praevalet, crebrius panes et sales suos cum fratribus sumat.

Quid omnibus peccatis adulterio gravius? Secundum enim in poenis obtinet locum; primum qui aberrant a Deo.

Si te multi e fratribus odio habuerunt, ex hoc quidem non laederis, sed ex huiusmodi odiis amor tibi conciliabitur Dei.

Quaedam etiam ex vobis intelligere debetis, si quae sunt quae ipse propter insidias hominum malorum non poterat evidentius proloqui. Verbi gratia, inimicus est alicui pro actibus suis; nolite expectare ut ipse vobis dicat, cum illo amici nolite esse, sed prudenter obsecundare debetis volantati eius absque communicatione, sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur.

A nobis Deus discutiendus non est, sed credendus, qui in nobis ipsis nescimus quid sapimus, quomodo sapientia, ingenium, aut intellectum, consilium, aut mens generat verbum; sed sufficit nosse quia lux generat splendorem.

Non regem diligimus, si odio leges eius habemus.

Episcopi a subditis non sunt reprehendendi, nisi a fide erraverint.

Omnes legum divinarum libenter violatores, et sacrarum institutionum perturbatores, ecclesiastica indignos regula, et sancta communione iudicabat.

De eucharistia. Tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant. Quod si remanseriut, in crastino non reserventur. Si mane dominicam portionem in saerario edituri * sunt, usque ad sextam ieiunent ministri, qui eam consumpserint: si tertia vel quarta, ieiunent usque ad vesperam.

* Ita cod.

Ne quid extra ecclesiam laico de fragmentis oblationum Domini ponatur ad mensam.

Aliquantulum, si possibile est, per misericordias pauperum iuvate paenitentiam.

Deo manifestae sunt mentes, qui non temporum rationes colligit, sed animorum.

Si quis haec praecepta non integra custodierit, sit anathema.

Unaquaeque res suum tempus habeat et locum.

De chrismatione. Cum autem regeneratus fuerit, sedem inter perfectos habre non potest, si non necessitate, sed incuria aut voluntate remanserit.

Nihil gravius, quam si id quod ignorat quis, scire se credat, et quasi ebrius sobrium se putet.

Omnibus presbyteris, diaconibus, ac reliquis clericis attendendum est, ut nihil absque episcopi proprii licentia agant: similiter et reliqui populi.

Ipsi a Deo donum summi muneris consecuntur, qui iustitiae et praecepti eius semitas incedentes, suis doctoribus, qui recte episcopi intelliguntur, libenter obediunt.

P. Clementis. Si enim mundialibus curis fueris occupatus, et te ipsum decipies, et eos qui te audiunt. Et ex eo fit, ut et tu tamquam qui non docueris quae ad salutem hominis pertinent, deponaris, et discipuli per ignorantiam pereant. Si post ordinationem ministro contigerit propriae uxoris invadere cubile, sacrarii non intret limina, nec sacrorum portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerente holocausti oblationem suscipiat, nec ad dominici corporis portionem accedat.

Clericus solus ad feminae tabernaculum non accedat, nec presbyter solus cum sola femina fabulas misceat. Si agnitum fuerit, deponatur; illa a liminibus arceatur ecclesiae.

Nihil est pretiosius anima.

Pro meritis plebis saepe pastores depravantur.

EX DECRETIS ANACLETI.

De presbyteris, qui poni debent singuli per singulos titulos suos. Si aliquis in hoc Deo placere putat, quod servos suos accusat, et ut meliores fiant dicit se hoc agere, in vanum laborat, et plus invidiae facibus agitatur, quam charitatis, quoniam gratiae plenitudo adiectione non indiget.

Transgressores sponte legis suae, apostatae nominantur. Omnis enim apostata refutandus est ante reversionem suam, non in accusatione recte agentium aut testimonio suscipiendus.

Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus.

De episcopis. Accusatio quoque eorum nonnisi ab idoneis et probatissimis viris, qui et auspicionibus et sceleribus careant, fieri debet.

Presbyter ad qualemcumque locum vel ecclesiam in eo loco constitutam praeficiendus, atque in eo diebus vitae suae durandus.

Nihil illo pastore miserius, qui luporum laudibus gloriatur.

Episcopus sacrificans, testes secum habeat plures quam alius sacerdos. In sollempnioribus diebus septem diaconos, vel quinque, vel tres, cum reliquis ministris a fronte et a tergo: presbyteros dextera laevaque.

Unaquaeque provincia tam iuxta ecclesiasticas quam iuxta Dei leges, suos debet iustos habere iudices, nisi apostolicae huius sedis decraverit auctoritas.

Omnis oppressus libere sacerdotum, si voluerit, appellet iudicium.

De consecratione episcopi. Episcopi convenientes scrutiniom diligenter agant, ieiuniumque cum omnibus precibus celebrent, et manus cum sanctis evangeliis imponentes dominica die hora tertia orantes.

Minus quam a tribus episcopis, reliquis consentientibus, nullatenus episcopus ordinetur. Reliqui sacerdotes a proprio ordinentur episcopo, ita ut cives et alii sacerdotes assensum praebeant: similiter et diaconi.

Si enim sine crimine sacerdos eligi praecipitur, nullatenus ab hominibus criminibus irretitis accusari aut calumpniari permittitur; nec ab aliis, quam ab his qui sine crimine sunt et iusta electione, si necessitas fuerit, aut ibi volente Domino servire elegeriot, sacerdotesque sine crimine fieri, et ordinari possint.

Episcoporum causae, et summorum negotiorum iodicia, salva apostolicae sedis auctoritate, iustissime termineotur.

Prima sedes romana, secunda alexandrioa, tertia antiochena.

Sicut a cardioe ostium regitur, sic huius sanctae sedis auctoritate (1) omnes ecclesiae, Deo disponente, reguntur.

Deteriores sunt qui doctorum vitam moresque corrompunt, his qui substantias aliorum praediaque diripiunt, et ideo iuste infames sunt et merito ab ecclesia extorres fiunt.

EX DECRETIS EVARISTI.

Sicut vir non debet adulterare uxorem soam, ita nec episcopus ecclesiam suam, ut dimittat eam ad quam consecratus est, absque inevitabili necessitate.

Diaconi in unaquaque civitate septem debent esse.

Ecclesiae non licet dimittere aut segregare episcopum suum, ut alterum, vivente eo, accipiat; sed aut ipsum habeat, aot innupta maneat.

Sacerdotes exquirere debent peccata populorum, et sagaci sollicitudine unumquemque probare.

Absque certa probatione quisquam numqoam credat.

Non fit coniugium, nisi ab his qui supra ipsam feminam dominationem noscuntur habere: et a quibus custoditur uxor petatur, et a parentibus propinquioribus sponsetur, et legibus dotetur, et suo tempore cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur, et biduo vel triduo castitatem custodiant, et sollempniter accipiatur, ut bene soboles generentor, et Domino suis in actibus placeant: aliter praesumpta non coniugia sed stopra sunt, nisi voluotas propria suffragaverit, et vota succurrerint legitima.

(1) Hactenus exscripserat is qui Attonis capitulare ex alio imperfectissimo codice divulgare cogitaverat: reliqua, quae plurima sunt non viderat; cuius rei testem reliquit in suo ms. hanc adnotationem. *Ita desinit apographum quod exscribere licuit. Siquando licuerit, vaticanum codicem conferam.* Quod autem ille non praestitit, ipse feci, codicem nempe vaticanum exscripsi totum et edidi. A. Maius.

Qui adulterina foeditate suas sponsas, quas et uxores eorum praefixo tenore esse intelligimus tenent, eici ut adulteros, atque infames fieri, eosque ab ecclesiaticis officiis arceri iubemus.

Accusatorum sacerdotum discutiatur suspicio, fides, temeritas, vita, vana gloria, inimicitia, cupiditas.

Absque certa probatione quisquam non credat.

EX DECRETIS ALEXANDRI.

Reiecistis mandatum Dei ut traditiones vestras statuatis. Quid enim aliud est reicere mandatum Dei, quam privato iudicio consilio humano novis rebus constituendis liberius delectari? Unde scriptum est, ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui.

De accusatoribus episcopi. Perpetua notantur infamia, et exilio digni iudicantur finitimo.

Pessimum est de suspicione aut extorta confessione quempiam iudicare.

Si quis erga episcopum, vel actorem ecclesiae, quamlibet querelam habere iustam crediderit, non prius primates aut alios adeat iudices quam ipsum a quo se laesum extimat conveniat familiariter non semel sed saepissime. Si autem secus egerit, communione privetur.

Nihil in sacrificiis maius potest esse quam corpus et sanguis Christi: nulla oblatio hac potior, sed haec omnes praecellit.

De aqua benedicenda cum sale et aspergenda.

De aqua miscenda vino in eucharistia.

Talionem meretur qui fratribus foveam parat.

Crucifigunt Dominum qui eum in sacerdotibus suis persecuntur.

EX DECRETIS SIXTI.

De inimicorum domo prodeuntibus non est eredendum.

Culpantur qui aliter circa fratres egerint, quam huius sedis rectoribus placere cognoverint.

EX DECRETIS TELESPHORI.

Septem hebdomadas plenas ante pascha omnes clerici a carne ieiunent et deliciis. Nocte dominicae nativitatis missam decantent. Reliquis temporibus missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandae.

Ab episcopis angelicus hymnus pro tempore et loco in missarum sollempniis celebrandus est.

Accusatores et accusationes, quas leges saeculi non admittunt, et nos submovemus.

EX DECRETIS PII.

Gravius est sacrilegium agere quam fornicari.

Pascha die dominico est celebrandum.

Praedia divinis usibus tradita si quis subtrahit ut suis usibus inserviant, sacrilegus habeatur, et qui Dei sacerdotes insequitur.

Qui iussa apostolicae sedis libenter transgressus fuerit, infamis efficitur.

EX DECRETIS ANICETI.

Oportet ut archiepiscopus, qui episcopis praeesse debet, ab omnibus illis eligatur et ordinetur: reliqui a tribus iussu archiepiscopi, si necesse est, consecrari possunt; sin aliter praesumptum fuerit, iuribus carere non dubium est.

Clerici iuxta apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphaerae radant.

EX DECRETIS ELEUTHERII.

Proditoris nec calumpnia nec vox audiatur.

In provincia, in qua consistit, ille qui pulsatur, suas exserat actiones.

De sacris vasis a feminis non tangendis.

EX DECRETI VICTORIS.

Si necesse fuerit, gentiles quocumque loco vel momento baptizentur.

Quamquam vera sint, non Dei credenda, nisi quae manifestis indiciis comprobantur, nisi quae manifesto iudicio convincuntur, nisi quae iudicario ordine publicentur.

Quamquam conprovincialibus episcopis accusati causa pontificis scrutari liceat, non tamen definiri, inconsulto romano pontifice, permissum est.

EX DECRETIS ZEPHYRINI.

Sicut stellas caeli non extinguit nox, sic mentes fidelium inhaerentes firmamento sacrae scripturae non obscurat mundana iniquitas.

Accusatum discutientes episcopum, non ante sententiam proferant finitivam, quam apostolica fulti auctoritate aut reum se esse profiteatur, aut per innocentes et regulariter examinatos testes convincatur.

Absens nemo iudicetur.

Nullum sententia non suo iudice dicta constringat.

Duodecim iudices episcopus accusatus si necesse est eligat.

Ad suorum primo conventum episcoporum causa audiatur, finis vero eius causae ad sedem apostolicam deferatur.

Iudices conveniant ubi sunt testes singulorum qui oppressi sunt.

EX DECRETIS CALLIXTI.

Excommunicatos a sacerdotibus nullus recipiat ante utriusque partis examinationem, nec cum eis in oratione aut cibo aut potu aut osculo communicet, nec ave eis dicat.

Ieiunium quod ter in anno celebrare didicisti, nunc per quattuor fieri tempora decernimus.

Nulli impio vel cuiquam pietatem custodienti licet aliquid contra mandata divina praesumere.

Iniustum iudicium et definitio iniusta, regio metu aut cuiuscumque episcopi aut potentis a iudicibus ordinata vel acta, non valeat.

Si quis metropolitanus, nisi in sua parrochia propria, sine consilio omnium comprovincialium extra aliquid agere temptaverit, gradus sui periculo subiacebit, et quod agit vanum est.

Si episcopus utilitatis causa fuerit mutandus, auctoritate huius sanctae sedis faciat.

Coniunctiones consanguineorum prohibete: eos qui ex his prodeunt, ut leges saeculi, infamia notamus. Similiter de raptoribus hos ad paenitentiam recipiamus, ipsam vero qua aspersi sunt infamiam delare non possumus, sed animas eorum per paenitentiam publicam sanare cupimus, quia manifesta peccata non sunt occulta purgatione purganda.

In accusationem sacerdotum non recipiantur, et in testimonio dubii habeantur, quorum fides, vita, et libertas nescitur. Per quamcumqua scripturam testimonium non proferant, nec de aliis causis testimonium dicant, nisi de his quae in praesentia eorum acta esse noscuntur. Accusatoria consanguinei adversus extraneos testimonium non dicant: nec familiares, nec de domo prodeuntes, nec accusatores vel testes suspecti recipiantur.

Errant qui putant secerdotes post lapsum, sic ut dignam egerint paenitentiam, Domino ministrare non posse.

EX DECRETIS URBANI.

Usurpationis contumelia depellenda est ne praedia decretorum caelestium dicata, a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit, post debitae ultionis acrimoniam, quae erga sacrilegos iure promenda est, perpetua dampnetur infamia, et carceri tradatur, aut exilio perpetuae deportationis multetur.

Vota fidelium et pretia peccatorum atque ad praedictum opus Domino tradita, explendum. Si quis secus egerit, videat ne dampnationem Ananiae et Saphirae percipiat.

EX DECRETIS FABIANI.

Qui non probaverit quod obiecit, poenam quam intulerit, ipse patietur.
Siquis iudicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat.
Pulsatus ante suum iudicem causam dicat.

EX DECRETIS CORNELII.

Rogatu Lucinae levata sunt corpora apostolorum de catacumbis. Et primo cum silentio positum est corpus beati Pauli in praedio praedictae matronae via ostiensi ad latus ubi decollatus est. Et postea beati Petri accepimus corpus, et condecenter iuxta locum, ubi crucifixus est, in templo Apollinis in monte aureo in Vaticano palatii neroniani inter corpora sanctorum martyrum.

Nullus sacerdotum causam suam alieno committat iudicio, nisi ad sedem apostolicam fuerit appellatum.

Sacramentum episcopis nescimus oblatum, nec fieri debet.

EX DECRETO LUCII.

In hac sancta sede constitutum habemus ut duo presbyteri et tres diaconi in omni loco episcopum non deserant.

Ecclesiae raptores atque suarum facultatum alienatores a liminibus sanctae ecclesiae anathematizatos apostolica auctoritate repellimus, et dampnamus, atque sacrilegos esse indicamus.

EX DECRETI STEPHANI.

Neganda est criminatis licentia criminandi, priusquam se crimine, quo premuntur, exuerint. Infames eas personas dicimus qui statuta ecclesiastica contempnunt, fures, sacrilegos, capitalibus criminibus irretitos, sepulchrorum violatores, qui adversum patres armantur, incestuosos, homicidas, periuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis fugientes, et qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates ecclesiae abstrahunt, et qui fratres accusant et non probant, et omnes pro suis sceleribus ab ecclesia pulsos, et quos ecclesiasticae et saeculi leges infames pronuntiant: hos vero non ordines, nec servos ante libertatem, nec paenitentes, nec digamos, vel qui curiae serviunt, vel qui non sunt integri corpore, aut sanam non habent mentem vel intelligentiam, aut inobedientes sanctorum decretis existunt, aut furiosi manifestantur.

Accusationes, quas saeculi leges non recipiunt, et nos submovemus.

Per scripta nullius accusatio suscipiatur.

Laicis, quamvis religiosi sint, nulla de ecclesiasticis facultatibus legitur attributa facultas.

EX DECRETIS DIONYSII.

Ecclesias singulis presbyteris dedimus parrochiasque et coemeteria eis divisimus, et unicuique ius proprium, ut nullus alterius parrochiae terminos aut ius invadat, sed ex omnibus sibi commissis rationem reddat.

EX DECRETIS FELICIS.

Det induncias infra quattuor, vel quinque, aut septem menses, iuxta quod possibilitas ei fuerit.

Si accusatorum personae in iudicio episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittuntur, nisi proprias causas asserere, non tamen criminales vel ecclesiasticas, voluerint.

Infamis persona nec procurator potest esse vel cognitor.

Actor semper forum rei sequatur.

EX DECRETIS EUTYCHIANI.

Quisquis ille est qui crimen intendit, in iudicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiae similitudinem, habita tamen dignitatis aestimatione patiatur, nec fore sibi noverit licentiam mentiendi cum calumpniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.

Infames sunt qui ad sortilegos magosque cucurrerint.

Nulli infami aut sacrilego liceat adversus religiosum christianum testimonium dicere, vel qualibet actione vel inscriptione impetere.

EX DECRETIS MARCELLINI.

Non licet ipsi vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra mandata praesumere, nec quicquam quod evangelicis propheticisque et apostolicis regulis obviatur, agere. Iniustum enim iudicium et definitio iniusta, regio metu vel iussu a iudicibus ordinata, non valeat, nec quicquam contra evangelicam vel propheticam aut apostolicam doctrinam, constitutionemve eorum, sive sanctorum patrum actum fuerit, stabit: et quod ab infedelibus aut haereticis actum fuerit, omnino cassabitur.

EX DECRETIS MARCELLI.

De his qui sponte ad romanam aedem veniunt. Episcopis absque ulla custodia aut excommunicatione vel dampnatione aut expoliatione libere ire concedatur.

Omnia comprovincialia negotia per sanctam romanam ecclesiam sunt tractanda, si huius ecclesiae pontifex praecipit.

EX DECRETIS EUSEBII.

De episcopis oppressis. Prius oportet omnia illius legibus redintegrari. Tantum temporis spatium episcopis indulgeatur, quanto expoliati vel expulsi esse videntur, antequam ad synodum vocarentur. Qui aliena invadit, non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat.

EX DECRETIS MELCHIADIS.

Manus impositio ab aliis perfici non potest nisi a summis sacerdotibus: aliter irritum habeatur et vacuum.

De chrismate. Ita coniuncta sunt haec duo sacramenta ut ab invicem nisi morte praeveniente non possint separari.

Victuris necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat, confirmatio armat et instruit.

Ieiunium dominici diei et quintae feriae nemo celebrare debet.

EX DECRETIS SILVESTRI.

Non presbyter adversus episcopum, non diaconus adversus presbyterum, non subdiaconus adversus diaconum, non acolythus adversus subdiaconum, non exorcista adversus acolythum, non lector adversus exorcistam det accusationem aliquam.

Non dampnabitur episcopus nisi in LXXII. testibus, neque praesul summus a quoquam iudicabitur: presbyter urbis romae nisi quadraginta quattuor: diaconus cardinalis nisi triginta sex: subdiaconus, acolythus exorcista, lector, in duobus vel tribus testimoniis.

De reddito ecclesiae. Quarta pars exigatur propter ecclesias restaurandas: dimidia presbyteris, diaconis, cum omni clero et peregrinis: episcopus quartam partem retineat.

Paschae observantia a luna XV. usque ad XXI.

Nulli omnino clerico licere causam in publico examinare, nec ullum clericum ante iudicem laicum stare placet.

Nulli episcoporum liceat in quemlibet gradum clericum ordinare, aut consecrare, nisi cum omni adunata ecclesia. Successorem vero si elegerit, ipse deiciatur.

Nullo schemate monachum oportet fieri, nisi XXV. aetatis anno.

Testimonium clerici adversus laicum nemo recipiat.

EX DECRETIS IULII.

Si quis praesumpserit episcopum propter huius sedis sententiam dampnare aut propria pellere sede, sciat se inrecuperabiliter esse dampnandum.

De nicaeno concilio. Culpantur episcopi qui aliter erga fratres egerint quam eiusdem sedis pontificibus fieri placuerit.

Nullus episcopus alterius parrochianum praesumat retinere aut ordinare absque eius voluntate, salva tamen in omnibus apostolica auctoritate.

Infames esse censemus omnes qui suam aut christianam praevaricantur legem, aut canonicam postponunt auctoritatem.

Nemini de se confesso credi potest super crimen alienum.

De nicaeno. Nullum ratum est aut erit concilium, quod huius sedis non est fultum auctoritate.

Iudices alii esse non debent, nisi quos, qui impetitur, elegerit.

Merito causa nos respicit, si silentio faveamus errori.

EX DECRETIS LIBERII.

De his qui contra pacem ecclesiae sunt. Si dignitatem aut cingulum militiae habeant, nudentur de eis; si autem privati, si quidem nobiles consistunt, suarum substantiarum praescriptionem patiantur; si autem ignobiles, non solum in corpore verberentur, sed exilio perpetuo castigentur.

EX DECRETIS FELICIS.

De induciis. Minus quam sex menses non repperi, quia et laicis haec indulta sunt. Nullae causae a iudicibus ecclesiasticis audiantur, quae legibus non continentur; aut quae prohibitae esse noscuntur.

Nec a communione prohibeatur accusatus, nisi ad electorum iudicium canonice convocatus, infra tres aut sex vel plures menses venire distulerit.

Excommunicati, homicidae, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, et qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magosque cucurrerint, nullatenus ad accusationem, vel testimonium sunt admittendi.

In accusandis episcopis iudices et accusatores tales esse debent, qui omni careant suspicione, et ex radice caritatis suam desiderent promere sententiam.

EX DECRETIS DAMASI.

Presbyteris non licet sacerdotes consecrare, nec diaconos, nec virgines, nec altare erigere, nec ecclesias dedicare, nec chrisma conficere, nec chrismate ba-

ptisandorum frontes signare, nec (publice quidem) in missa paenitentem reconciliare, nec formatas epistolas mittere, nec paenitantem sine praeceptione episcopi sui reconciliare, nec populum benedicere, nec ante episcopum in baptisterium aut in sacrarium introire, nec praesente episcopo infantem tingere aut signare, nec, eo praesente, nisi illo iubente, sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere aut salutare, nec plebem exhortari.

De manus impositione chorepiscopi. Reiterari necesse est quod legitime actum aut collatum minime approbatur, si perfectum esse debebit; nam quomodo honorem possit retinere qui ab illo acceperit qui potestatem dandi non habuit, legitime invenire non possum: cum ille honorem pontificalem non habuit, pontificalia non potest iura tribuere.

Iudas, quia non est praesentialiter dampnatus, non est eiectus.

Nisi canonice fuerit vocatus suo tempore, licet venerit ad conventum, nisi sponte voluerit, suis non respondebit insidiatoribus.

Per se accusatores, per se iudices, per se testes, ante praescriptionem nemo debet iudicari.

Criminum discussio ibi agitanda est, ubi crimen admissum est, salva tamen in omnibus apostolica auctoritate.

Eos sacerdotes, qui de ecclesiis ad ecclesias migraverint, tamdiu a communione nostra habemus alienos quamdiu ad eas redierint civitates, in quibus primum sunt constituti. Quod si alius aliu transmigrante in locum viventis ordinatus est, tamdiu vacet sacerdotii dignitate qui suam deseruit civitatem, quamdiu successor eius quiescat in Domino.

EX DECRETIS SIRICII.

Desponsatam alii puellam alter in matrimonium non potest accipere.

Qui acta paenitentia tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes, et militiae cingulum et ludicras voluptates et nova coniugia et inhibitos denuo appetivere concubitus, quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderint, quia iam suffugium non habent paenitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione iungantur; sacris mysteriorum celebritatibus, licet non mereantur, intersint; a dominicae autem mensae convivio segregentur, excepto in fine vitae.

Feminas vero non alias esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantum quas propter solas necessitudinum causas habitare cum hisdem synodus nicaena permittit.

Monachos quoque, quos tamen morum gravitas, et vitae ac fidei institutu sancta commendant, clericorum officiis aggregari et optamus et volumus.

De monachabus. Impudicas detestabilesque personas a monasteriorum coetu, ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus, quatenus retrusae in singulis ergastulis tantum facinus continua lamentatione deflentes purificatorio pos-

sint paenitudinis igne decoqui, ut eis vel ad mortem saltem solius misericordiae intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subvenire.

Nec accusationes nec testimonia ullus per scripta potest proferre; nec de aliis negotiis quicumque testimonium dicant, nisi de his, quaa sub praesentia eorum acta esse noscuntur. Similiter qui accusare alium elegerit, praesens per se, et non per alium, accuset inscriptione videlicet praemissa.

Quicumque se ecclesiae vovit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, et lectorum debet ministerio sociari.

Privilegium baptizandi cum pentecoste suo pascha defendit.

De paenitentia apostasiae perpetua. Quisquis sane clericus aut viduam aut secundam coniugem duxerit, omni ecclesiasticae dignitatis privilegio mox nudetur, laica tantum sibi communione concessa.

Sicut paenitentiam agere cuiquam conceditur clericorum, ita post paenitentiam ac reconciliationem nulli umquam liceat honorem clericatus adipisci.

Statuta sedis apostolicae et canonum venerabilia descripta nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum.

EX DECRETIS INNOCENTII.

Oportet hoc sequi quod ecclesia romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.

Si quis post remissionem peccatorum cingulum militiae saecularis habuerit, ad clericatum admitti omnino non debet.

De aliena ecclesia clericum ordinare aut iudicare, nullus usurpet.

Nec benedici cum sponsa potest ante corruptus.

Quae velatae non fuerint, si forte nupserint, agenda aliquanto tempore paenitentia est, quia sponsio a Domino tenebatur.

De adulteris. Tales omnes a coniunctione fidelium abstinendos: de parentibus vero et de propinquis nihil tale statui potest, nisi incentores illiciti consortii fuisse detegantur.

Cui casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam inpendit aut aliquid faciens se non sponte percussit, hos canones praecipiunt clericos fieri.

Si constat aliquos ante dampnationem Bonosi ab eodem ordinatos, postea voluisse vel nunc velle reverti, eos recipiendos esse censemus.

Quotiens a populis aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solet transire.

Sabbato ieiunandum esse, ratio evidentissima demonstrat.

Paenitentibus ex gravioribus commissis, sive ex levioribus, quinta feria ante pascha remittendum, romanae ecclesiae consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere aestimando delictorum, sacerdotis est iudicare, ut adtendat ad confessionem paenitentis, et ad fletus atque ad lacrimas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cum

viderit congruam satisfactionem.

De chrismate. Paenitentibus fundi non potest, quia genus est sacramenti.

Ex chartaginiensi. Patrum instituta sacerdotali custodientes officio, non censeatis esse calcanda, quae illi non humana decrevere sententia, ut quicquid disiunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius sedis notitiam perveniret.

De fermento quod quidem die dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes ecclesiae nostrae intra civitatem sint constitutae, quarum presbyteri quia die ipso propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possint, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiant, ut se a nostra communione maxime illa die non iudicent separatos. Quod per parrochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt sacramenta, nec nos per coemeteria diversa constitutis presbyteris destinamus ut presbyteri eorum conficiendorum ius habeant atque licentiam.

Quaesitum est etiam super his qui post baptismum administraverunt, aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulerunt sententiam: nihil de his legimus a maioribus definitum. Meminerant enim a Deo potestates fuisse concessas, et propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, et Dei ministrum esse datum in huiusmodi vindicem. Quomodo igitur reprehenderent factum, quod auctore Domino viderent esse concessum? De his igitur ita ut hactenus servatum est, sic habeamus, ne aut disciplinam evertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur.

De iudice. Dum legum auctoritas in improbis exercetur, erit dictator inmunis. Illud desideratum est sciri, cur communicantes viri cum adulteris non conveniant. Mulieribus, prodito earum crimine, communio denegetur: virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinet qui utique summovebitur si eius flagitium detegatur.

Antiocheno episcopo. Sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic ceteros non sine praemissa conscientia sinas episcopos ordinari: quorum te maxima expectat cura, praecipue tuum debent mereri indicium.

Arrianos ceterasque huiusmodi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine paenitentiae ac sancti spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur clericos eorum sacerdotii aut ministerii cuiuspiam suscipere dignitatem: quippe quibus solum baptisma esse permittimus, quod utique in nomine patris et filii et spiritus sancti perficitur. Nec sanctum spiritum eos habere ex illo baptismate illisque mysteriis arbitramur: quoniam cum a catholica fide eorum auctores discesserint, perfectionem spiritus quam acceperant amiserunt.

De ordinatione ab haeretico. Dampnationem utique, quam habuit, per manus impositionem dedit: et qui particeps factus est dampnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum.

Laici si non concubinam non pelicem noverint, non prohibentur ad clericatus sortem admitti.

Pernicies revocata in iudicium, gravius et sine paenitentia condempnatur.

Communibus et alternis plus agimus orationibus quam singularibus et privatis.

Nuptiarum copula, quia ex Dei mandato perficitur, non potest dici peccatum: et quod peccatum non est, solvi inter peccata credi omnino non debet. Erit integrum aestimare, aboleri non posse prioris nomen uxoris, cum non dimissum sit pro peccato, quod ex Dei sit voluntate completum.

Quod necessitas pro remedio repperit, cessante necessitate, debet utique cessare pariter quod urgebat.

Nec quispiam qui post baptismum militaverit, ad ordinem debeat clericatus admitti, vel qui causas egerit.

Si de omnibus haec ratio custoditur, ut quaecumque vivente viro, alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendae paenitentiae concedatur licentia, nisi unus ex his fuerit defunctus; quanto magis et illa tenenda est, quae ante immortali se sponso coniunxerat?

EX DECRETIS ZOSIMI.

Si ab infantia ecclesiasticis mysteriis nomen dederit, inter lectores usque ad XV; si maior accesserit, inter lectores sive exorcistas quinquennio teneatur, et sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedat: acolythus vel subdiaconus quattuor annis, diaconus quinque.

EX DECRETIS BONIFACII.

Confitetur de omnibus, quisquis se subterfugere iudicium dilationibus putat.

Si adesse neglexerit, dilationem sententiae de absentia non lucretur.

EX DECRETIS CAELESTINI.

Vera ad Deum conversio in ultimis positorum mente potius aestimanda est quam tempore.

Si studere coeperimus novitati, traditum nobis a patribus calcabimus ordinem, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus.

Nec emeritis in suis ecclesiis, peregrini extranei, et qui ante ignorati sunt, ad exclusionem eorum qui bene in suorum civium testimonio sunt, praeponantur.

Non est minor tradentis officio custodia traditorum.

Nullis invitis detur episcopus, sed cleri, plebis, et ordinis consensus et desiderium requiratur: tunc alter de altera eligatur ecclesia, si de civitatis ipsius clericis nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit inveniri.

Nulli sacerdotum liceat suos canones ignorare, nec quicquam facere, quod patrum possit regulis obviare.

EX DECRETIS LEONIS.

Tres unum sunt, spiritus sanctificationis, sanguis redemptionis, aqua baptismatis.

De Priscianistis occisis. Profuit diu ista districtio, quae etsi sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit ultiones quaerere, tamen christianorum principum constitutionibus adiuvatur.

Si quis episcoporum apocrypha haberi per domos non prohibuerit, haereticum se noverit iudicandum.

Praeter Domini sacerdotes, nullus audeat praedicare, seu monachus, sive ille laicus qui cuiusdam scientiae nomine glorietur.

Non admittuntur ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur.

Non alieno nomine aliquis clericorum exercere foenus attemptet.

Sedis apostolicae moderatio hanc temperantiam servat, ut severius agat cum obduratis, et veniam cupiat parare correctis.

Si vix in laicis tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in his qui praesunt, nec excusatione est digna, nec venia? Heli quondam sacerdos filiorum suorum delicta tolerando, eum ipsia divinae iustitiae sententiam meruit experiri, quia segni indulgentia dissimulavit plectere peccatores.

Dum in baptismatis regula mos intervenit, *ut* interfectionem peccati et sepulturam triduanam imitetur trina demersio, et ab aquis elevatio, resurgentis instar sit de sepulchro, ipsa operis qualitas docet celebrandae gratiae diem.

Si quis ad maiorem se plebem quacumque ratione transtulerit, cathedra pellatur aliena, sed carebit et propria.

Si quis sua quaerens, non quae Iesu Christi, ad plebem et ecclesiam suam redire neglexerit, et ab honoris privilegio, et a communionis vinculo habeatur extraneus.

Quae patefacta sunt quaerere, quae perfecta sunt retractare, et quae sunt definita convellere, quid aliud est quam de adeptis gratiam non referre?

Anatolio constantinopolitano. Decessore tuo beatae memoriae Flaviano propter defensionem catholicae veritatis eiecto, non immerito credebatur, quod ordinatores tui contra sacrorum canonum videbantur sui similem consecrasse: sed adfuit misericordia Dei in hoc te dirigens atque confirmans, ut malis principiis bene utereris, et non te iudicio hominum sed Dei provectum benignitate monstrares. Nam et baptismus, quod procul sit ab ecclesia, sive ab adultero vel a fure fuerit datus, ad percipientem munus pervenit illibatum.

Etsi innocens malitia et honestum potest esse coniugium, electionem meliorum deseruisse transgressio est.

Alienum est a consuetudine ecclesiastica, ut qui presbyterali honore aut diaconi fuerint consecrati, pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant paenitendi, quod sine dubio apostolica traditione descendit, secundum

quod scriptum est, sacerdos si peccaverit quis orabit pro illo? Unde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda succensio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.

Necesse est ut reatus peccatorum ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur, etiamsi mortis periculo urgente, statim post acceptionem paenitentiae et reconciliatio subsequatur.

Quicumque contra apostoli vocem admissi sunt, ab ecclesiasticis officiis et sacerdotali nomine, apostolicae sedis auctoritate, iubemus arceri.

Nec alieno nomine aliquis clericorum exercere foenus attemptet: alioquin a suo se noverit officio submovendum.

De apostatis. Pro magno habeant beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in quo inveniuntur ordine maneant, si tamen iterata unctione non fuerint maculati.

Inferiorum ordinum culpae ad nos magis referendae sunt, quam ad desides negligentesque rectores.

Sicut quaedam sunt quae nulla possunt ratione convelli, ita quaedam sunt quae aut pro consideratione aetatum aut pro necessitate rerum oportet temperari.

Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus episcopis cum metropolitani indicio consecrati; unde cum saepe quaestio de male accepto honore nascatur, quis ambigat, nequaquam istis esse tribuendum quod non docetur fuisse conlatum? Siqui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in eorum ecclesiis ordinati sunt qui ad proprios episcopos pertinebant, et ordinatio eorum consensu et iudicio praesidentium facta est, potest rata haberi, ita ut ipsi in ecclesiis perseverent: aliter autem, vana habenda est consecratio, quae nec loco fundata est, nec auctoritate munita.

Nuptiarum foedera vel inter ingenuos vel inter aequales. Aliud est uxor, aliud concubina; sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonio utitur ex genesi ubi dicitur Abrahae: eice ancillam et filium eius; non enim heres erit filius ancillae cum filio meo Isaac.

Paenitenti utilius est dispendia pati, quam periculis negotiationis obstringi.

Quibus viventibus non communicamus, mortuis communicare non possumus.

Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis post paenitentiae actionem redire ad militiam saecularem.

In adulescentia constitutus, si urgente metu mortis aut captivitatis periculo, paenitentiam gessit, et postea timens lapsum incontinentiae iuvenilis copulam uxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem indicetur fecisse venialem.

Hii autem de quibus scripsisti, qui non se baptizatos nesciunt, sed cuius fidei fuerint qui eos baptizaverunt se nescire profitentur, unde quomodolibet formam baptismatis acceperunt, rebaptizandi non sunt, sed per manus impositionem virtute spiritus sancti, quam ab haereticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.

Qui immolaticiis cibis asseruntur esse polluti, paenitentiae satisfactione purgentur, quae non tam temporis longitudine quam cordis compunctione pensanda est.

Propositum monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato.

Puellae quae non parentum coactae imperio, sed spontaneo iudicio, virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias aligunt, praevaricantur, etiamsi nondum eis gratia consecrationis accessit.

Si idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos nisi per publicam paenitentiam non oportet admitti.

Ad thessalonicensem episcopum. Vices nostras ita tuae credimus pietati, ut in parte sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudine potestatis.

De electione episcopi. Si in aliam fortasse personam se partim vota diviserint, metropolitani iudicio is alteri praeferatur qui maioribus studiis iuvatur et meritis.

Nec subdiaconis connubium carnale conceditur.

Remotis malis, quae hostilitas intulit, unicuique id quod legitime habuit reformetur: nec tamen culpabilis iudicetur et tamquam alieni iuris pervasor, qui personam eius mariti qui non esse existimatur assumpsit.

Hi qui baptismum ab haereticis acceperunt, cum baptizati ante non fuissent, sola sancti spiritus invocatione per impositionem manus confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt.

Principatus autem quem aut seditio extorsit aut ambitus occupavit, etiam si moribus atque actibus non offendit, ipso tamen initii sui est perniciosus exemplo.

Quia universae viae Domini misericordia et veritas, cogimur secundum sedis apostolicae pietatem ita nostram temperare sententiam, ut trutinato pondere delictorum quod constat non unius esse mensurae, quaedam definiamus toleranda, quaedam penitus amputanda.

Quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est qui non meruit ordinari?

Episcopi qui talem consecraverint sacerdotem qualem esse non liceat, etiamsi aliquo modo damnum proprii honoris evaserint, ordinationis tamen ius ulterius non habebunt.

De mora concilii. Non ultra quindecim dies qui convenerint retardentur.

Si aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo a munere indulgentiae praesentis excesserit, et priusquam ad constituta remedia perveniret, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit.

Cum ad nostrum iudicium provocasset, immerito eum pendente negotio a communione videmus fuisse suspensum.

Qui in tempore necessitatis et in periculo urgentis instantiae praesidium paenitentiae et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda.

Non passim diebus omnibus sacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur, sed

post diem sabbati eius noctis, qoae iu primo sabbati lucescit exordio, consecrandi eligantur. Quibus ieiunis a ieiunantibus saara benedictio conferatur: quod eiusdem observautiae erit, si mane ipso dominico dia continuato sabbati ieiunio celebretur.

De dia, quo mundus coepit. Christus resnrrexit, baptizare praecepit, clausas ianuas intravit, discipulos iusufflavit, spiritum dedit, aa manna primum pluit.

Quotiens basilicam, iu qua agitur, praeseutia novae plebis impleverit, totiens sacrificium subseqnens offeratur.

Conscientiam sufficiat solis sacerdotibus indicare confessiona secreta.

Ordo assa debuerat ut cum metropolitano da ao, quod quaerendum videbatur esse, conferres.

EX DECRETIS HILARI.

Qood quis commisit illiaite aut a decessore invenit admissum, si proprium periaulum vult vitare, dampnabit.

EX DECRETIS SIMPLICII.

De presbyterum iuvitum faciente. Privilegium meretur a mittere qoi permissa sibi abutitur potestate.

EX DECRETIS FELICIS.

Na umquam, qui in qualibet aetata alibi quam in ecclesia catholica baptizati aut rebaptizati sunt, ad ecclesiastiaam militiam prorsus permittantur accedere.

Qui nulla necessitate nullius rei timore se ut rebaptizareutur haereticis impie dederunt, si tamen eos ex corde paenitest, tribus annis inter audientes sint, septem autem annis subiaceant inter paenitentes manibus sacerdotum.

Si anta praefinitum paenitentiae tempus desperatus a medicis, aut evidentibus mortis pressus indiciis, recepta quisquam communionis gratia convalescit, servemus iu eo quod nicaeni canones ordiuarunt, ut habeatur inter illos qui in oratione sola communicant, donec compleatur spatium temporis eidem praestitutum.

Nequis fratrum episcoporumque nostrorum aut atiam presbyterorum in alterius civitate vel dioecesi paenitentam vel sub manu positum sacerdotis, aut cum recounciliatum se esse dixerit, siua episcopi val presbyteri testimonio et litteris, aut in parrochis presbyter aut episcopus iu civitate suscipiat.

EX DECRETIS GELASII.

Sacri canones appellationes totius ecclesiae ad huius sedis examen voluere deferri, ab ipsa vero numquam prorsus appellari sanxerunt.

Mortuos suscitasse legimus Christum, errore mortuos absolvisse non legimus.

Si deinceps non finitur mansura perversitas, non est benignitas remittentis, sed consentientis annuntiatio.

Sicut non potest, perversitatis communicatore non suscepto, perversitas approbari; sic nec potest refutari perversitas, complice sectatore perversitatis admisso.

De Acacio communicante cum Petro. Modum servare debuisset, ut priusquam se ei communione misceret, per sedem apostolicam posceret et examinare eum et legitima probatione purgare, eum non examinandi, aut recipiendi eum habuisset pontificium. Cum sine me ius non habuerit vel absolvendi vel recipiendi huiusmodi rite personam, nec purgatam legaliter nec regulariter constat esse.

Postquam communionis factus alienae est, non potuit nisi catholica et apostolica mox societate praecidi, ne per eum si vel paululum cessaremus, nos quoque videremur subisse contagia impiorum.

Sed nec illud praeterimus, quod ab apostolica sede frequenter actum est, more maiorum, etiam sine ulla synodo praecedente, ut solvendi quos synodus iniqua dampnaverat, et dampnandi nullo resistente quos oportuit, habuerit facultatem.

De necessitate. Si unius *vir* sit uxoris et virginis, sit lector, vel notarius, vel defensor, post tres menses accolythus, sex subdiaconos, undecim diaconus, completo anno presbyter.

Basilicas noviter institutas, non petitis ex more petitionibus, dedicare nemo audeat.

Presbyteri, sine summo pontifice, subdiaconus, vel acolythus, non sunt faciendi.

Ordinationes presbyterorum et diaconorum quarti mensis ieiunio ·VII· et ·X· sed etiam quadragesimalis initii ac mediana quadragesimae die sabbati.

Nec cuiuslibet utilitatis seu presbyterum seu diaconum his praeferre qui ante ipsos fuerint ordinati·

Devotis virginibus, nisi in epiphaniorum aut albis paschalibus aut apostolorum natalibus sacrum minutiae velamen inponant: nisi forte sicut de baptismate dictum est, gravi languore corporis·

Viduas velare pontificum nullus attemptet.

Virginibus sacris temere sociatos quosdam cognovimus, quos aequum est a sacra communione retrudi; et nisi per publicam probatamque paenitentiam, omnino non recipi·

Alienum clericum, invito episcopo ipsius; nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi forte ex placito charitatis inter dantem accipientemque conveniat·

Quos constiterit indignos meritis sacram mercatos esse pretio dignitatem, cunctos oportet arceri non sine periculo tale facinus perpetrantes, quia dantem

pariter accipientemque dampnatio Simonis, quam sacra lectio testatur, involvit.

Quattuor tam de reddita quam de oblatione fidelium prout cuiuslibet ecclesiae facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones, quarum sit una pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda: ipsam nihilominus ascriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse demonstraturum videatur, tamen iuxta quod scriptum est " ut videant opera vestra bona „ oportet etiam praesenti testificatione praedicari. Quapropter nec clericorum quispiam se huius offensae futurum confidat inmunem, si in his, quae salubriter sequenda deprompsimus, sive episcopum, sive presbyterum, sive diaconum viderit excedentem, non protinus ad aures nostras deferre curaverit, probationibus dumtaxat competenter exhibitis, ut transgressoris ultio fiat ceteris interdictio delinquendi. Porro modis omnibus erit unusquisque pontificum ordinis et honoris elisor, si cuiquam clericorum vel ecclesiae totius anditui haec putaverit supprimenda.

Facultates ecclesiae, nec non et dioeceses, quae aliquibus possideutur episcopis, iure sibi vindicent, quod triennalis lex conclusit.

De his quae in ecclesia legantur. Opuscula atque tractatus omnes diversorum patrum, qui in nullo a sanctae romanae ecclesiae consortio deviarunt, legenda decernimus. Gesta sanctorum martyrum ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta romana ecclesia non leguntur, quia et eorum qui scripsere nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus vel haereticis superflua vel minus apta, quam sanctus ordo ferat, esse putantur.

Constat sine summi pontificis auctoritate ecclesiam noviter conditam non posse dedicari.

Quis Iustitiae potest hoc credere ratione iactari, ut sponsae, quae acceptis arrhis, velamine etiam capitis, ubi maxime causa votorum videtur esse perfecta, raptum vocare audeat?

Sacratam patinam, quam actores Petri spectabilis viri filii nostri a Potentinae urbis pontifico queruntur ablatam, omni investigatione disquire: et si aperta probatione constiterit hanc de sanctuariis fuisse subtractam atque in propriis utilitatibus ab antistite fuisse consumptam rationem nobis illico destinabis. Cuius clero, nequid pro tam sancta, et necessaria proditione a suo patiatur antistite, a nobis deputata diutio (1) est.

Canones praecipiunt nullum omnino pontificum, nisi nobis ante iussis * atque consultis, ad comitatum se debere contendere. * Ita cod.

De his qui quomodolibet obnoxii sunt. Si quis ex his presbyter repperitur, in eodem gradu, peculii sola amissione, permaneat: diaconus vero aut vicarium praestet, aut si non habuerit, ipse reddatur. Residua officia scito neminem posse ab obnoxietate si convincitur vendicari.

(1) Ita cod. Neque vero inter scripta Gelasii quae in conciliorum collectionibus supersunt, emendandi facultatem nactus sum.

L

Suprascriptum presbyteri honore decorabis, sciturus eum visitatoris tenore, non cardinalis te creasse pontificis.

Quis aut legem principum aut patrum regulas aut admonitiones modernas ducet deberi contempui, nisi qui impunitum sibi tantum extimet transire commissum?

De his qui nolunt ordineri. Qui proficere noluerunt, reddantur suis inferioribus post minores, ipsaque commoda presbyteri propensius quam diaconi consequantur, ut hac saltem ratione constricti, si honorem refugerent appetere, amittant * et quaestum.

* Cod. [illegible]

Sicut ad sacerdutium debiles corpore venire non patimur, ita si quis constitutus actu, fuerit sanciatus, amittere non potest quod tempore suae sinceritatis accepit.

Qui fugit ad ecclesiam post sacramentum praestitum de impunitate, reddatur invitus.

Res in litigio posita in nullam transferri potest personam, donec legitimae cognitionis eventu, cui potius debeatur, iudiciaria disceptatione possit agnosci.

Convenit ut in alio aliquo cogatur inpactus, is qui sponte facere quae sunt recta contempserit.

Comperimus, quod quidam, sumpta tantummodo sacri corporis portione, a caiice sacri cruoris abstineant. Aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius eiusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest pervenire (1).

Constat eum, qui caelestem militem pulsat, nonnisi eius forum debere sectari.

Nihil sibi fundator ex hac basilica noverit vindicandum, nisi processionis aditum quae christianis omnibus in commune debetur.

EX DECRETIS ANASTASII.

In Acacium prolato a papa Felice indicio, quae in consecrationibus vel in baptismate ministeria tradita susceperunt, ne irrita divina beneficia videantur, meminerint in hac quoque parte tractatum praevalere superiorem, quia non sine usurpatione sacerdotii adiudicatus hoc egerit in quo virtutem obtinentibus ministeriis, in hoc quoque aliis rea sibi persona non nocuit.

EX DECRETIS SYMMACHI.

Laicis quamvis religiosis nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur attributa facultas.

Nulli apostolicae sedis praesuli urbanum seu rusticum ius, quantaecumque

(1) Videlicet nisi ecclesia, quae est fidei columna et magistra veritatis, aliter constituerit. Nam controversiam de sacra synaxi sub una vel utraque specie catholici theologi satis iam contra heterodoxos ventilarunt. Insuper licet cogitare, Gelasium heic loqui de sacerdotibus ad aram celebrantibus, non de laicis. Editor.

fuerit magnitudinis vel exiguitatis, sub perpetua alienatione vel commutatione ad cuiuslibet iura transferre, sed nec in usufructuarium aliquibus dare liceat, praeter clericos et captivos at peregrinos. Sane tantum quibuslibet domus urbibus constitutae, quarum statum necesse est expensa non modica sustentari, aeceptis si offerri contigerit sub iusta extimatione redditibus, ex divini timore iudicii commutentur. Pari etiam ecclesiarum per omnes romanae (1) civitatis titulos qui sunt presbyteri vel quicumque fuerint astringi volumus lege. Alienator ac venditor, honoris sui amissione multetur! tam qui petierit aut acceperit, vel qui presbyterorum aut diaconorum seu defensorum danti subscripserit, anathemate feriatur.

Contra fas quod conceptum fuerit documentum, universis viribus, quamvis ab initio nullas habuerit, evacuetur. Huius autem constituti legem in apostolica tantum volumus sede servari.

Si quis presbyter aut diaconus aut clericus, Papa incolume et eo inconsulto, aut subscriptionem pro romano Pontifice commendare, aut pitacia promittere, aut sacramentum praebere temptaverit, aut aliquod suffragium polliceri vel de hac causa privatis conventiculis factis deliberare aut decernere, loci sui dignitate et communione privetur.

Quis enim sanctum esse dubitet quem apex tantae dignitatis attollit? in quo si desint bona adquisita per meritum, sufficiunt quae a loci decessore praestantur: aut enim claros ad haec fastigia erigit, aut qui eriguntur illustrat.

GREGORIUS PAPA IN REGISTRO.

VIII. De exceptione quadraginta annorum in rebus ecclesiae. Sin vero actores ecclesiae non eos possedisse quadraginta annis inconcusso iure monstraverint, sed aliquam inter tempora haec motam aliquando fuisse quaestionem eorumdem finium, electis arbitris tranquille et legaliter sopiatur.

XVII. Decet cunctos per loca vestra Longubardos admonere, ut quia ubique gravis mortalitas imminet, eosdem filios suos in arrianos haeresi baptizatos ad catholicam fidem concilient, quatenus ira Domini omnipotentis super eos placetur.

XVIII. De non promovendo invito. Iustum est ut nemo crescere cogatur invitus.

XXIIII. Deo subtiliter cuncta praestante, tanto facilius ex sua eripitur, quanto miricordius ex aliena temptatione fatigatur.

Cuncti liquido novimus, quia cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.

Prophetae tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad paenitentiam provocarent.

Sicuti sancti evangelii quattuor libros, sic quattuor concilia suscipere et venerari fateor, id est nicaenum, ephesinum, chalcedonense, constantinopolitanum.

Si quis autem a clericatu in monachicam conversionem venire contigerit, non

(1) Ita correxi ex editis Symmachi canonibus. At cod. *commune pro romanae.*

liceat ei ad eamdem vel aliam ecclesiam, quarum pridem miles fuerat, sua voluntate denuo remeare. Monachis de monasterio in monasterium emigrare non liceat, nec eorum aliquem quicquam peculiare habere permittas.

XLI. Nec ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere, idest in una fide.

Ex familia si quis culpam fecerit, in ipso quidem, ut dignum est, vindicetur: commodo autem eius omnino abstineatur, nisi forte parum aliquid quod in usu executoris, qui ad eum transmissus fuerit, proficere possit.

De lapsis sacerdotibus ac levitis vel quolibet ex clero observare te volumus, ut rebus eorum nulla contamiuatione miscearis; sed paupercula regularia monasteria require, quae secundum Deum vivere sciunt, et in eisdem monasteriis lapsos trahe, et res lapsorum in eo loco proficiant.

Sacculum ecclesiae ex lucris turpibus nolumus inquinari.

Qui ecclesiae stipendiis subsistit, ad lucra propria non anhelet.

Episcopis omnibus dicatur, ut nullum facere diaconum praesumant, nisi qui se victurum caste promiserit.

XLII. Parentes morientium, qui in possessione ecclesiae degunt, heredes eis accedere debeant.

LIII. Indecens esse credimus, ut progeniti ex libera muliere filii ad servitium retrahantur.

XXXII. Sicut baptizatus semel, baptizari iterum non debet, ita qui consecratus est semel, in eodem ordine iterum non valet consecrari.

Si quis cum levi forsitan culpa ad sacerdotium venit, pro culpa paenitentia indici debet, et tamen ordo servari.

XXXIIII. Isidorus se esse excommunicatum conquestus est pro nulla alia causa, nisi pro eo quod te iniuriaverat; quae res nos vehementer afflixit.

Maior in sacerdotibus merces est, in veritatis tramite, etiam post iniuriam, permanere.

XLIIII. Violentos laicos coërcere, non contra leges est agere, sed legi ferre subsidium.

XLVI. Consona sanctis patribus definitione sancimus, ut qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare vel communionem capere sit dignus altaribus.

LIIII. Si aptam non invenitis, in qua possitis consentire, personam, saltem tres viros rectos ac sapientes eligite quos ad hanc urbem generalitatis vice mittatis, quorum et iudicio plebs tota consentiat. Forsitan huc venientes, praestante Dei misericordia, talem reperient, qui vobis antistes irreprehensibiliter ordinetur.

XL. De eligendo pastore. Iudicari a vobis ultra non debet semel praelatus: sed tanto nunc subtiliter iudicandus est, quanto postmodum iudicandus non est.

LXX. Ad Mediolanenses. Quia quantum ex cleri relatione didicimus, in Constantio filio nostro diacono eiusdem ecclesiae omnium consensit electio, necesse fuit pro servanda consuetudine, militem ecclesiae nostrae dirigere, qui eum in

quo omnium voluntates atque consensum concorditer convenire cognoverit, a suis episcopis, sicut vetus mos exigit, faciat consecrari.

LXXIIII. Duos vel tres de suis eligere, et hue ad eligendum episcopum transmittere non omittant.

LXXVII. De accusatione episcopi corinthii clam facta a clericis. Ea quae dicta sunt, indiscussa manere non patimur, ne furtasse horum sit comparata concordia. Quodsi, quod absit, non ex caritate, sed ex praemio facta constiterit, maiori emendatione plectendum est.

LXXVIIII. Eam quam stupravit, aut uxorem factis nuptialibus instrumentis accipiat, aut corporaliter castigatum in monasterio eum privatum communione, ubi paenitentiam peragat, dare festinabis.

LXXIII. Habuisse te concubinam manifesta veritate comperimus, de qua etiam contraria est nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse iudicium, hoc conscientiae tuae committimus eligendum: qua de re si in sacro ordine constitutus te permixtione esse recolis maculatum, sacerdotii honore deposito, ad ministrandum nullo modo praesumas accedere.

LXXXVI. Pueri ad sacros ordines nullo modo admittantur.

XCI. Quae potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit et pastor nescit?

XCIII. Contra morem quippe ecclesiasticum est, al non patientissime toleratur, quod a nobis absit, etiam iniusta correctio.

Nullum metropolitanum in quibuslibet mundi partibus est auditum extra missarum tempus usum sibi pallii vindicasse.

Synodorum sententias sequentes, minores culpas quae negantur, ulcisci recusamus.

De presbyteris culpatis. Si in obiectis sibi capitulis contumaciter respondere temptaverint, volumus ut eis post secundam et tertiam admonitionem tuam ministerium sacri interdicas officii.

XVIIII. De sacris mulieribus lapsis. In alio districtiori monasterio virginum in paenitentiam volumus redigi. Is autem qui cum huiusmodi feminis in aliqua fuerit iniquitate repertus, communione privetur, si laicus; si clericus, a suo remotus officio in monasterio retrudatur.

Episcopi baptizatos infantes signare in frontibus bis chrismate non praesumant. Presbyteri baptizatos tangant in pectore, ut episcopi postea tangere debeant in fronte.

XI. Presbyteros, diaconos, ceterosque clericos, qui ecclesiis militant, abbates fieri per monasteria non permittas. Satis enim incongruum est, si cum unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad utrumque iudicetur idoneus.

Iuvenculas fieri abbatissas vehementissime prohibemus.

XIII. De simoniace ordinato. Si in eo quippiam, quod avertat Deus, fuerit tale repertum, ipse etiam presbyteratus privetur ordine, quem non causa replendae necessitatis ecclesiae, sed sola comprobatur ambitione sumpsisse.

XX. Licet cetera cuiuspiam talis vitae sint merita, ut nihil sit quod ex his

sacerdotalibus valeat ordinationibus obviare, tamen solius nefas ambitus severissima canonum districtione dampnatur.

Nos consecrationem dicere nullo modo possumus quae ab excommunicatis est hominibus celebrata.

XXIIII. De his quae velantur virginibus nullus, ut nunc fieri dicitur, quicquam praemii praesumat accipere.

XXVI. Qui post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccato carnis fuerit, sacro ordine ita careat, ut ad altaris ministerium ulterius non accedat.

Dum diligenter quilibet exquisitus ordinatur, non celeriter post ordinationem deponitur.

XXXVI. De eo qui in servitutem quaerebatur. Audio ad mensam ecclesiae per annos plurimos consedisse inter nobiles, et subscripsisse eo quoque fratre nostro sciente innumeris, et post tot annos modo videtur fraternitati vestrae ut de status sui conditione pulsetur; quod mihi omnino incongruum videtur.

XXXVIII. Omnes quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio et communione alienos faciendos procul dubio noveritis.

XXXVIIII. Ubi episcopi desunt, ut presbyteri et in frontibus baptisatos chrismate tangere debeant, concedimus.

Neque mulieres in monasterium tuum deinceps qualibet excusatione permittas ascendere; neque monachos tuos sibi commatres facere.

XLII. Lex habet ut homo liber pro debito nullo modo teneatur, si res defuerint quae possint eidem debito addiei.

XLIII. Nemo potest et ecclesiasticis obsequiis deservire, et in monachica regula ordinate persistere.

XLVIII. De eo qui depositus pro lapsu, si sacrificat, ut non communicet inter laicos.

LXI. Lapsos, in sacrum ordinem nullius vobis supplicatio aliquo modo revocare suadeat.

LVIIII. Siquos ad clericatus ordinem vel potiorem forte gradum promoveri contigerit, non praemiis aut precibus sed meritis ordinentur. In nulla ordinatione fraternitati vestrae commoda quolibet modo surripiant; ne laqueis simoniacae, quod absit, haereseos illigetur.

LXIII. De episcopo eligendo. Prius de criminibus, quae impedire possunt, a te secrete requirendum est; a quibus si liber inventus fuerit, eligi iure potest.

LXXIIII. Quisquis semel in hac ecclesia sacrum ordinem acceperit, egrediendi ex ea ulterius licentiam non habebit.

LXXXII. De vocabulo universalis. Decessoris mei tempore gravia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt, in quibus synodi, quae apud vos de fratris quondam et consacerdotis nostri Gregorii causa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum, acta dissolvit.

LXXXIII. Scelesto vocabulo consentire nihil est aliud quam fidem perdere. Sed nec Iohannem presbyterum psalmorum nescium praevidimus ordinare.

XCIIII. De accusationibus episcopi. Qui pro deferenda accusatione saeros ordines acceperunt, eisdem ordinibus privatos esse, atque ita sicuti sunt depositi volumus permanere, nec umquam sub qualibet accusationis specie in sacros ordines revocari decernimus. Nam nimis indignum et contra ecclesiasticae regulam disciplinae est, ut honore quem non meritis, sed pro sceleris praemio percepere, fungantur: sed in ordine locoque suo tantummodo, unde ad sacros honores promoti fuerant, volumus revocari.

Nulla ratio patitur, ut in iis quae pro utilitate generalitatis inpendit, aliquod sustineat iniustitiae dispendium.

XCV. Cur non videtur, quia eum quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit ut haereticus fiat?

XCVIII. Facto concilio ante corpus beeti Petri apostolorun principis, tam de hoc, id est pallio, quam de aliis ordinationibus aliquid accipere, sub districta interdictione vetuimus.

CI. Quae de ecclesiae suae vel de adquisitis in episcopatu rebus contra legum fieri statuta disposuit, fraternitas vestra nec praebeat, nec aliqua in his ratione consentiat.

CIII. De accusato simoniaco. Necesse habuimus te summopere per scripta nostra prohibere, ne missarum sollempnia calebrare debuisses, donec quid esset verius potuissemus addiscere.

De personis religiosis. Si forte, ut assolet, aliqua illis quomodolibet fuerit nata suspicio, et electorum desideraverint forte iudicium, sub tua executione eligendi fas habeant cognitores; ne actor apud suspectum litigando, videatur praeiudicium sustinere.

CXII. De servorum libertate facta tribus presbyteris cardinalibus testibus et tribus diaconis.

CXII. Qui sua a successoribus desiderat mandata servari, decessoris sui procul dubio voluntatem et statuta custodiat.

CXXIII. De Anthemio subdiacono, ut episcopus per castella vagantem in monasterium mitteret.

CXXIIII. Numquid non ipse nosti, quia causa quae a Iohanne presbytero contra Iohannem constantinopolitanum fratrem et coepiscopum nostrum orta est, secundum canones ad sedem apostolicam recurrit, et nostra est sententia definita?

CXXV. Omnibus notum est piissimos dominos disciplinam diligere, ordines servare, canones venerari, et in causis se sacerdotalibus non miscere.

CXXVI. De episcopis ut ordinent presbyteros de monachis, tamen consensu abbatis.

CXLVII. De volente monachatum. Ita suscipiendum esse cognosce, si et uxor ipsius similiter converti voluerit. Nam dum unum utrorumque corpus coniugii copulatione sit factum, incongruum est partem converti, et partem in saeculo remanere.

CLXXXIII. Decreta legalia desponsatam, si converti voluerit, nullo omnino censuerunt damno mulctari.

Sacri canones, sicut nostis, ultra tres menses ecclesiam praecipiunt non vacare.

De quodam abbate. Nequa de his, quae dicta fuerant, suspicio remaneret, ad plenissimam te satifactionem, si ab eis insons extiteris, ad sacratissimum corpus beati Petri apostolorum principis districta fecimus saeramenta praebere.

CXCIII. Diaconus ad exbibenda saera mysteria illi non debet ministrare, qui elationis culpam aut consensit, aut commissam ab aliis ipse non corrigit.

Quod vero diabolus cor hominis ingrediatur, si evangelio creditur, non negatur.

CCII. Criminaliter cadentem, in loco de quo lapsus est nulla permittit ratio revocari.

III. Loca humandi corporis pretio non possunt adispici.

IIII. Grave omnino et ultra quam dici potest facinus est spiritum sanctum, qui omnia redimit, venumdari.

VII. Volumus ergo, ut quicquid ecclesiae tuae ex reddita vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeas segregare, atque eam secundum Dei timorem presbyteris diaconibus ac clero, ut tibi iussum fuerit, diserete dividere. Ita sane ut unicuique sicut meritum laboris exegerit, libera tibi sit, iuxta quod praevideris, largiendi licentia.

X. Siqui vero ex militaribus numeris in monasteriis converti festinant, non sunt temere suscipiendi, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita. Et iuxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, et tunc monachicum habitum Deo auctore suscipere.

XXIIII. Presbyterum nulla ratione post lapsum, in sacro ordine permanere aut revocari posse cognoscas.

XXVIII. Paene omnium martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno codice nomina habemus: atque cotidianis diebus in eorum veneratione missarum sollempnia agimus.

CCXII. Si nulla ei crimina, quae per legis sacrae regulam morte mulctata sunt obviant, hortandus est ut vel monachus vel a vobis subdiaconus fiat; ut post aliquantum tempus si Deo dictum placuerit, ipse ad pastoralem curam debeat promoveri.

Procul est a sacerdotis officio pretium de terra concessa putredini quaerere.

XXVII. Ubi senior iuvenibus exemplum ad interitum praebet, ibi districta increpatione feriendus est.

XLII. Illud nobis omnino displicuit, quod aliquos episcoporum sine primatis sui epistolis ad comitatum profectos esse, vel conventus significas illicitos celebrare.

XLIII. Ad syracusanum episcopum. Fraternitas vestra tres vel quattuor de fratribus ac consacerdotibus nostris adhibeat, ut ipsis quoque praesentibus, ac satisfacta veritate, praedictum Lucillum de episcopatus ordine, quem huius sceleris contagio maculavit, studeat sine ambiguitate deponere.

XLIII. Subdiaconos ut spoliatos procedere facerem, antiqua consuetudo ecclesiae fuit.

LXXV. Ille ad ovile ovium intrat per ostium qui intrat per Christum: ipse autem per Christum ingreditur qui de eodem creatore ac redemptore humani generis vera sentit et praedicat et praedicata custodit.

LXXXI. Quicquid vel ante ecclesiae ipsius esse cognoveris, vel in episcopatus ordine praedictum episcopum adquisisse, in eiusdem ecclesiae dominio reservetur.

LXXXII. Quoties in quattuor praecipuis sedibus antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittunt, in quibus sanctam chalcedonesem synodum cum aliis generalibus synodis custodire fatentur.

CIIII. Sicut legalis definitio Iudaeos novas non patitur erigere synagogas, ita quoque sine inquietudine veteres habere permittit.

CV. Qui non corrigit resecanda, committit.

CVI. Ingredientibus monasterium convertendi gratia, ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum monasterii iuris fiant.

Docti viri responderunt, res ipsius eidem loco, ex quo illuc ingressa et abbatissa constituta est, manifesto iure competere.

Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut ea quae contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.

CVIII. De clericis fugitivis. Qui suae actus deserentes ecclesiae, in aliorum se obsequiis ac laboribus occupantes, ubi nomen dederunt militiae, inveniantur extranei.

CVIIII. Contra idolorum namque cultores vel haruspicum aut sortilegorum fraternitatem vestram vehementius pastorali hortamur invigilare custodia. Si servi sunt, verberibus; si liberi, inclusione emendentur.

Cavendum a fraternitate vestra est, ne saecularibus viris atque non sub regula vestra degentibus res ecclesiasticae committantur, sed probatis de vestro servitio clericis.

CXIII. De imaginibus. Tua fraternitas et illas servare, et ab eorum adoratu populum prohibere debuit (1).

CXVII. Ea quae semel apostolicae sedis auctoritate sancita sunt, nihil dehabeant firmitatis.

CXVIII. Si in ecclesiasticis officiis quemquam habet locum pecunia, fit saecularе quod sacrum est. Quicumque ergo hoc pretii studet datione mercari, dum non officium sed nomen attendit, sacerdos non esse sed dici tantummodo inaniter concupiscit. Cur non cavetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc ut fiat haereticus promovetur? Nimis ergo declinandum est, dilectissime frater, sub obtentu eleemosynae peccata simoniacae haereseos perpetrare.

CXVIIII. Te, vel archidiaconum tuum, dalmaticarum usu decorandos decernimus.

CXXI. Dignum profecto esse credidimus, ut cum mentis gravitate qua Deo propitio pollere didicimus, habitus quoque exterioris clarior in te cultus accresceret.

(1) Numquam catholica ecclesia imagines sanctorum adoravit, sed tamen eas venerata est. Alioquin satis iam theologi dictum hoc Gregorii contra iconomachos defenderunt.

Episcopos secundum ordinationis suae tempus, sive ad considendum in concilio, seu ad subscribendum, vel in qualibet alia re, sua tenere loca decernimus.

CXXVIIII. De pallio. Huius indumenti honor humilitas atque iustitia est.

Flagitari iudicium non debet de causa quam prô se iudicavit.

CXL. Praeterea monasteriis omnibus fraternitas vestra districtius contradicat, ut eos, quos ad convertendum susceperint, prius quam biennium in conversione compleant, nullo modo audeant tonsurare.

CXLII. De beati Petri apostoli rebus Quamvis parva sint quae offerantur, pro magna semper benedictione sumenda sunt.

CXLVI. De Frontoianistis haereticis. Si qui vero contra vos ex his ad nos venire voluerint, minime eos fraternitas vestra retineat: quia venientes aut rationem recipient, aut scito quia terram illam numquam videbunt.

CL. Amatoribus usurarum nulla ratione manus imponimus.

CLV. Hoc interest inter reges gentium et imperatorem Romanorum, quia reges gentium domini servorum sunt, imperator vero Romanorum dominus liberorum.

CLVII. De consecrando episcopo mediolanensi. Pantaleonem notarium nostrum transmisimus, qui eum, ut moris est, consensus nostri auctoritate faciat consecrari.

CLXI. De concubinato presbytero familiari episcopi. Qui talem recipit, scelera non corrigit, sed magis aliis talia perpetrandi videtur dare licentiam.

Adorare vero imagines modis omnibus devita.

Si qui contra quemlibet clericum causam habuerit, episcopum ipsius adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certe ab ipso iudices deputentur.

CLXXVIII. Sunt quaedam scandala quae omnino despicienda non sunt, quaedam vero eum vitari sine culpa non possunt, despicienda sunt.

Qui dicunt quia compulsus quispiam necessitate, si anathematizaverit, anathematis vinculo non teneri, ipsi sibi testes sunt quia christiani non sunt.

Paenitentiam vere agere, est commissa plangere, sed tamen plangenda declinare.

Nusquam canones praecipiunt, ut pro aegritudine episcopo succedatur. Eo petitionem scripto donante, concedendum est.

CLXXXIII. Si mundana lex praecipit, conversionis gratia, utrolibet invito, solvi posse coniugium, divina haec lex non permittit. Postquam copulatione coniugii viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, et ex parte in saeculo remanere.

CCI. Ab antiqua patrum institutione didicimus, ut quilibet aput haeresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam ecclesiam redeunt aut unctione chrismatis aut impositione manuum ad sinum matris ecclesiae revocentur. Unde arrianos per impositionem manus occidens, per unctionem vero chrismatis ad ingressum catholice oriens reformat: monophysitas vero ex sola confessione vera recipit, quia sanctum baptisma, quod sunt apud haereticos consecuti, tunc in eis vires emundationis accipit, cum vel illi per impositionem manus spiritum sanctum acceperint, vel ipsi per professionem verae fidei sanctae et universali ecclesiae fuerint uniti.

CCV. Duris mentibus simul omnia abscidere impossibile est, quia et is qui

summum locum ascendere nititur, gradibus vel passibus, non autem saltibus, elevatur. Sic israhelitico populo in Aegypto Dominus se quidem innotuit, sed tamen eis sacrificiorum usum, quem diabolo solebant exhibere, in cultu proprio reservavit.

CCVII. Ad personam in priori loco positam repicit quicquid a minore committitur, nisi sollicite cognoscatur.

CCVIII. Dilectissimus itaque lator praesentium Nemesinus ad nos veniens indicavit, sicut et gestorum exempla quae hic detulit continebant, Paulinum Dodeatinae civitatis episcopum, inter alia mala, in corporali crimine lapsum a suis fuisse clericis accusatum; atque habita cognitione ita, quod sine dolore dicere non possumus, conclaruisse: atque insuper postquam convictus est, etiam libellum eum, in quo accusatus fuerat, vera esse confessus est attulisse. Qua de re, sententia illo Paolino deposito, se eius loco eum vestrae fraternitatia consensu esse episcopum ordinatum.

CCXVII. Quisquis ad hoc facinus emendandum officii sui consideratione vehementer non arserit, cum ipso se habere non dubitet portionem, a quo prius hoc piaculare flagitium sumpsit exordium.

CCXXII. Si consacerdotibus res in episcopatu adquisitas nulla est alienandi licentia, ita de his quae ante habuerunt, quicquid iudicare voluerint, non vetentur.

CCXXVII. Dominico die a labore terreno cessandum est, atque omnino orationibus insistendum.

CCXXVIII. De xenodochiae privilegio quod erat in Francia. Siquis vero regum, sacerdotum, iudicum atque saecularium potestatum hanc constitutionis nostrae paginam agnoscens, contra eam venire temptaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat.

De Mena episcopo expurgante se de infamia super corpus beati Petri.

CCLXXII. De redditibus ecclesiae quartam integram portionem ecclesiae tuae clericis secundum meritum vel officium sive laborem suum, ut ipse unicuique dare prospexeris, sine aliqua praebere debes tarditate. De hoc vero quod ex fidelium oblatione accesserit, id est quartam partem in solidis vel cellario eius iuxta pristinam consuetudinem dare non differas. Reliqua vero omnia in tua retine potestate. Inmobilia enim ecclesiasticis redditibus aggregantur, ut multiplicata quantitate clericorum tuorum, quarta Deo largiente proficiant.

Hortandus est clerus et populus, ut cis qui ad nos venerint, id sua debeat vice mandare, quatenus hic habeant eligendi licentiam.

CCLXXIII. Quaerendum est primum si iudicium ordinabiliter factum est, et si alii accusatores, alii testes fuerunt. Deinde causarum qualitas, si digna exilio vel deportatione fuit. Aut si eo praesente sub iure iurando contra eum testimonium dictum est, seu scriptis actum est, vel ipse licentiam respondendi et defendendi se habuit. Sed et de personis accusantium ac testificantium subtiliter quaerendum est, cuius conditionis cuiusve opinionis, aut ne inopes sint, aut ne forte aliquas contra praedictum episcopum inimicitias habuissent, et utrum testimonium ex audito dixerint, aut certe specialiter se scire testati sint; vel si scriptis iudicatum

M *

est, et partibus praesentibus sententia recitata. Quod si forte haec sollempniter acta non sunt, nec causa probata est, quae exilio vel deportatione digna sit, in ecclesiam suam modis omnibus revocetur.

CCLXXIIII. De Ianuario iniusta deposito. Episcopos qui postposita sacerdotali consideratione in fratris sui praeiudicio atque dampnatione iniuste et contra Dei timorem versati sunt, condempnans in monasterio recipiendos ad agendum paenitentiam statuo atque decerno.

De legali poena irogata facientibus iniuriam sacro ordini. Arcadius et Honorius impp. Sit cunctis laudabile, factas atroces sacerdotibus aut ministris iniurias veluti publicum crimen insequi, ac de talibus rebus ultionem mereri.

CCXC. Pervenit ad nos Fautinum defensorem ultionem exercere in Petro latore praesentium voluisse, pro eo quod quantum dicitur relictam cuiusdam diaconi, tempore quo conductor fuit, marito tradiderit. Si in coniugio diaconi mulier, de qua agitur, fuisse constiterit, et suprascriptus lator memorato defensori et rectori patrimonii modis omnibus tradatur, et competenti emendatione hii qui male sociati sunt disiungantur.

Quia Deum timeo, in morte cuiuslibet hominis me miscere formido.

Oportet ut neque per commodum neque per gratiam aut quorumdam supplicationem aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis accedere.

Dum omnis avaritia idolorum sit servitus, quisquis hanc et maxime in dandis ecclesiasticis honoribus vigilanter non praecavet, infidelitatis perditioni subicitur, etiamsi tenere fidem quam neglegit videatur.

Experientiae tuae praecipimus ut diligenti inquisitione discutias, ne forte cum eius voluntate conversus sit, vel ipsa se mutare promiserit. Et si hoc repereris, et illum in monasterio permanere provideas, et hanc sicut promisit mutare compelle.

Ad Augustinum Anglorum episcopum. Cum vero ultra modum appetitus gulae in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi corporis Christi, vel missarum sollempnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi mysterium, pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit; mutatis vestibus cantet. Nam si adsunt alii qui implere mysterium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacra mysterii prohibere non debet: sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet, si tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concusserit.

Mulieres, nisi purgationis tempora transierint, viris suis non debent admisceri.

Ad concubitum vir non debet accedere quousque qui gignitur ablactatur.

Addis quomodo quae furto de ecclesiis abstulerunt, reddere debeant: sed absit ut ecclesia cum augmento recipiat quod de terrenis rebus videtur amittere.

Clerici extra sacros ordines constituti qui se continere non possunt, sortiri uxores debent, et stipendia sua exterius accipere.

EX DECRETIS GREGORII PAPAE.

Praesenti decreto constituo, ut in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque evangelicae lectionis officium inter missarum sollempnia exsolvant: psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconum, si necessitas exigit, exhiberi. Siquis autem contra hoc decretum meum venire temptaverit, anathema sit.

Praesenti decreto constituo, ut quidam ex clericis vel etiam ex monachis electi ministerio cubilis pontificalis obsequantur, ut is qui in loco est regiminis, habeat testes tales, qui veram eius in secreto conversationem videant, atque ex visione sedula exemplum provectus sumant.

Siquis ecclesiasticorum umquam titulos ponere sive in rustico sive in urbano praedio sua sponte praesumpserit, anathema sit.

Constituo ut feretrum, quo romani pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur.

Antiquam patrum regulam sequens nihil umquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea quam nova per ambitionem simulatio invenit appellatione pastelli. Quia enim in ordinando episcopo pontifex manum ponit, evangelicam vero lectionem minister legit, confirmationis autem eius epistolam notarius scribit, sicut pontificem non decet manum quam imponit vendere, ita minister vel notarius non debet in ordinatione eius vocem suam vel calamum venumdare. Propter ordinationem ergo pro pallio seu chartis atque pastello, eundem qui ordinandus est vel ordinatus, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus praedictis rebus siquis aliquid commodi appellatione exigere vel petere forte praesumpserit, in districto omnipotentis Dei examine reatui subiacebit.

Episcopus aut presbyter uxorem propriam ne, quamquam sub obtentu religionis, abiciat; si vero eiecerit, excommunicetur, si perseveraverit; aliter deiciatur.

Episcopus aut presbyter aut diaconus nequaquam saeculares causas assumant: sin aliter, deiciantur. Siquis cum excommunicato saltem in domo simul oraverit, iste communione privetur.

Siquis post baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse episcopus non presbyter aut diaconus aut prorsus ex numero eorum qui ministerio sacro deserviunt.

Clericus fideiussionibus serviens abiciatur.

Episcopus aut presbyter aut diaconus, qui in fornicatione aut periurio aut furto captus est, deponatur; non tamen communione privetur. Dicit enim scriptura, non iudicabit Dominus bis in id ipsum.

Siquis episcopus aut presbyter aut diaconus per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem, deiciatur ipse et ordinator eius, et a communione modis omnibus abscidatur, sicut Simon magus a Petro.

Siquis episcopus saeculi potestatibus usus ecclesiam per ipsas optineat, deponatur, et segregentur omnes qui illi communicant.

Praecipimus ut in potestate sua episcopus ecclesiae res habeat: si enim animae hominum pretiosae illi sunt creditae, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere.

Episcopus, presbyter, aut diaconus aleae atque ebrietati deserviens, aut desinat aut certe dampnetur.

Siquis a medicis per languorem desectus est, aut a barbaria abscisus, hic in clero permaneat. Siquis autem se sanus abscidit, hunc in clero constitutum abstinere convenit.

Si vero processu temporis aliquod delictum animae circa personam rapiatur huiusmodi, et a duobus vel tribus testibus arguatur, a clero talis abstineat.

Interdixit per omnia sancta synodus, non episcopo non presbytero non diacono nec alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem aut sororem aut amitam, vel eas tantum personas quae suspiciones effugiunt.

Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia ordinari. Firmitas autem eorum quae geruntur per unamquamque provinciam metropolitano tribuatur episcopo.

De his qui communione privantur sive ex laico ordine ab episcopis per unamquamque provinciam sententia regularis obtineat, ut hii qui abiciuntur, ab aliis non recipiantur.

Concilia vero celebrent, unum quidem ante quadragesimam paschae, ut omni dissensione sublata munus offeratur Deo piissimum; secundum vero circa tempus autumni.

Siquis praeter conscientiam metropolitani fuerit factus episcopus, hunc magna synodus definivit episcopum esse non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabili et secundum regulam ecclesiasticam comprobato, duo aut tres propter contentiones proprias contradicunt, obtineat sententia plurimorum.

De Catharis, id est mundis, placuit sancto et magno concilio ut impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant.

Siqui presbyteri sine examinatione sunt provecti, vel cum discuterentur, peccata sua confessi sunt, et homines contra canonem commoti manus eis confestim imponere temptaverunt, tales regula non admittit, quia quod irreprehensibile est catholica defendit ecclesia.

Quicumque de lapsis ad ordinem cleri promoti sunt per ignorantiam vel per ordinantium dissimulationem, hoc ecclesiastica non praeiudicat regula: cogniti namque deponuntur.

De his qui praeter necessitatem praevaricati sunt, aut praeter ablationem facultatum, aut praeter periculum. Tribus annis inter audientes habeantur, et sex annis omni se concioni deiciant, duobus annis sine oblatione populo in oratione communicent.

De repetentibus militiam. Decem ennis post triennii tempus, quo inter audientes erunt, in efflictione permaneent. Sed in his omnibus propositum et speciem paenitentiae convenit explorare.

Si desperatus et consecutus communionem oblationisque particeps factus, iterum convaluerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consecuntur.

De civitate ad civitatem non episcopus non presbyter non diaconus transferatur. Quicumque temere ac periculose neque timorem Dei prae oculis habentes, nec agnoscentes ecclesiasticam regulam discedunt ab ecclesia presbyteri aut diaconi vel quicumque sub regula prorsus existunt, hi nequaquam debent in alia ecclesia recipi, sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas parrochias revertantur. Quod si non fecerint, oportet eos communione privari. Siquis eutem ad alium pertinentem audacter invadere, et in sua ecclesia ordinare temptaverit, non consentiente episcopo a quo discessit is qui regulae mancipatur, ordinatio huiusmodi irrita comprobetur.

Siquis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens, aut adinventione aliqua vel quolibet modo negotium transigens, protinus deiciatur a clero.

Nec sedere in medio presbyterorum diaconis liceat.

Quoniam sunt quidam in die dominico genuflectentes et in diebus pentecostes, ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto concilio stantes Domino vota persolvere.

Sacrificantes, per triennium inter audientes; per sexennium et item supra, perfectionem consequantur.

Diaconi similiter qui immolaverunt, postea vero reluctati sunt, honorem quidem habeant, cesseut vero e sacro ministerio. Post quod si quidam episcoporum conscii sunt laboris eorum et humilitatis et mansuetudinis, et voluerint eis aliquid tribuere vel adimere, penes ipsos orit potestas.

Desponsatas puellas, et post ab aliis raptas, placuit erui, et his reddi quibus ante fuerant desponsatee.

De his qui irrationabiliter versati sunt annis .XX. Hi .XV. annis in paenitentia communionem mereantur orationum: deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant.

Quotquot virginitatem promittentes, irritam fecinnt sponsionem, inter bigamos censeantur.

Si cuius uxor edultereta fuerit, vel si ipse adulterium commiserit, .VII. annorum paenitentia oportet eum perfectionem consequi secundum pristinos gradus.

De necantibus partum. Ut eis .X. annorum tempus secundum praefixos paenitentiae gradus largiamur.

Qui voluntarie homicidium fecerit, paenitentiae quidem iugiter se submittat, perfectionem vero circa vitae exitum consequatur.

De homicidiis non sponte commissis. Prior quidem definitio post septennem paenitentiam perfectionem consequi praecepit; secunda vero quinquennii tempus explere.

Qui divinationes expetunt, sub regula quinquennii iaceant, secundum gradus paenitentiae definitos:

Presbyter si uxorem acceperit, ab ordine deponatur: si vero fornicatus fuerit aut adulterium perpetraverit, amplius depelli debet.

Presbyter si praeoccupatus corporali peccato promoveatur, et confessus fuerit de se quod ante ordinationem deliquerit, oblatam non consecret, manens in reliquis officiis.

Presbyter ante trigesimum aetatis suae annum nullatenus ordinetur, licet valde sit dignus.

Siquis filios suos derelinquens non eos enutrit, et quod ad se pertinet ad pietatem divini cultus non informat, et per occasionem continentiae neglegit, anathema sit.

Quicumque filii a parentibus sub praetextu divini cultus abscedunt, nec debitam reverentiam dependunt illis, qui divinum cultum sibi procul dubio proferunt, anathema sit.

Siquis ieiunia ab ecclesia custodita superbiendo dissolvit, anathema sit.

Siquis de episcopis aut presbyteris aut diaconibus seu quilibet ex clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iste communione privetur.

Siquis episcopus damnatus a synodo, vel presbyter aut diaconus a suo episcopo, ausi fuerint aliquid de sacro mysterio contingere, nullo modo liceat ei in alia synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis.

Nullus peregrinorum sine pacis id est commendatitiis suscipiatur epistolis.

Episcopo non licere pro se alium alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitae perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum erit huiusmodi constitutum.

Quod non sit permittendum turbis electiones eorum facere qui sunt ad sacerdotium promovendi.

Quod non oporteat in quadragesima aut nuptias aut natalitia celebrari.

Quod non oporteat sacerdotes aut clericos ex collatis vel comessationibus convivia celebrare. Hoc autem nec laicis posse contingere.

Quod non oporteat sacerdotes aut clericos qoibuscumque spectaculis in caenis aut nuptiis interesse.

Siquis episcopus per pecunias fecerit ordinationem, et sub pretio redegerit spiritus sancti gratiam, quae non potest vendi, ordinaveritque per pecunias episcopum aut presbyterum aut diaconum vel quemlibet ex his qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecuniam dispensatorem, vel quemquam qui subiectus est regulae, pro sui turpissimi lucri commodo, is cui hoc admptati probatum fuerit, proprii gradus periculo subiacebit: et qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione, quae est per negotiationem facta, proficiat, sed sit alienus ea dignitate vel sollicitudine quam pecuniis quaesivit. Siquis vero mediator tam turpibus et nefandis datis vel acceptis extiterit, siquidem clericus fuerit, proprio gradu decidat; si vero laicus aut monachus, anathematizetur.

Non episcopum non clericum vel monachum aut possessionem conducere, aut negotiis saecularibus se miscere, praeter pupillorum si forte leges imponant inexcusabilem curam, aut civitatis episcopus ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere praecipiat, aut orphanorum aut viduarum earumque quae sine ulla provisione sunt personarum.

Placuit nullum quidem usquam aedificare aut constituere monasterium vel oratorii domum praeter conscientiam civitatis episcopi. Monachos vero per unamquamque civitatem aut regionem subiectos esse episcopo, et diligenter intentos esse tantummodo ieiunio et orationi, in locis in quibus renuntiaverunt saeculo permanentes: nec ecclesiasticis vero nec saecularibus negotiis communicent, nisi forte praecipiatur propter opus necessarium ab episcopo civitatis. Transgredientem vero hanc definitionem nostram, excommunicatum esse decrevimus.

Nullum absolute ordinari debere presbyterum aut diaconum nec quemlibet in gradu ecclesiastico, nisi specialiter ecclesiae civitatis aut possessionis aut martyrii aut monasterii qui ordinandus est, pronuntietur. Qui vero absolute ordinatur, decrevit sancta synodus irritam haberi huiusmodi manus impositionem, et nusquam posse ministrare, ad ordinantis iniuriam.

Qui semel in clero positi sunt aut monachorum vitam expetiverunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam.

Siquis clericus adversus clericum habet negotium, non deserat episcopum proprium, et ad saecularia percurrat iudicia. Si clericus habet causam adversus episcopum proprium vel adversus alterum, apud synodum provinciae iudicetur.

Non licere clericum in duarum civitatum conscribi simul ecclesiis. Eos vero qui ausi fuerint post definitionem magnae et universalis huius synodi quicquam ex his quae sunt prohibita perpetrare, decrevit sancta synodus proprio huiusmodi gradu decidere.

Peregrinos clericos et lectores in alia civitate, praeter commendatitias litteras sui episcopi, nusquam penitus ministrare debere.

Diaconissam non ordinandam ante annum quadragesimum.

Singularum ecclesiarum rusticas parrochias quae sunt in possessionibus, manere inconcussas illis episcopis decrevimus, qui eas retinere noscuntur, et maxime si per triecennium absque vi obtinentes, sub dispensatione rexerunt. Quod si intra triecennium facta de his vel fiat altercatio, licere eis qui se laesos asserunt, apud sanctam synodum provinciae de his movere certamen.

Coniurationis vel conspirationis crimen et ab externis legibus est omnino prohibitum; multo magis hoc in Dei ecclesia ne fiat admoneri conveniet. Siqui ergo clerici vel monachi reperti fuerint coniurantes aut conspirantes aut insidias ponentes episcopis aut clericis, gradu proprio penitus abiciantur. Siquis autem episcopus post hanc definitionem susceperit clericum ad alium pertinentem, placuit et susceptum et suscipientem communione privari.

Quae semel Deo dicata sunt monasteria concilio episcoporum maneant perpetuo monasteria.

Placuit sanctae synodo intra tres menses ordinationes episcoporum celebrari, nisi forte necessitas inexcusabilis praeparet tempus dilationis extendi.

Placuit omnem ecclesiam habentem episcopum, habere oeconomum de clero proprio qui dispenset res ecclesiasticas secundum sententiam episcopi proprii.

Eos qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi, cooperatores aut coniventes raptoribus, decrevit sancta synodus ut siquidem clerici sunt, decidant gradu proprio; si vero laici, anathematizentur.

Memini superiore concilio fratres nostros constituisse, ut siquis laicus in ea qua commoratur civitate quattuor dominicos dies, id est per tres septimanas, non celebrasset conventum, communione privaretur. Si haec circa laicos constituta sunt, multo magis episcopis.

Chrismae confectio et puellarum consecratio a presbyteris non fiat, vel reconciliare quemquam in publica missa presbytero non licere.

Siquis episcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, et fuerit ei necessitas nimia non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, a ·XII· episcopis, et presbyter a ·VI· episcopis cum proprio suo episcopo audiatur, et diaconus a ·III·

Si a quibuscumque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos ubi est maior auctoritas fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerunt iudices vel iniquo animo iudicasse vel aliqua cupiditate aut gratia depravatos. Sane si ex consensu partium electi fuerint iudices, etiam a pauciori numero quam constitutum est non liceat provocari.

Lectores cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere aut continentiam profiteri.

De episcopo. Si aliquas veras necessitatis causas probaverit, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit causae suae dicendae, intra alterum mensem iterum habeat facultatem. Verum tamdiu post mensem secundum non communicet, donec purgetur. Si autem ad concilium universale anniversarium occurrere noluerit, ut ibi causa eius terminetur, ipse in se damnationis sententiam dixisse iudicetur. Tempore sane quo non communicat, nec in sua ecclesia vel parrochia communicet.

Accusator si aliquando defuerit subtrahens se, restituto in communione episcopo, ipse removeatur a communione. Si fuerit accusatoris persona culpabilis, ad arguendum non admittatur, nisi proprias causas, non tamen ecclesiasticas, asserere voluerit. Si autem presbyteri vel diaconi fuerint accusati, adiuncto sibi ex vicinis locis proximis episcopis legitimo numero collegarum, quos ab eodem accusati petierint, id est una secum in presbyteri nomine sex, in diaconi tres, ipsorum causam discutiant.

In eos qui catholici christiani non sunt, etiamsi consanguinei fuerint, per donationes rerum suarum episcopi vel clerici nihil conferant.

Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primae sedis episcopo suae cuiusque provinciae.

Qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, sive episcopus sive quilibet cleri-

cus, et tempore excommunicationis suae audientiam communicare praesumpserit, ipse in so dampnationis iudicetur protulisse sententiam.

Quicumque clerici vel diaconi pro necessitatibus ecclesiarum non obtemperaverint episcopis suis volentibus eos ad honorem ampliorem in sua ecclesia promovere, nec illic ministrent in gradu suo unde recedere noluerunt.

Episcopi, presbyteri, diaconi, vel quicumque cleri, qui nihil habentes ordinantur, et tempore episcopatus vel clericatus sui agros vel quaecumque praedia nomine suo comparant, tamquam rerum dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti in ecclesiam eadem contulerint. Si autem ipsis proprium aliquid liberalitate alicuius vel successione cognationis obvenerit, faciant inde quod eorum proposito congruit. Quod si proposito retrorsum exorbitaverint, bonore ecclesiastico indigni tamquam reprobi iudicentur.

Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

Ut sacramenta altaris nonnisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo caena Domini celebratur.

Ut paenitentibus secundum differentiam peccatorum episcopi arbitrio paenitentiae tempora decernantur: et ut presbyteri inconsulto episcopo non reconcilient paenitentem, nisi absentia episcopi necessitate cogente. Cuiuscumque autem paenitentis publicum et vulgatissimum crimen est, ante absidam manus ei imponatur.

Ut scenicis atque histrionibus ceterisque huiusmodi personis reconciliatio non negetur.

Non praesumant ad purgandum eum qui ordinandus est tres iam episcopi, sed postuletur ad numerum unus vel duo; et in eadem plebe, cui ordinandus est, discutiantur primo personae contradicentium.

Interrogantur PP. Anastasius et venerabilis mediolanensis. Hii qui aput Donatistas parvuli baptizati sunt, nondum scire valentes erroris eorum interitum, postea quam ad aetatem rationis capacem pervenerint, agnita veritate falsitatem eorum abhorrentes ad ecclesiam Dei catholicam per universum mundum diffusam ordine antiquo per manus impositionem recepti sunt.

Nemini sit fas, relicta principali cathedra, ad aliquam ecclesiam in dioecesi constitutam se conferre.

Nulli intercessori licitum sit cathedram, cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis vel seditionibus retinere.

Nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus aut reliquiae sunt.

Quicumque in ecclesia vel semel legerit, ab alia ecclesia ad clericatum non teneatur.

Quicumque ab imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, bonore proprio privetur.

Quicumque ad comitatum ire voluerit, in formata, quae ad urbis Romae ecclesiam mittitur, intimet ut inde etiam ad comitatum formatam accipiat.

Quicumque episcopi plebes, quas ad suam cathedram aestimant pertinere, non ita repetunt ut causas suas episcopis iudicantibus agant, sed ab alio retinente irruerint sive volentibus sive nolentibus plebibus, causae suae detrimenta patiantur.

A iudicibus, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare.

Quicumque episcoporum necessitate periclitantis pudicitiae virginalis, vel cum petitor potens vel raptor aliquis formidatur, vel si aliquo mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem intra ·XXV· annos aetatis, non ei obsit concilium quod de illo annorum numero constitutum est.

Ad accusationem non admittantur quos ad accusandum publica crimina leges publicae non admittunt.

Omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis licentia non est neganda.

Quotiescumque clericis ab accusatioribus multa crimina obiciuntur, et unum ex ipsis de quo prius egerint probare non valuerint, ad cetera non admittantur.

EXPLICIT ATTONIS CARD· CAPITULARE.

INCIPIT EPISTOLA CANONICA

QUAM DEBENT ADIMPLERE PRESBYTERI, DIACONI, SEU SUBDIACONI. (1)

I. Primum omnium fidem catholicam omnes presbyteri, et diaconi, seu subdiaconi memoriter teneant: ut siquis hoc faciendum praetermittat, XL. diebus a vino abstineat: et si post abstinentiam neglexerit, ad emendandum replicetur in eo sententia.

II. Ut nullus presbyter (a), diaconus, aut subdiaconus cum mulieribus habitare aut conversari praesumat: et si inventus fuerit hoc faciens, de gradu deiciatur: insuper et exilio destinatus, dies suos in paenitentia finiat.

III. Ut ea quae a Deo conservandis christianis principibus amore inlata sunt vel fuerint ecclesiis vel titulis, nullus exinde subtrahere praesumat, ne sacratae res depopulentur. Et si quispiam praesumpserit, res quae fraudatae sunt, quadruplo restituantur: aut si non habuerit unde, ipsa loca amittant; et res ipsae, quae fraudatae sunt, ab episcopo ipsius recolligantur, et in ipso loco unde ablatae sunt refirmentur.

IIII. De presbyteris, qui eos ad communionem recipiunt, qui incestas nuptias contrahunt, id est matriniam, cognatam, vel socrum, aut filiastram, vel proxima agnatione coniunctam in coniugio sibi sociant, et ad eos pervenerint, admoneantur, ut separentur: qui si distulerint, communione priventur, et oblationes eorum in sacro altari non recipiantur. Et si presbyter sciens hoc neglexerit, distringendo, aut amicitiam temporalem adtendendo, ad communionem eum receperit sine emendatione aut paenitentia, canonicae subiaceat sententiae.

V. De his presbyteris, qui post primam, vel secundam correptionem, seu admonitionem recipiunt idola colentes, vel insipientes homines, qui ad fontes atque ad arbores sacrilegium faciunt, nec non dies Iovis ac Veneris propter paganorum consuetudinem observant, [vel cerbolum aut annieulas faciunt, hoc est suffitores et cornua incantant: (b)] et eos post primam aut secundam admonitionem communicaverint, aut oblationes eorum susceperint, XL. dierum spatio in pane et aqua sint contenti.

VI. Ut nulli sacerdotum extra iussionem episcopi sui procurationes saeculares liceat suscipere; excepta iussione pontificis sui religiosas causas, ecclesiarum videlicet, aut clericorum, pauperum, vel viduarum, sicut sacri praecipiunt canones. Si quis contempta hac observatione in talibus causis se implicasse inveniatur, canonicae sententiae de ausu praesumptionis subiaceat.

VII. Ut sicui sacerdoti ex qualibet muliere denuntiatum fuerit, ut exinde

(a) Voc. *presbyter* deest in cod. vat.; sed adest in barberinio. (b) Verba haec sunt in codice barberinio, sed absunt a vaticano.

(1) Ex codice nobilissimo vaticano saeculi X. litteris langobardicis *scripto*.

suspectio malae opinionis efficiatur, nullam cum ipsa babeat conversationem, neque in secreto, neque in praesenti : si deinceps inventus fuerit post secundam et tertiam contestationem, ut contemptor, gradus sui periculum substineat.

VIII. Ut innulla ecclesia euiuslibet dioeceseos ubi baptismus sit, presbyter absque diacono esse repperiatur. Uude omnis presbyter non habens diaconum, eligat sibi personam, et plebi suae innotescat : tnuc ad pontificem suum consignans deducat, cuius vitam probatam habeat, et diaconus consacretur. Quod si distulerit presbyter dicens, eo quod non habeat talem elericum, episcopus suus provideat ex ecclesia sua, aut nude voluerit bonam personam : tantum est, ut sine diacono non sit. Constituimus enim, ut diaconus in uno cubiculo cum presbytero suo maneat, deferens ei honorem ut dignum est : ante quorum lecta clerici simili modo manere videantur, ut semper absque suspectione sint, et Deus propitietur. Non existente presbytero intra domum, si ubicumque abierit, diaconus post eius egressum locum eius obtineat, ad suscipiendum vel ordinandum quod utilitas domui est : ita demum ut non presbytero suo superbiat : nam si hoc attentaverit, ab episcopo suo de contemtu superbiae iudicetur : et de accessu ecclesiae quod supra altare ponitur, seu undecumque accedere potest sub amborum sigillo sit ; et noo unus sine alterius notitia expendere ubi necessarium fuerit praesumat.

IX. Ut nullus presbyter, diaconus, vel clericus in dioecesi constitutus praedia ecclesiae hoc est terras potestatem habeat venundandi, sed nec cuiquam parentum suorum donandi. Et qui boc egerint, sub omni celeritate reddito pretio ad loca sacra, quibus competunt, revertantur. Si autem hac observatione contempta quis hoc praesumpserit, res proprias in ipsa ecclesia relinquat, et ipse foras eiciatur : eo quod divinae congruat rationi, ut qui ecclesias accipiunt, ad regendum, non ad dispergendum, accipiant. Simili modo nullam habeant potestatem quolibet modo ad alienandum neque infiduciandum neque venundandum; sed nec sine voluntate pontificis sui vicarios dandum, aut liberos dimittendum. Qui hoc praesumpserit, ut superius censuimus, si habet proprietatem suam, aliud tantum restituat : si non habuerit, expoliatus omnibus foris eiciatur; ipsae tamen res ad ecclesiam, cuius res sunt, revertantur.

X. Ad nos perlatum est, eo quod quidam coniugati habentes titulos in quibus deserviant, de sacris vestibus, mulierum vel filiarum suarum ornamenta faciant, et proprietario iure sibi defendant, quod christianis hominibus nec loqui convenit, ut res sacras, vel quae in sacro loco offeruntur, mulieribus suis usurpent vel filiis aut parentibus : et si hoc probatum fuerit, superiorum feriatur sententia.

XI. Omnes presbyteri diaconi subdiaconi, vel cunctus clerus, qui sub episcopo esse noscuntur, si causas habuerint, et minime potuerint inter se deliberare, tunc ad pontificem suum conveniant ad causam suam dicendam. Nam per nulla saecularia iudicia adire praesumant : et qui hanc praeceptionem contempserint, superioribus poenis subiaceant ; ita ut in paenitentia sint abstinentes a vini potatione, vel ab esu carnium, donec ad metropolitanum suum accedant.

REMIGII ANTISIODORENSIS

COMMENTARIUS

IN OSEAM PROPHETAM.

Remigii huius, qui saeculo IX. claruit, commentarius in XI. prophetas minores extat in Patrum bibliotheca lugdunensi T. XVI, sed in Oseam desideratur, quia editor, ut ipsemet ait, acephalo codice utebatur, unde primus propheta exciderat. Ego vero tum ob complendam Remigii editionem, tum ut graeco Theodoro latinum hominem ex adverso opponam, partem hanc non invitus ex antiquo vaticano codice edo.

CAP. I.

„ Verbum Domini quod factum est ad Osee „ filium Beeri in diebus Oziae, Ioathum, A„ chaz, et Ezechiae regum Iuda, et in diebus „ Hieroboam filii Ioas regis Israel „. Verbum Domini illud debemus intelligere, de quo Iohannes in exordio evangelii sui dicit quod in principio erat verbum, et cetera. Hoc verbum non est factum in sua natura sed genitum a Deo patre ante omnia saecula. Quod ergo hic dicitur, factum est verbum Domini ad Osee, ita est intelligendum, factum est verbum Domini, id est quasi sermo Dei patris fieret, hoc est loqueretur ad Osee. Loquendo autem verbum Domini ad Osee, fecit illum dominum ac salvatorem populi sui: interpretatur enim Osee salvator, utpote qui doctrina et exemplo sanctitatis populum, ad quem mittebatur, salvum facere curabat. Quod autem Osee ceterique prophetae dii sint nuncupati, ad quos hoc verbum loquutum est, Dominus in evangelio manifestat: si, inquit, illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, et cetera. Sicut ergo Deus loquendo hominibus facit illos deos, sic ipse qui est salvator, facit ut ipsi sint salvatores. Dicuntur autem sancti dii vel salvatores per gratiam, cum sit unus salvator et Deus per naturam. Ubi notandum quod hic non dicit factum est verbum Domini in Osee, ne scilicet sit sensus quasi per illum sit factus sermo Domini ad alium, sed ad Osee; ut ostendatur, ad ipsum proprie sermo conferri, ad quem dirigitur. Aliud est, ut beatus Hieronymus exponit, loqui Dominum in Osee, aliud ad Osee: in Osee quippe non ipse loquitur Osee, sed per Osee ad alios: sicut propheta dicit in psalmo, audiam quid loquatur in me dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam; ubi ostenditur quia per ipsum qui haec dicit aliis loqueretur Deus: ad Osee vero loquens ostenditur proprie ad ipsum pertinere prophetam ea quae sequuntur, dum dicitur ei, vade sume tibi uxorem etc. Prophetavit autem his temporibus quibus Isaias, Amos, Michaeas, Iohel, Abdias et Ionas, quod ex nominibus regum manifeste probatur, qui in titulis eorundem ponuntur prophetarum. Unde intelligimus eum et ante captivitatem, et post captivitatem vaticinatum fuisse. Praedixit quippe captivitatem decem tribuum, quam visam postea deflevit. „ Filium Beeri „ Tradunt Hebraei quod ubi nomina patrum vel avorum prophetarum ponuntur, ipsi quoque patres vel avi prophetae fuerunt: unde constat Beeri prophetam fuisse, cuius filius Osee fuisse perhibetur. Osee interpretatur, ut diximus, salvator: ideoque dominum Iesum Christum significat, qui est vere salvator mundi, unde et Iesus dicitur; ad quem pertineat ea quae sequuntur. Unde bene filius Beeri dicitur qui puteus meus interpretatur. Ipse quippe Deus pater per prophetam dicit, me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas. Hoc enim inter puteum et cisternam interest, quod puteus perpetuas habet aquas et de vivo iugiter manantes, cisterna vero externas et adventicias aquas possidet atque temporaneas. De hoc fonte dicit propheta, sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. „ In diebus Oziae, Ioatham, „ Achaz, et Ezechiae regum Iuda „. Ozias ipse est qui alibi vocatur Azarias, qui regnavit in Hierusalem super duas tribus quae appellabantur Iuda, annis quinquaginta duobus. Cui successit in regnum Ioatham, qui regna-

vit annis XVI. Post quem est filius eius Achaz, qui et ipse XVI. regnavit annis, cuius XL. anno decem tribus ductae sunt in captivitatem in montes Medorum et Persarum a Salmanasar rege Chaldaeorum. Post Achaz regnavit filius eius Ezechias annis viginti novem. Ex qua perspicuum est, ut supra diximus, Osee et ante captivitatem prophetasse, et ipsam ingruentem captivitatem luxisse. " Et in diebus „ Hieroboam filii Ioas regis Israel „. Hieroboam istum non debemus autumare primum regem decem tribuum, qui filius fuisse Nabath commemoratur; quia iste, sicut hic dicitur, filius fuit Ioas, pronepos Hieu: cui, interfecta Iezabel impunissima regina, et duobus impiis regibus, Ioram scilicet filio Achab rege Samariae cum LXX. eius fratribus, Ochosia rege Iuda, promissum est quod regnarent filii eius usque ad quartam generationem. Qui tamen quoniam reversi sunt ad peccata regum Israel, cito amiserunt regnum. " Principium loquendi Dominum in Osee „. Haec verba dupliciter intelligi possunt, vel quia isti primum captivitas decem tribuum nunciata est, ante Isaiam scilicet ceterosque qui contemporales ei in prophetando, ut supra praemisimus, fuerunt, vel quia hoc verbum primum ei dictum est a Domino, quod sequitur de coniunctione meretricis mulieris. Unde statim infertur: " et dixit Domi„ nus ad Osee, vade sume tibi uxorem fornica„ tionis, et fac filios fornicationum, quia forni„ cans fornicabitur terra a Domino „. Licet quidam haec iuxta litteram acta contendant, excusantes prophetam a culpa fornicationis, utpote qui Dei praeceptis in hoc obedierit, nec attendentes quod Deus nil turpe, nil inhonestum umquam praecipit; melius tamen intellectu iuxta mysticos sensus accipiendum est, sicut et illud quod Ezechieli dicitur, dormies super latus tuum sinistrum CCXC. diebus, et non te convertes in latus aliud. Et iterum, dormies super latus tuum dextrum XL. diebus. Illud quoque quod Hieremiae in carcere clauso praecipitur, ut inter innumeras gentes populo israelitico inimicas pergat ad Euphraten, et ibi abscondat lumbare quod possederat, qui nec inter suos portus ad venditionem sui agri exire potuit, sed eo pergens quasi proditor et delator suorum civium, ab ipsis captus et verberatus atque in carcere collocatus est, maximeque cum iam ab hostibus Hierusalem obsessa et undique vallata esset. Quantum autem ad litteram pertinet, uxor fornicationum est quae multorum patet libidini, adultera quae super virum suum inducit alienum: filii vero fornicationum sunt qui de tali coniugio nascuntur. " Et abiit et accepit Gomer filiam De„ belaim, et concepit et peperit filium „. Quia haec omnia, ut superius dictum est, spiritaliter sunt accipienda, Osee qui salvator interpretatur dominum Iesum Christum significat, qui veniens per incarnationis mysterium, accepit uxorem fornicationum, plebem scilicet iudaicam, quae Deum vivum et verum relinquendo, varia daemonum portenta venerabatur. Ex qua genuit filios fornicationum, quia omnes ostendit esse sub peccato. Unde bene eadem uxor fornicationum Gomer dicitur, quod nomen interpretatur perfecta sive consummata, in malo videlicet opere, quod nulli dubium est ad ipsam pertinere plebem. Ideoque etiam congrue filia Debelaim dicitur, qui voluptas interpretatur, quoniam semper suam sequi studuit voluptatem. Quae genuit filium, id est fortem populum in malum. Si vero hoc altius perscrutantes, in bonam partem voluerimus interpretari, filius iste ex gente israelitica natus, intelligitur dominus Iesus Christus, qui sibi eandem plebem coniunxerat per divinitatem, nasci postea voluit ex ea per humanitatem. Cui sensui congruit interpretatio nominis, quo idem vocari praecipitur filius. Nam Iezrael semen Dei interpretatur. Unde sequitur: " et dixit Dominus „ ad eum, voca nomen eius Iezrael, quoniam „ adhuc modicum, et visitabo sanguinem Iezrael „ super domum Hieu, et quiescere faciam regnum „ domus Israel „. Iezrael quantum ad litteram civitas fuit metropolis regni decem tribuum, in qua interfectum legimus Naboth, ob cuius sanguinem vindicandum suscitatus est Hieu, qui delevit domum Achab et Iezabelis. Verum quia ipse Hieu ultor sanguinis iusti, et filii eius fecerunt malum in conspectu Domini, sanguis ab eo fusus super domum illius reversus est, quando filii eius ducti sunt captivi et interfecti sunt, et non post multum quieverunt pariter, id est cessaverunt et regnum et reges. Mortuo quippe Hieroboam pronepote Hieu, sub quo prophetare coepit Osee, successit filius Zacharias in regnum, quem sexto mense imperii sui occidit Sellum de alia generatus stirpe. Statimque reges assyrii ceperunt Ruben et Gad et dimidiam tribuum quae erant trans Iordanem: deinde Nephtalim, ad extremum omnes reliquas tribus: fueruntque a Zacharia usque ad Osee, sub quo omnes decem tribus in captivitatem sunt ductae, anni quadraginta novem. Quam ob causam hic dicitur, adhuc modicum et visitabo sanguinem Iezrael super domum Hieu etc. Spiritaliter Hieu super quem sanguis in Hierusalem fusus visitari dicitur, Iudaeos significat, a quibus sanguis Christi fusus est, quem nomi-

ne Iezrahelis praelibavimus designari: cuius sanguis super eos est visitatus, quando a Romanis occisi, et in omnes terras captivi abducti usque hodie a propriis terris exules existunt. " Et conteram arcum Israel in valle Iezrael ". Supra diximus Iezrahel civitatem fuisse metropolim decem tribuum, iuxta quam est vallis nimiae vastitatis, quae plus quam decem milium tenditur passibus. In hac commisso certamine ab Assyriis, caesus est Israel, id est decem tribus, quarum fortitudo hic nomine arcus describitur. Iuxta mysticos sensus omnes qui de Christo male sentiunt, sicut haeretici, recedentes a domo David, id est ab ecclesia, Israelis nomine in hoc loco intelliguntur: quorum pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio: et omnes in valle Iezrael, id est in humilitate seminis Dei conteruntur. " Et concepit adhuc et peperit filiam; et dixit " ei, voca nomen eius absque misericordia, quia " non addam ultra misereri domui Israel, sed " oblivione obliviscar eorum. Et domui Iuda " miserebor, et salvabo eos in domino Deo suo ". Ablata omni fortitudine a Iudaeis, nequaquam iam masculino sexu nuncupantur, sed feminino, quasi fragiles et imbecilles. Unde et bene filia nominatur eadem plebs, quia femineum habuit animum quando Deum reliquit, et pro Deo idola colere coepit. Quae absque misericordia est, et oblivioni tradita, quoniam usque hodie Persarum regibus serviunt, et numquam est eorum soluta captivitas. Domus autem Iuda cum duabus tribubus sibi sociatis misericordiam consequuta est, quando propter confidentiam quam in Deo habuerunt missus est angelus et percussit multitudinem exercitus Sennacherib, id est CLXXXV. milia. " Et salvabo " eos, inquit, in domino Deo suo. " Id est in mea et patris et spiritus sancti protectione. Tale est enim hoc, quale illud, pluit dominus a Domino. " Et non salvabo eos in gladio et ar- " cu et in bello et in equis et in equitibus. " Id est non in aliqua spe aut fortitudine humana vel in multitudine equitum, sed potius in domino Deo suo, qui mittet angelum suum ut interficiat omnes inimicos eorum. Si autem hoc ad eos, qui in adventu Domini sunt reperti voluerimus referre, recte ipsi quoque filia et non filius nominantur, quia mollitiem suae voluntatis sequutes, quicquid virium habuerant, amiserunt, spernentes principem fortitudinis, et eum morti tradentes, quando et sanguinem seminis Dei super se imprecati sunt dicentes, sanguis eius super nos et super filios nostros. Unde et absque misericordia facti, traditi sunt Romanis, et eorum perpetua servitute dampnati atque oblivioni traditi. Domus autem Iuda, qui interpretatur confessio, id est apostoli ceterique credentes, qui fidem nominis Christi confessi sunt, salvati sunt non in gladio aut arcu, id est non in aliquo humano auxilio, sed in domino Deo suo, Christo videlicet qui eos per gratiam suam elegit. Sed in nomine filiae possumus accipere haereticos qui dogmata vanitatis sequentes, et perfectos atque fortes scripturae divinae sensus depravando emollire conantes, traduntur diabolo, cuius aeternae dominationi sine ulla misericordia permanent perpetualiter a Deo obligati. Domus autem Iuda, id est ecclesia catholica, quae fideliter sanctae trinitatis fidem inseparabili unitate confitetur, salvatur a domino Deo suo, non in exercitus multitudine, aut virium suarum fortitudine. " Et ablactavit eam quae erat absque " misericordia ". Qui ablactatus recedit a matre, parentis lacte non vescitur, alimentis sustentatur externis. Mos quippe fuit veterum, ut in die ablactationis infantum, id est a lacte separationis, facerent convivium universis vicinis et amicis suis. Unde et mater Samuelis ascendente viro suo ad templum Domini, dixit se non ituram donec ablactaretur infans, hoc est donec ad eam perveniret aetatem, qua eum a lacte removere posset. Lac in sacra scriptura pro simplici intelligentia saepe solet poni, et Iudaei quodammodo lacte alebantur, quamdiu in terra sua manebant, legem ceterasque legentes scripturas. Postquam autem ducti sunt in captivitatem, coeperunt uti cibis gentilium et idolathyta comedere. Unde ad hanc miseriam pervenerunt, ut ipsum parum scientiae quod habere videbantur amitterent. Inde hic dicitur, ablactavit eam quae erat absque misericordia, id est a doctrina legis et prophetarum illam separavit, ut neque etiam ipsius legis superficiem intelligant. " Et concepit et " peperit filium, et dixit, voca nomen eius " non populus meus, quia vos non populus " meus, et ego non ero vester ". Haec verba et ad eos possunt referri, qui tunc temporis a regibus Assyriorum comprehensi et in captivitatem sunt ducti, et ad eos qui post adventum Domini a Romanis sunt per omnes gentes dispersi. Illi quippe Deum per idolorum abiecerunt culturam, isti autem per filii Dei negationem et traditionem quoniam non habentes filium non possunt habere patrem. Quamobrem et Deus illos abiecit, ne sint eius populus, sed servi efficiantur diaboli, dicaturque de eis quia vos non populus meus, et ego non ero vester Deus, sed indignos mea possessione et praesentia iudicans, abiciam vos in perpetuum. Quod et de persona haereticorum potest accipi, qui Deum abicientes perversa de

illa sentiendo penitus ab illo repellantur, ut eum electis dicere possint. Dominus pars hereditatis meae etc. " Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris quae sine mensura est et non numerabitur. " Licet ipsi Iudaei tunc pressi fuerint, vel nunc durissima premantur captivitate, tamen hominibus innumerabiles sunt; de quibus Isaias dicit, si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiae salvae fient. Quod et in adventu Domini impletum, et in fine saeculi implendum veraciter potest intelligi, quia postquam populus Israel fuerit dispersus in toto orbe, et omnem subputationem vicerit populi multitudo, tunc habebit licentiam Israel qui hodie captivatus est. " Et erit in loco ubi dicetur eis, non populus meus vos: dicetur eis, filii Dei viventis. " Locum, ubi ista dicebantur, debemus intelligere Hierusalem, ubi plurimo tempore Iudaei idola colentes, non erant populus Dei. Erunt, inquit, in loco id est Hierusalem, ubi dicetur eis non populus meus vos: dicetur eis filii Dei viventis, tempore dominicae incarnationis; quod impletum est in apostolis ceterisque fidelibus: quotquot enim, ut Iohannes dicit, crediderunt in Christum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Si autem ad Iudaeos, qui nunc sunt, ista referre voluerimus, locus quo dicitur, et non populus meus vos, totus mundus accipitur, quia in omnibus gentibus nunc Iudaei, non Dei sed diaboli servi comprobantur. Cum autem per praedicationem Heliae et Enoch crediderint, ab omnibus gentibus filii Dei vocabuntur. " Et congregabuntur filii Iuda et filii Israel pariter, et ponent sibimet caput unum. " Per Iudam designantur duae tribus illi connexae, tribus scilicet Beniamin, et tribus sacerdotalis id est levitica. Propter tribum enim Iuda, ex qua reges, qui eisdem tribubus praefuere, duxerunt originem, ipsae duae tribus etiam eodem nomine censentur. A maiori autem parte decem tribus nomen pristinum Israel retinent, quia et ante divisionem decem et duarum tribuum generaliter omnes hoc nomine vocabantur. Quia ergo divisi erant, promittitur eis quod congregandi sunt in unum a Domino. Siquidem tempore dominicae incarnationis tam ex decem quam ex duabus tribubus qui reversi fuerunt de captivitate morabantur in Iudaea; ex quibus plurimi crediderunt in Christum. De quibus hic dicitur, congregabuntur filii Iuda et filii Israel pariter: hoc est ex duabus et decem tribubus venientes ad fidem, venient in unum Christi ovile, et ponent sibimet caput unum, videlicet dominum Iesum Christum, de quo Ezechiel dicit, et princeps unus in medio eorum David servus meus. Vel per Israel possumus intelligere gentiles, per Iudam Iudaeos credentes. Sive per Israel haereticos, per Iudam catholicos viros: qui omnes ad unitatem fidei christianae conversi, ponent sibi caput unum dominum Iesum Christum. " Et ascendent de terra. " Id est de terrenis sensibus et humilitate litterae occidentis, et elevabuntur ad spiritalem et vitalem intelligentiam. " Quia magnus dies Iezrael. " Diem hic pro universo tempore a Domini nativitate usque ad finem saeculi positum noverimus: de qua cantamus in psalmo, haec est dies quam fecit Dominus. Magnus est hic dies, id est magnum est tempus, in quo credentibus remissio peccatorum tribuitur, et ianua regni coelestis aperitur.

CAP. II.

" Dicite fratribus vestris populus meus, et sorori vestrae misericordiam consequutae. " Id est vos credentes dicite ceteris in infidelitate manentibus, populus meus erunt si in me credere voluerint, et reiecta vetustate ad novitatem vitae transire voluerint. Vel vos qui in me creditis, et fidem quam habetis perfecte operibus decoratis, dicite ceteris credentibus, quia omnes erunt populus, si in fide qua vocati sunt permanserint, et eam operibus ornare studuerint. Dicite etiam sorori vestrae, id est eidem plebi in Christum credenti, quia misericordiam consequuta est in me credens. Quod si hoc ad Iudaeos voluerimus solummodo referre, hortatur homines domus Iudae ne desperent decem tribuum salutem, sed eas cotidie et sermone et voto et litteris ad paenitentiam provocent, quia frater illorum appellantur et soror. Frater ergo ex eo quod dicitur populus meus, soror ex eo quod appellatur misericordiam consequuta. " Iudicate matrem vestram, iudicate quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir eius. " Hoc apostolis ceterisque credentibus dicitur ut iudicent id est redarguant matrem suam synagogam, quae de meretrice uxor effecta pristinos mores non reliquit, sed rursum fornicata est cum amatoribus suis. Et consideranda patientia et clementia huius viri iterum hortantis illos ut suam redarguant matrem, quia ipsis credentibus, ipsa in infidelitate permansit. Hoc tunc impletum est, quando Petrus Iudaeis, lamentantibus dicebat, paenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. Ostendite ei, inquit, quia ipsa non uxor mea, et ego non vir eius, quoniam ipsa me repulit, et ego abiciam eam ne sim vir eius. Vir quippe ecclesiae Christus est; de quo hae-

retici dicunt eidem ecclesiae " non est vir in ,, domo sua, auferet fornicationes suas a facie ,, sua; et adulteria sua de medio uberum suo- ,, rum ,,. Fornicatio vel adulterium in divina eloquio dupliciter accipitur, et pro immunditia scilicet carnis et pro idololatria: de qua scriptum est, perdes omnes qui fornicantur abs te. Fornicatur quippe vel adulterium perpetrat mulier quae multorum patet libidini, vel super virum suum inducit alienum. Et quia vir animae Deus est, populus israeliticus plurimis fornicationibus se substraverat, quia relicto Deo omnipotente multorum portenta daemonum venerabatur. Idcirco nunc dicitur, ut auferat fornicationes suas a facie sua, id est culturam deorum removeat ab amore et praesentia sua, quia multorum patebat libidini, deos omnium gentium colens. Auferat etiam adulteria sua de medio uberum suorum, hoc est de corde, ex quo malum opus prius concipitur; cor quippe inter ubera est, de quo ut Dominus manifestat, exeunt cogitationes malae: et illi prius malum in corde cogitabant, et sic demum easdem malas cogitationes in opus prodire faciebant. Quapropter hortatur eam sermo divinus ut haec omnia a se removeat, ne propter perpetrata scelera perdat bona divinitus sibi collata. " Ne forte, inquit, expoliem eam ,, nudam, et statuam eam secundum diem na- ,, tivitatis suae ,,. Vestis, qua tegebatur eadem plebs, intelligitur Dei auxilium, doctrina legis et prophetarum et tutela angelorum quae omnia minatur Deus omnipotens se ei tollere, nisi paenitentiam agat a perpetratis sceleribus, ut fiat nuda plenaque ignominia veluti olim fuerat. " Et statuam, inquit, eam secundum ,, diem nativitatis suae ,,. Ut scilicet his careat omnibus, sicut olim in Aegypto manens. " Et ponam eam quasi solitudinem, et statuam ,, velut terram inviam. ,, Domus in solitudinem redigitur, quando dominum proprium amittit. Et haec plebs in solitudinem redacta est, quando Deus omnipotens propter peccata eius recessit ab ea. Unde per prophetam dicit, reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam. Et in evangelio eis ipse per semet ipsum minatur, quod relicturus sit eos dicens, ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Facta est quoque velut terra invia, quoniam perdito recto itinere fidei, perdidit patrem Deum, perdidit et filium eius qui dicit, ego sum via. " Et interficiam eam siti ,, id est inopia omnium bonorum: vel ea siti de qua per prophetam Iohel dicit, mittam in eis famem et sitim: non famem panis, nec sitim aquae, sed famem audiendi verbum Dei. Sive aquam quae ab eis oblata est, possumus gratiam intelligere spiritus sancti, de qua ipse in evangelio loquitur invitans omnes ad se ut hanc aquam accipiant. Qui sitit, inquiens, veniat ad me et bibat; et de ventre eius fluent aquae vivae. Haec autem omnia et Iudaeis aptantur negantibus Christum, et haereticis rectam fidem relinquentibus, et varia dogmata errorum corde verbo et opere sequentibus, qui nisi paenitentiam egerint, expoliati omnibus virtutibus, quas in ecclesia perceperant, redigentur iuxta diem nativitatis suae, et effecti solitudo et terra invia, patentur sibi sacrae scripturae, ut etiam quod falso habere videbantur redigatur ad nihilum. " Et filiorum illius non miserebor, ,, quoniam filii fornicationum sunt, quia forni- ,, cata est mater eorum ,,. Quando egressi sunt Iudaei de Aegypto, iratus Dominus patribus eorum interfecit eos in deserto, filiorum autem eorum misertus ad vitam eos reservavit, et terram quam patribus eorum promiserat, dedit. Sed modo minatur non ita se facturum, dicens filiorum illius non miserebor, sed in captivitatem simul cum patribus suis pergent, ibique morientur, et terram nativitatis suae non videbunt ultra, quia filii fornicationum sunt, hoc est in cultura idolorum sunt nati. Qualem quippe fidem tenebant patres, talem tenere docebant filios. Unde et subditur, quia fornicata est mater eorum. Sicut enim vipera viperam generat, sic eadem plebs qualis erat, tales filios generabat. " Confusa est ,, id est obstupuit et in admirationem est versa, quia concepit eos, et filios diaboli effecit. " Quia dixit, vadam post amo- ,, tores meos qui dant panes meos, et aquam ,, meam, lanam meam, et linum meum, et ,, oleum meum, et potum meum ,,. Hoc dixerunt Iudaei dum colerent diversarum gentium deos. Vadam, inquit, post amatores meos, id est fide et dilectione sequar deos vel imitabor gentes, quarum deos adoro, qui mihi dant panem aquam etc. Omnia enim bona quae idem populus caelitus a Deo perceperat, a daemonibus se habere putabat, et illis totum adscribebat. Quod etiam totum specialiter ad eos potest referri, qui negaverunt Dei filium eligentes sibi Barabbam seditionis auctorem, et crucifixerunt Dei filium omnium bonorum largitorem. Quapropter confusi sunt, et non solum se sed etiam posteros suos pessima imprecatione maledixi sunt dicentes, sanguis eius super nos et super filios nostros. Possunt haec iuxta coeptam expositionem etiam super haereticos intelligi, qui confunduntur quando in sua deprehenduntur errore: et non solum ipsi, qui hic mater appellantur, auctores haereseos confunduntur, sed etiam filii ex eorum mala doctrina genera-

u pariter cum eis erubescunt. Qui quare confundantur, manifestatur etiam cum subditur, quia dixit vadam post amatores meos, id est sequar varia dogmata haereseos, quorum panis est gustus mortis perpetuus, aqua autem doctrina perversa. Per lanam autem et linum simulata eorum sanctitas et munditia exprimitur. Quos Dominus cavendos admonens, dicit quia veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Per oleum vero adulatio accipitur eorum, de qua propheta dicit, oleum peccatoris non impinguet caput meum. Potus etiam illorum scriptura sacra intelligitur, quam illi male intelligenda turbidam reddunt ". Prop„ter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, „ et sepiam eam maceria, et semitas suas non „ inveniet „. Per spinas punctiones dolorum, et duritia adversitatis exprimitur: per murum autem obstaculum, ne quod quaerebat invenire posset. Sepiam, inquit viam tuam spinis, id est tuas actiones durissimis implicabo laboribus. Sepiam etiam maceria, ut ad hoc quod vis nequeas pervenire. Porro quod sequitur, et semitas suas non inveniet, idem est sensus; sed more prophetico variatur sermo, ut de alia ad aliam repente transeat personam. " Et seque„tur amatores suos „. Assyrios vel Chaldaeos, quaerens ab eis auxilium pressa tribulatione gravissima. " Et non apprehendet eos „ ad hoc ut sibi auxilium praebeant: quin potius ipsa comprehenderetur ab illis, et captiva ducetur. Et quaeret eos, et non inveniet sibi propitios. Et dicet " vadam et revertar ad virum meum prio„rem unde exivi „ id est redeam ad Deum omnipotentem, qui olim me per datam legem desponsavit. " Quia bene mihi erat tunc magis quam nunc „. Quamdiu praeceptis illius obedivi, bene mihi erat magis quam nunc, quando propter idolorum cultum variis affligor tribulationibus. Ipsa siquidem plebs israelitica saepe prosperis elata recedebat a Deo idola colendo; iterum autem afflicta calamitatibus revertebatur ad eum. Unde et in libro iudicum frequenter dicitur quod filii Israel pressi durissima hostium tribulatione clamaverunt ad Deum, qui suscitans eis salvatorem liberabat eos. Quae verba generaliter et specialiter nobis congruunt qui prosperitatibus elati nonnunquam Dei praeceptis contraimus; iterum autem afflictionibus attriti ad nosmet ipsos revertimur, et peccasse nos recognoscentes, ad illius refugimus misericordiam, sub cuius protectione nobis bene recolimus. Sic plerumque solet accidere his qui in saeculo praesenti divitias et honores appetunt mundi, sed ne ad has possunt pervenire, diversis a Deo aguntur tribulationibus, ut velint nolint, saeculum relinquant, et postpositis curis temporalibus, quas adipisci nequaquam ad libitum suum valeat, in monasterium confugiant: et qui prius contristabantur quod non omnia quae vellent habebant, gaudeat contenti esse cibo et vestimento secundum apostolum, et Deo in paupertate servire, qui ante mundo et concupiscentiis suis serviebant. " Et haec nescivit quia ego dedi ei frumentum „ et vinum et oleum et argentum, et multipli„cavi ei aurum, quae fecerunt Baal „. Dictum est superius quod populus israeliticus omnia bona temporalia quae a Deo perceperat, idolis deputavit, nesciens quod Deus omnipotens omnibus his eum fecerit habundare: unde et relicto Deo et auro et argento quod ad ornatum decoris acceperant, fecerunt sibi Baal idolum Sidoniorum, quod Ezechiel propheta in suo planius volumine describit. Si autem spiritaliter haec verba voluerimus intelligere, per frumentum debemus accipere legem, qua pasci debuerant: per vinum laetitiam spiritalem, quam non in temporalibus rebus sed in Deo habere debuerent: per oleum autem sensus illuminationem; per argentum nitorem eloquentiae divinae, de qua scriptum est, eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. Per aurum vero praeceptum dilectionis Dei et proximi. In quibus omnibus cum glorificare Deum debuerit, daemones venerari maluit quam Deum. " Icirco, inquit Dominus convertar a mea cle„mentia ad crudelitatem, et sumam frumen„tum meum in tempore suo, et vinum meum „ in tempore suo „. Tempus fructuum est quando ad maturitatem perducti colliguntur, et in cellariis per totum annum victuum ministrationes reconduntur. Si autem tunc temporis, instante videlicet maturitate, hominibus qui ea colligere debuerant auferuntur, gravissimo affliguntur maerore. Minatur ergo haec se ablaturum a Iudaeis, ut per totum annum patiantur inopiam famis. Saepe enim Deus propter peccata hominum, tempore messis et vindemiae immittit tempestatem, et paratos ad colligendum fructus aufert. " Et liberabo lanam meam et „ linum meum, quae operiebant ignominiam „ eius „. Falso in quibusdam codicibus scriptum reperitur librabo; unde liberabo est legendum; quia enim sub sua servitute habebat lanam et linum, cum ipsi essent servi diaboli. Icirco dicit Deus liberabo lanam meam et linum meum, ne ab iniquis possideantur dominis. Porro ignominia quam haec operiebant, idola eorum intelliguntur, quorum altaria varia vestimentorum decorabant ornamenta. Spiritaliter vestimenta ista significant Dei auxilium,

et angelorum custodiam, quae omnia aufert ab eis Deus, ut qui ex his non senserunt dolorem, relicti in sua iniquitate tradantur diabolo aeternaliter cruciandi. " Et revelabo stulti„ tiam eius in oculis amatorum eius „. Stultitiam appellat idola quae ipsi in templo posuerunt: amatores autem Chaldaeos Assyrios et Idumaeos, cum quibus longo tempore pacem habuerant: in quorum oculis stultitia Iudaeorum revelata est, quoniam capta Ierusalem temploque subverso, videntes iam dicti hostes imagines cherubim, et idolum Baal, coeperunt dicere, ecce Israelitae sicut omnes gentes idola venerantur; quamobrem merito suae iniquitatis nostrae subiciuntur potestati. " Et vir non „ eruet eam de manu mea „ hoc est nullius vi aut fortitudine poterit liberari de manu mea vel potestate, sed iusto iudicio tradam eam hostibus, et in captivitatem duci faciam. „ Et ces„ sare faciam omne gaudium eius „. Hac et in illis impletum est, qui ab Assyriis et Chaldaeis ducti sunt captivi, omnem perdiderunt laetitiam; et post in illis qui a Domino audierunt auferetur a vobis regnum Dei, et relinquetur vobis domus vestra deserta. " Sollempnitatem eius, „ neomeniam eius, sabbatum eius et omnia festa „ temporum eius „ subauditur cessare faciam. Cum dicit sollempnitatem, unam pro omnibus posuit, vel certe in hoc speciali nomine vult intelligi festivitatem paschae, quam in memoriam suae liberationis honorifice celebrare soliti erant. Neomeniam autem appellat innovationem lunae, quoniam illi in initia singulorum mensium huiusmodi festivitates cum gaudia colebant: in sabbatis quoque vacabant et otia et epulis. Habebant etiam et alias festivitates, id est pentecosten, sollempnitatem tabernaculorum, dedicationemque templi, aliaque hic similia: quae omnia ablata sunt ab illis, quando in captivitate positi nec praedictas festivitates cum gaudio secundum ritum suum celebrare, nec otia vacare permittebantur. Quae omnia ab eis ablata, nunc spiritaliter in ecclesia a fidelibus celebrantur. „ Et corrum„ pam vineam eius, et ficum eius „ grandine scilicet gelu atque ariditate, ut nullam habeat arborem fructiferam. Spiritaliter per vinum laetitiam cordis, per ficum autem dulcedinem ac suavitatem debemus intelligere, quae ablata sunt ab eis. Unde et in maerore et amaritudine cordis versantur; de quibus dixit, mercedes hae meae sunt, quas dederunt mihi amatores mei. Reddit causam cur eis abstulerit bona superius dicta, eo quod dixerint mercedes hae meae sunt etc. Putabant enim haec sibi a daemonibus dari pro mercede quia colebant idola. " Et ponam eam in saltum „ ut iam non habeat arbores pomiferas, sed in solitudinem penitus redigatur, quod ex parte quidem ab Assyriis et Chaldaeis, plenius tamen completum constat a Romanis, qui eorum terram destruentes redegerunt in solitudinem, ipsosque ultima captivitate exules a sua terra reddidere. Haec est enim quod sequitur " et comedet illam bestia agri „ id est Romanorum exercitus. De hac bestia psalmista dicit, exterminavit eam aper de silva. Vel certe hanc bestiam possumus intelligere diabolum, qui eos comedit quando ad suam traxit culturam, pro qua exterminium postea passi sunt. Quae de Iudaeis dicta sunt, possunt et de haereticis accipi, qui dum de ecclesia egrediuntur, a Deo derelicti, eorum stultitiam his qui prius amatores eorum extiterant revelatur: et traditi bestiae, id est diabolo, eius morsibus lacerati, perpetua morte puniuntur. " Et visitabo super eas dies Baalim, qui„ bus accendebat incensum et ornabatur inaure „ sua et monili suo: et ibat post amatores suos „ et mei obliviscebatur, dicit Dominus „. Servat adhuc personam meretricis mulieris, quae ornatur auro et gemmis ut placeat amatoribus suis, ut quicquid pulchritudinis non habet per naturam, arte conquirat. Visitabo, inquit, super eam dies Baalim, id est pro diebus quibus Baal coluit, adducam super eam afflictionem tribulationis. Hic enim in malum ponitur visitatio, pro angustia scilicet interfectionis et captivitatis, quae propter idolorum culturam venerat super Iudaeos. Ceterum in bonum visitatio ponitur, ut est illud visitavit nos oriens ex alto. Et visitabo, inquit, super eam, haud dubium quin videam dies Baalim; quibus videlicet diebus accendebat incensum non Deo sed daemonibus. Baal numero singulari. Baalim plurali masculino genere eadem idola nominantur: ubicumque enim in fine hebraici sermonis -im- syllabam legimus, numeri pluralis est generis masculini: ubi autem oth, ut sabaoth, numeri pluralis in genere feminino. Unde cherubim et seraphim plurali intelligimus numero in genere masculino; sabaoth autem, quod interpretatur militiarum vel exercituum sive virtutum, numero plurali genere feminino. Ergo et Baalim masculino genere, numero scilicet plurali, licet quidam male legant genere feminino. Ornabatur autem plebs iudaica inaure sua et monili suo, ut placeret amatoribus suis, id est daemonibus; quae ad hoc aures ornare debuerat, ut spiritalia Dei praecepta conciperet; et collum, ut aliis ipsa praedicaret. Haec vero ideo gessit, quia sequendo daemones, Dei oblita est, qui eius vir esse debuerat. Sed haeretici immolant Baalim incensum, quando perversa dog-

*

mata, quae ipsi sibi tamquam idola finxerunt, sequuntur. Ornant quoque aures suas, quibus verba audiuntur, et collum quo proferuntur, ut eloquii venustate illis, quas deceperant, placeant. Nam et per monilia verba intelliguntur divina, de quibus ecclesiae dicitur, collum tuum sicut monilia. Quae non facerent, nisi Dei obliviscerentur. " Propter hoc ecce ego lac- „ tabo eam, et ducam eam in solitudinem, quia „ Dominus misericors est et miseretur „. Licet superius mala comminatus fuerit, tamen ne desperet eadem plebs, promittit eis salutem, dicens propter hoc scilicet quod clemens et misericors sum, lactabo eam, id est blandiar illi, ut ad me convertatur. Unde est paenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum. Et venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis etc. Et ducam eam in solitudinem, et liberabo eam iterum de captivitate, sicut prius eduxerunt eam de aegyptiaca servitute. Et sicut tunc per solitudinem deserti eduxi illos, protegens et liberans eos ab omni hoste, sic faciam cum eos de terra captivitatis eorum ad proprium reduxero solum. " Et loquar ad cor eius „ mollia scilicet verba et consolatoria illi proferam, ut tristitiam eius gaudio relevem. Hoc enim significat loqui ad cor. Unde est, loquutus est Sichem ad cor Dinae. Et Ioseph postquam a fratribus recognoscitur, loqui ad eorum cor dicitur. Tunc hoc impletum est, quando Dei filius qui per prophetam loquutus in carne apparens dicit apostolis immo omnibus discipulis suis ex ea gente in se credentibus, iam non dicam vos servos sed amicos meos. Quos etiam filios vocat dicens, filioli adhuc modicum vobiscum sum. " Et dabo ei vinitores ex eodem loco „. Quae sit haec vinea, Isaias ostendit qui dicit, vinea Domini sabaoth, domus Israel est. Et David, vineam de Aegypto transtulisti etc. Huic vinitores dati sunt primum egredienti de Aegypto Moyses et Aaron et ceteri, qui tunc temporis verbo et exemplo boni operis eandem excoluerunt vineam. Deinde regredienti de captivitate chaldaica Zorobabel, Iesus, Nehemias, atque Esdras, ceterique prophetae, qui boni eius cultores extitere. Post quos in suo adventu optimos illi dedit vinitores apostolos videlicet, qui omnes ex eodem loco fuerunt, hoc est ex eadem israelitica plebe. " Et vallem Achor ad „ aperiendam spem „. Hic necesse est ut veteris recordemur historiae. Legimus quippe in libro Iesu Nave, quod cum filii Israel cepissent Hiericho, anathematizaverit Iosue omnia quae in ea erant; quodque Achar filius Carmi videns quaedam inter spolia civitatis quae sibi placita erant, tulerit de anathemate. Cumque non possent filii Israel hostibus suis resistere, consuluissentque Dominum propter hoc, et illo respondente didicissent quod fecerat Achar, fecit eum Iosue lapidari ab omnibus filiis Israel; locusque occisionis illius vocatus est vallis Achor, hoc est vallis conturbationis, eo quod dixerat Iosue, quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Post cuius interfectionem aperta est filiis Israel spes futurae victoriae, pergentesque ceperunt oppidum Hai, interfectis habitatoribus eius, et maeror eorum in gaudium mutatus est, ibique spem sumpserunt, ubi fuerat desperatio. Sed quia hoc tunc, ut dictum est, factum constat, videamus quid sibi velint verba prophetica, qui haec de futura vaticinatur dicens, et vallem Achor ad aperiendam spem. Sciendum ergo, quia sicut tunc postquam interfectus est Achar, Iudaei sumpserunt spem vincendi hostes, nec ea frustrati sunt, sic nimirum postquam Hierusalem destructa est a Romanis templumque succensum, et ipsi Iudaei interempti et in toto sunt mundo captivati, apostolis ceterisque credentibus aperta est spes victoriae, qua totum mundum fidei Christi subiugaverunt: quodque in umbra praecesserat, id est velum, templum, et omnium caerimoniarum observantiae, in spiritualem verterunt intelligentiam; sicut nunc agitur in ecclesia quoque a fidelibus. Et haec fuit spes eorum victoriae, de qua hic dicitur " et vallem Achor ad aperiendam spem, subaudi a superioribus dabo. " Et canet ibi iuxta dies iuventutis suae, et „ iuxta dies ascensionis suae de terra Aegypti „. Etiam nunc historiae similitudinem conservat. In exodo legitur, quod submerso Pharaone et equitatu illius in mare rubrum, filii Israel cecinerunt Domino dicentes, cantemus Domino et cetera. Quod tempus dies iuventutis eius appellatur, eo quod tunc idem populus in fide et religione Dei crescere coeperit. Nam antea idola colebant id est vitulos Aegyptiorum; unde et postea idolum fabricati sunt dicentes, isti sunt dii tui Israel et cetera. Et congrue dicitur iuxta dies ascensionis suae de terra Aegypti, quia Aegyptus in planitie, terra autem repromissionis est montuosa; ideoque de Aegypto in Iudaeam pergentes ascendere dicuntur: sicut etiam frequenter a Domino eis dicitur, ego vos ascendere feci de terra Aegypti. Sed iam mysterium videamus. Aegyptus, quae interpretatur tenebrae vel maeror, infidelitatem significat Iudaeorum; mare rubrum, baptismum quod fide dominicae consecratur passionis. Pharao et exercitus eius, qui submersi sunt in mare rubrum, diabolum et originalia peccata designant quae in baptismo submerguntur. Desertum il-

lud, per quod mare rubrum transeuntes pasti sunt manna et aqua de petra, et sic demum ad terram repromissionis pervenerunt, typum gessit praesentis vitae, in qua fideles percipiunt manna et aquam de petra, id est corpus et sanguinem Christi, vel doctrinam divini eloquii. Terra autem repromissionis caelestem significat patriam, ad quam per baptismum et labores huius vitae pervenitur. Promittitur ergo synagogae credentium, quia sicut tunc egredientes de Aegypto post interitum Pharaonis cecinerant filii Israel carmen Domino, sic ipsa de tenebris infidelitatis egressa post interitum diaboli et vitiorum compressionem, cum gaudio et laetitia spirituali transiet ad laetitiam caelestis patriae ubi est terra viventium. Et recte de Aegypto pergentes ascendere dicuntur, quia videlicet tunc bene ascendimus, quando a terrenis ad caelestia, a vitiis ad virtutes transmigrare studemus. " Et erit in die " illa, ait Dominus, vocabit me vir meus, et " non vocabit me Baalim. Et auferam nomina " Baalim de ore eius, et non recordabitur ultra nominis eorum ". De nomine Baalim iuxta litteram hoc dicendum, quod Belus pater fuit Nini primi regis Assyriorum, qui ex nomine suo civitatem a se aedificatam appellavit Nini, quam Hebraei et nostri Niniven vocant, qui patrem suum Belum in deum transferens, simulacrum fecit quod Bel voluit nominari et ab omnibus adorari, quo nomine a Babyloniis vocatur, sicut in Daniele legimus: a Sidoniis autem et Phoenicibus Baal, ab Hebraeis vero Beelzebub ob spurcitiam et sordes immolaticii cruoris vocatur, id est vir muscarum sive habens muscas. Et quia in multis colebatur locis, idcirco pluraliter Baalim enunciatur. Sed iam nunc videamus quid haec verba Domini significent, quibus de fideli populo loquitur dicens " et erit in die illa " hoc est postquam in me credere veraciter coeperit, " non vocabit me Baalim " et cetera. Baalim, ut diximus, idem est quod Baal; et interpretatur Baal habens, et Baali habens me: unde hebraeae et syrae mulieres maritos suos hoc nomine vocant dicentes Baal meus, id est habens me; et est sensus, qui me habet in coniugio. Est et aliud nomen in eadem lingua sub eadem significatione, id est IS, quod similiter sonat vir; unde et mulier ab eis ISSA vocatur, quasi virago eo quod a viro suo sumpta sit. Quae ergo nolunt dicere de suis maritis baal sive baali, dicunt alio nomine IS meus, id est vir meus, scilicet me habens in coniugio. Quod itaque hic dicit Dominus non vocabit me Baalim, sed vocabit me vir meus, ita est intelligendum, quia volens me suum ostendere virum, nequaquam me vocabit Baalim, quod dici bene poterat, sed vocabit me IS id est vir meus. In tantum enim Deus odio habet nomina idolorum, ut nec recordari quidem velit suos electos nominum eorum: ideoque dicit de fideli populo, non vocabit me Baalim ultra propter ambiguitatem verbi, ne dum aliud loquitur, alterius recordetur, et virum nominans, idolum cogitet. Unde et subditur " et auferam nomina " Baalim de ore eius, et non recordabitur no" minis eorum. Et percutiam eis foedus in die " illa cum bestia agri et cum volucre caeli, et " cum reptili terrae ". Iam hic aperte describitur coniunctio Iudaeorum et gentium in unitatem fidei Christi, qui ante adventum Christi dissidentes erant ab invicem; unde et Iudaei, gentiles a consortio suo repellebant; postea autem in unum Christi ovile convenientes, iam in unam fidem Dei omnipotentis, pacem et veram fraternam dilectionem se gloriantur habere. Hinc Isaias eidem populo dicit, advena quondam tuus adiungetur tibi ut iam non sit advena sed recognoscatur frater. Nomine enim bestiarum, volucrum et serpentium gentiles exprimuntur qui haec pro Deo colebant: verum ab his expurgati, iam non his nominibus appellantur sed homines rationales. Unde cum Petrus linteum ad se missum de caelo vidisset, in quo bestiae et volucres atque serpentes ei monstrabantur, et audiens se illa occidere et manducare debere, respondit absit Domine, quia numquam commune aut immundum intravit in os meum; dictum est ei, quae Deus purificavit, tu ne commune dixeris. " Et arcum et gladium et " bellum conteram de terra ". Hoc est in ecclesia. Licet enim multa in mundo bella crescant, tamen ad comparationem eius temporis, magna est pax in hominibus, maxime inter electos, apud quos nullius discordiae fomes locum invenit. De hoc tempore dicit Isaias, non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad proelium; et dormire eos faciam fiducialiter, id est securos eos faciam in mea fide et pace quiescere. Vel certe somnus iste intelligitur pausatio electorum, qui modo quiete edormiunt in spe futurae resurrectionis. " Et sponsabo te mihi in sempiternum, et spon" sabo te mihi in iudicio et iustitia et in mise" ricordia et in miserationibus, et desponsabo " te mihi in fide, ut scias quia ego Dominus ". Advertendum quod eandem plebem ter se promittit sponsaturum; primo quippe eam desponsdit in Abraam, cui signaculum circumcisionis dedit, ut esset signum inter Deum et semen eius in sempiternum: vel etiam quando eam e-

duxit de Aegypto. Secunda in monte Sinai dans ei legem; unde et hic in secundo loco dicitur, sponsabo te mihi in iustitia, id est in observatione legis, et in iudicio mandatorum meorum, et ut iuste viveres, et discretionem inter bonum et malum faceres. Et in misericordia et miserationibus, ut si propter peccata tua tradita fueris in captivitatem, et paenitentiam egeris, iterum misericordiam consequaris. Tertio in adventu filii Dei, unde et hic dicitur, et desponsabo te mihi in fide, in fide videlicet sanctae trinitatis: de qua desponsatione dicit apostolus de Christo loquens, desponsavit sibi ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Et iterum, desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Sed synagoga ter a Domino desponsata omnem desponsationem irritum fecit. Unde quia desponsata in Aegypto primam desponsationem non custodivit, et fornicata est ibi deos alienos colendo, rursum per legem et per prophetas ceterasque scripturas veteris testamenti assumitur, ut quasi secundis sponsalibus firmata, iam ab amplexu illius non recederet. Tertio autem venit filius Dei dominus Iesus Christus, et per gratiam sancti evangelii eam sibi copulare voluit. Sed paucis credentibus, maxima pars eorum collata sponsalia negligens, in infidelitate permansit, sicut beatus Stephanus improperat dicens, vos semper spiritui sancto restitistis, sicut et patres vestri. Qui autem receperunt fidem eius, connexi sunt illi vincula dilectionis, credentes quod ipse Christus Deus esset, quem prius negaverant: ex quibus fuerant illi qui ad praedicationem Petri crediderunt una die quinque milia, et alia tria milia. " Et erit in die illa, dicit Domi-„ nus, exaudiam caelos; et illi exaudient ter-„ ram, et terra exaudiet triticum et vinum et „ oleum „. Secundum litteram hoc potest intelligi in his verbis, quod bona temporalia promittit Dominus his qui in se credunt. Spiritualiter caeli sunt apostoli, de quibus psalmista dicit, caeli enarrant gloriam Dei. Hi caeli exauditi sunt tempore dominicae incarnationis, rogantes pro muliere cananaea vel pro socru Petri. Isti caeli nunc exaudiunt terram, id est homines in ecclesia habitantes. Et haec terra exaudit triticum, id est profert simplicem doctrinam veteris et novi testamenti, ut impleat illud dominicum, beatus servus quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram. Exaudit et vinum, hoc est spiritalem intelligentiam illa praebet, ut sua doctrina laetificet corda audientium. Secundum qualitatem enim auditorum debet formari sermo doctorum. Exaudit quoque et oleum, quia in episcopis et presbyteris dat fidelibus gratiam sancti spiritus. Et haec (hoc est caelum et terram) apostoli scilicet atque universalis ecclesia exaudient Iezrahel, id est semen verbi Dei perducent ad operationis effectum, ut faciat aliud semen fructum centesimum, aliud sexagesimum, et aliud tricesimum. Porro quod sequitur " et seminabo eam in terris „ ad apostolos specialiter pertinet, qui ab Hierusalem seminati sunt ut sua praedicatione et miraculis terram, hoc est corda auditorum suorum, facerent fructificare: de quibus scriptum est, isti sunt semen cui benedixit Dominus. Nam ipsi apostoli et semen sunt, quia dispersi sunt per universum mundum, audientes a Domino, euntes in mundum universum, et cetera. Et ipsi sunt seminatores, iuxta illud in omnem terram exivit sonus eorum, et cetera. " Et miserebor eius „ quae fuit absque misericordia „ hoc est synagogae iam in me credentis, quae prius dum per multa daemonum portenta erraret, et pro Deo adorando, sine misericordia erat. " Et dicam „ non populo meo, populus meus es tu „. Hoc est quod ipse fidelibus suis ex eodem populo dicit, vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum etc. " Et ipse „ dicet, Deus meus es tu „. Sicut Petrus, tu es inquit filius Dei vivi. Et Thomas, dominus meus et Deus meus. Quae specialiter ad ·X· tribus, et generaliter ad omnes Israelitas possunt referri, ad eos scilicet qui crediderunt.

CAP. III.

„ Et dixit Dominus ad me: adhuc vade, dilige „ mulierem dilectam amico et adulteram, si-„ cut diligit Dominus filios Israel, et ipsi respe-„ ctant ad deos alienos, et diligunt vinacia „ uvarum „. Per has duas mulieres, id est superiorem fornicariam quae appellatur Gomer, et istam quae appellatur adultera, debemus intelligere Israel et Iudam, id est ·X· tribus quae erant in Samaria sub rege Hieroboam qui fuit de Ephraim, et Iudam qui regnabat in Hierusalem de stirpe David. Has duas mulieres describit Ezechiel sub nomine duarum sororum Oolla et Ooliba: quas si diligentius voluerimus distinguere, per priorem quae fornicaria appellatur, X tribus; per secundam quae adultera, Iudam possumus intelligere: et tamen generaliter et per illam et per istam universus populus israeliticus, sicut in sequentibus quoque monstrabitur, potest accipi. Iuxta litteram ita est intelligendum quod dicit, adhuc vade etc. Tu quidem eam diligis, sed ipsa debita vicis-

situdine non te diligit; quia potius tuum negligens amorem adultera est, quia alteri viro copalatur, eumque plus quam te diligit. Ad quid autem ista pertineant, aperitur, cum subditne: " sicut diligit Dominus filios Israel „ id est sicut tu diligis illam mulierem; et tamen illa plus quam te alium diligit; sic Dominus summo amore filias Israel diligit; sed ipsi eum spernentes respectant ad deos alienos, hoc est venerantur et colunt eos. " Et diligunt vinacia „ uvarum „. Vinacia appellat quae nos acino dicimus, id est folliculos uvarum post expressionem vini a prela proiectas. Spiritaliter autem per haec vinacia daemones intelliguntur, qui quamdiu in sua firmitate fuerunt, quodammodo uvae erant, hoc est gratia spiritus sancti referti; postquam vero superbientes contra Deum similes ei fieri voluerunt, evacuati gratia sancti spiritus facti sunt steriles, et veluti ad nihil utiles de caelo proiecti sunt veteri siccitate marcentes, et nihil antiquae gratiae possidentes. Sicut Iudaei ob infidelitatem a Deo derelicti diligunt daemones omni dulcedine bonitatis evacuatos. Sive per vinacia possumus intelligere traditiones scribarum et pharisaeorum veritatis sensu prorsus vacuas, et superstitione plenas; quam ipsi Iudaei diligebant relinquentes traditiones Dei propter traditiones hominum. " Et „ fodi eam mihi quindecim argenteis, et co„ro hordei „. Septuaginta interpretes, sicut beatus Hieronymus dicit, pro eo quod nostra translatio habet fodi, posuerunt conduxi; quod ad mulierem utique pertinet, quae ad hoc conducitur ut fidem marito servet, nec alii copuletur illo vivente. Cum autem dicit fodi eam mihi, in muliere ostendit se vineam velle significare; quae, sicut propheta testatur, domus est Israel, de qua scriptum est, vineam de Aegypto transtulisti. Foditur sive conducitur haec mulier ·XV· argenteis et coro hordei, id est XL· et V· modiis; nam corus ·XXX· modios habet, dimidius vero corus XV. Et haec mercede conducta audit a Domino: " dies multos „ expectabis me, non fornicaberis, et non eris „ viro „. Hoc est nec amatoribus turpiter te prostitues, nec mihi viro a quo conducta es legitime coniungeris. Ac ne putes quod facia tibi iniuriam quod dixi expectabis me, paria tibi feram quoniam ego expectabo te. Mystice quindecim argentei ad quintam decimam diem primi mensis, id est nisan, quo Iudaei egressi sunt de Aegypto, percussis primogenitis Aegyptiorum, pertineat. Ipsa enim die, id est ·XV· luna, eduxit eos Dominus de Aegypto et in suam transduxit servitutem, liberans illos post occisionem agni ab illata Aegyptiis plaga, coepitque eos erudire constituens pro primogenitis filiorum suorum, qui plagam non sensere communem quinos argenti siclos conferri in donariis domus Domini. Deinde quadragesimo quinta die, qui intelligitur in quadraginta quinque modiis hordei, pervenerunt ad montem Sinai. Altera autem die praeceptum est Moysi ut se sanctificarent per triduum, et a mulieribus abstinerent, et se praepararent ad accipiendam legem. Transactisque tribus diebus, quinquagesima die Moyses decalogum legis accepit. Qui ergo quadragesimo quinto die ad eum pervenerunt locum, in quo legem acceperunt, bene XLV· modiis hordei referuntur fuisse conducti. Quod autem sequitur, dies multos expectabis me, ad praesens pertinet tempus, quo populus Iudaeorum, qui quondam ·XV· argenteis et ·XLV· modiis hordei est ductus, post incarnationem Domini, eiusdem videlicet sponsi, adventum viri sui expectat; donec ut apostolus dicit, plenitudo gentium introëat, et sic omnis Israel salvus fiat. Quod vero dicit non fornicaberis, et non eris viro, hoc ostendit, quod interim modo idolis non serviat, nec tamen habeat Deum, sed et amatoribus et viro spoliata sit; et quia virum non habet, non vescitur cibo hominum, id est frumento, sed hordeo irrationabilium iumentorum; quia videlicet spiritalem sensum vivificantem non accipit, sed occidentem sequitur litteram. Quodque additur, sed et ego expectabo te, ad eos pertinet qui expectantur ad hoc ut in fine saeculi credentes recipiantur ad amplexum Christi, quando ex Iudaeis et gentibus fiet unus grex unum habens pastorem, qui de se dicit, ego sum pastor bonus. " Quia diebus multis sedebunt filii Israel sine „ principe et sine rege et sine ephot et sine te„raphim „. Iudaei haec omnia ad ·LXX· annos suae captivitatis referunt; sed melius est, ut beatus Hieronymus dicit, de praesenti tempore vel de ultima Iudaeorum conversatione intelligi quae dicuntur. Iam enim in his verbis ea quae superius dicta sunt intelliguntur, quia diebus multis expectabis me, non fornicaberis etc. Modo namque sedent, hoc est habitant Iudaei contracti, quia status rectitudinem amiserunt; et sunt sine rege Christo qui loquitur, ego autem constitutus sum rex ab eo etc. Et sine principe, id est sine ipso salvatore vel etiam pontifice et sacerdote, de quo scriptum est, principem populi tui non maledices. Sunt etiam sine sacrificio et sine altari, quia perdito loco, ubi templum et altare habebant, de quo eis in lege praecipiebatur, in loco quem elegerit Dominus immolabitis ei, et non in omni loco. Et sine ephot, quod proprie superhumerale vocatur; sed

hic pro omni vestimento sacerdotali accipitur. Aliquando autem ponitur et pro lineis vestimentis, sicut et de Samuele legimus quia erat indutus ephot lineo. Teraphim proprie appellantur figurae et simulachra, quae nos possumus in praesenti dumtaxat loco Cherubim et Seraphim, sive aliqua quae in templo ornamenta fieri iussa sunt, dicere. Haec omnia postquam perdiderunt Iudaei, spiritaliter nobis data sunt in ecclesia. Nos enim verum regem et sacerdotem habemus Christum, qui est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Habemus verum sacrificium corporis et sanguinis Domini. Habemus et ephot, hoc est vestem innocentiae et simplicitatis, facti ipsi sacerdotium et regnum, iuxta quod Petrus dicit, vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta etc. Habemus teraphim, hoc est signum et memoriam Dei expressam in cordibus nostris, iuxta quod eidem decantamus, signatum est super nos lumen vultus tui Domine etc. " Et post haec revertentur, et quaerent Dominum suum et David regem suum ". Post haec, id est postquam haec omnia impleta fuerint, dum plenitudo gentium intraverit, tunc revertentur filii Israel per praedicationem Heliae et Henoch, et quaerent dominum Deum suum et David regem suum, id est patrem et filium eius Iesum Christum dominum nostrum unum Deum corde ore et opere confitentes. " Et pavebunt ad bonum eius " spiritum videlicet sanctum, qui non extra patrem et filium sed simul cum patre unus est bonus Deus: de quo Dominus dicit discipulis, si vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quanta magis pater de caelo dabit spiritum bonum petentibus se?

CAP. IV.

" Audite verbum Domini, filii Israel etc. " Haec verba proprie ad eos pertinent qui in adventu filii Dei sunt reperti; licet iuxta litteram eis possunt aptari qui tunc temporis in decem et duabus tribubus commorabantur: quibus et propheta haec loquebatur, ostendens non frustra iratum Deum tam gravia comminari et inferre supplicia quae supra dicta sunt, ut scilicet essent sine rege ceterisque in quibus eatenus gloriati fuerant. Sed quia erant sine veritate et sine misericordia et sine scientia Dei, et maledictum et mendacium et homicidium ceteraque mala inundaverant, idcirco iusto iudicio ab habitatoribus illius terrae haec omnia ablata, ipsique captivitati sunt traditi, augentes peccata peccatis et novis vetera cumulantes. Ut autem diximus, maxime ad eos referuntur qui Dominum in carne viderunt et audierunt, sed credere in eum noluerunt. Dicitur itaque eis " audite verbum Domini, filii Israel, quia " iudicium Domino cum habitatoribus terrae, " hoc est cum Iudaeis semper terrena desiderantibus: quibus contrarii sunt illi qui caelestes appellantur, qui se peregrinos et advenas in hac vita considerantes, ad caelestia tendunt. Cum his habitatoribus terrae Dominus iudicium agit, id est damnationi aeternae eos tradi permittit. Quare autem hoc faciat, aperit subiungens " non est enim veritas, sed unusquisque cum proximo suo loquitur mendacium ". Vel non est veritas quia ille qui de se dicit ego sum veritas non habitat in cordibus eorum; et non est misericordia, quia subditos persequuntur, et pupillis ac viduae non miserentur. Unde etiam nec ipsi Christo pepercerunt, sed veluti canes rabidissimi contra eum aperuerunt ora sua dicentes, reus est mortis; et crucifige crucifige. " Et non " est scientia Dei in terra " hoc est fides et cognitio nominis Dei non est in cordibus eorum qui terrena solummodo sapiunt. Vel certe scientia id est sapientia Dei patris, quae se dicit per Salomonem, ego sapientia habito in consiliis et eruditis intersum cogitationibus. Et de qua apostolus, Christum Dei virtutem, inquit, et Dei sapientiam praedicamus. Non habitat in terra, hoc est non requiescit in eorum mentibus qui ab eius fide sunt alieni. De quibus adhuc sequitur " maledictum et furtum et mendacium et homicidium et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit ". Maledictum pertinet ad eorum convicia et obprobria, qui contra Dominum tumebant dicentes, daemonium habes, et samaritanus es, et cetera talia. Mendacium ad hoc quod dixerunt, reus est mortis; et hic est vorator et potator vini. Homicidium ad hoc quod eum morti tradiderunt, et omnes prophetas: iuxta quod ipse eis improperat dicens, et vos impleta mensuram patrum vestrorum. Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas; usque, sanguis iustus qui effusus est super terram. Et beatus Stephanus, quem inquit prophetarum non sunt persequuti patres vestri? et occiderunt eos qui praenunciabant de adventu iusti, cuius vos nunc proditores et homicidae fuistis. Furtum pertinet ad hoc quod se ipsos et filios suos Deo furati sunt, dicentes sanguis eius super nos. Vel quoniam ipsum Christum emerunt furtim ·XXX· argenteis. Adulterium ad immunditiam vel idololatriam. Haec omnia in Iudaeis inundaverunt, id est habundaverunt; verbum enim inundationis magnitudinem

scelerum ostendit. " Et sanguis sanguinem tetigit ". Sanguis sanguinem tangit cum homicidio iungitur, vel cum peccatum peccata augetur. Sanguinis enim nomine peccatum designatur; ut illud, libera me de sanguinibus etc. " Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur " omnis qui habitat in ea: in bestia agri, et " in volucre caeli; sed et pisces maris congre- " gabuntur ". Propter hoc quia pro bonis operibus vitia superius dicta inundaverunt, lugebit terra. Lugere dicitur terra quando inculta remanet, sublatis habitatoribus: et quae antea suis laetos proferebat fructus, incipit vepres procreare et spinas. Ideoque in hoc loco desolatio ·X· et duarum tribuum exprimitur cum dicitur, lugebit terra. Sive per terram ipsos Iudaeos possumus intelligere, terram quaerentes et terrena sapientes. Unde et statim sequitur, et infirmabitur omnis qui habitat in ea: hoc est qui per amorem et desiderium ibi manet. Comprehensi enim ab hostibus luxerunt et infirmati sunt, quoniam ea quae summo amore dilexerant, et in quibus gloriati fuerant, amittebant. " In bestia agri et volucre caeli ". Naturale est, ut beatus Hieronymus dicit, ut si terra ab habitatoribus suis fuerit derelicta, bestiae quoque et aves deficiant. Altiori autem sensu per bestias agri, feroces homines et bestiali pressos stoliditate; per volucres vero, superbos et elatos ac leves possumus intelligere; quales ipsi Iudaei erant de meritorum dignitate se iactantes, et alios despicientes. Per pisces maris ipsi non inconvenienter accipiuntur qui in profunditate vitiorum et in tenebris peccatorum conversabantur. Sive per pisces, mundi philosophos intelligamus, in exquirendis rerum naturalium profundis quaestionibus desudantes. Pisces, inquit, maris congregabuntur; subaudi in mortem: unde et alia translatio habet, pisces maris deficient. " Verumtamen unusquisque non iudicet, et non " arguatur vir ". Provocaverat eos superius ad iudicium, ut cognoscerent se ex veritate iudicatos, et non per potentiam Dei oppressos, sed propter peccata praeterita hostibus traditos: verum quia deteriores effecti erant tantae impudentiae, ut ne convicti quidem verecundiam haberent, prohibet a iustis iudicari iniustos et argui, quia indigni erant correptionem suscipere. Et unusquisque, subintellige iustus, non iudicet iniustum, et non arguatur vir impius a pio. Quod utique enormitate scelerum ipsi iniusti et impii promerentur. Unde et subditur " populus enim tuus sicut hi qui contradicunt " sacerdoti ". Et est sensus: sicut plebicula inobediens est sacerdoti, cuius non vult obsequi mandatis, et sicuti discipulus inobediens magistro, sic populus tuus contradicit verbis oris mei; et ideo non est dignus vel a propheta vel a quolibet redargui iusto. " Et corrues " hodie, et corruet etiam propheta tecum ". Superius ad prophetam loquutus est de populo, nunc autem ad ipsum populum, ·X· videlicet tribus, vertit sermonem dicens, corrues hodie id est in praesenti tempore, vel certe in aperta luce et in omnium oculis duceris in captivitatem. " Et corruet etiam propheta tecum ". Duobus modis possumus hic prophetam intelligere, vel falsum videlicet prophetam, quia aequivocum est nomen, vel etiam prophetalem dignitatem, quia decem tribus post captivitatem non legimus habuisse prophetam. Quamdiu enim non sunt captae decem tribus, habuerunt Heliam prophetam et Heliseum ceterosque filios prophetarum, qui prophetaverunt in Samaria. Et quidem duae tribus etiam in ipsa captivitate et post habuerunt prophetas; decem vero postquam translatae sunt in Medos et Persas, neminem habuisse referuntur prophetam. Ideoque eis dicitur, corruet etiam propheta tecum, id est omnis dignitas prophetalis a te peribit, vel falsi prophetae, qui vobis falsa prophetare solebant, una vobiscum peribunt. " In nocte ta- " cere feci matrem tuam ". Mater ipsa Iudaica plebs in generalitate appellatur. Filii huius vel singuli e populo, vel qui per oppida villasque erant dispersi. In nocte ergo, id est in tenebris captivitatis et maeroris et prementis angustiae, feci tacere matrem tuam, quia non est ausa dolere malum suum coram hostibus. " Conticuit populus meus, eo quod non haberet " scientiam " hoc est comprehensus ab hostibus silentio tabuit, non audens eis repugnare. Et redditur causa quare hoc factum est, scilicet eo quod non habuerit scientiam legis Dei, nec praecepta Dei servaverit ut illi serviret. Quia enim prius a Dei laudibus os clauserat, iuste ad hanc devenit miseriam, ut nec malum suum inter hostes deflere auderet. " Quia tu scien- " tiam repulisti, repellam te ne sacerdotio " fungaris mihi ". Repulit ipsa plebs scientiam, hoc est Deum, quando stultissima mente opus manuum suorum coepit adorare, factoremque caeli et terrae deserens, vitulos aureos venerata est in Dan et in Bethel: ideoque repulsa est ne essent ex ea sacerdotes in domo Domini, sed potius in delubris idolorum. Oblita es legem Dei tui, quae prohibet alienos deos adorare; obliviscar et ego filiorum tuorum tradens eos aeternae captivitati: nec miserebor eorum, ut olim misertus sum patrum illorum in deserto: qui enim ignorat, ignora-

bitur. Haec omnia possunt ad haereticos referri, qui reliquerant domum David et Hierusalem, id est Christum et ecclesiam; et ideo aeterna nocte cooperti conticescunt a Dei laudibus, sicut scriptum est, in inferno quis confitebitur tibi. Et hoc propterea quia non habuerant scientiam Dei, id est Christum, ut rectam eius fidem tenerent. Unde et merito a Domino repelluntur, ne sacerdotio fungantur ei, quia plerumque tales immatura morte ab hac vita subtracti, aeternaliter pereunt; ne vel ipsi indigne corpus et sanguinem Domini attrectantes aliis sint offendiculum, vel mala sua doctrina causa perditionis multis diu vivendo existant. Quorum etiam filii a Domino oblivisci dicuntur; id est hi qui ab eorum perversa doctrina generati sunt, quia simul cum malis patribus perpetuae damnationi traduntur. " Secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi ". Id est quot homines habuit Israel, tot arae instruxit daemonibus, in quorum victimis peccaverunt mihi. " Gloriam eorum in ignominiam mutabo ". Gloriam eorum appellat idolum, in quo gloriabantur, et in cuius veneratione laetabantur, quod tunc in ignominiam mutatum est, quando pro ipso scelere simul cum ipso ducti sunt in captivitatem. " Peccata populi mei comedent ". Dupliciter haec sententia intelligenda est: peccata populi sacerdotes comedunt, id est sacrificia pro peccatis hominum oblata: ea quippe quae tunc offerebantur, vel nunc in templo Domini offeruntur, in usus transeunt sacerdotum. Unde et in canonibus dicitur ut laici de consecratis non comedant. Sed illi qui eleemosynas aliorum comedunt, nisi digne pro eis oraverint, Iudaeis similes erunt: qui vero digne pro eis orant, operibus manuum suarum vivunt. Sive peccata populi sacerdotes comedunt, quia cum male agentibus blande adulantur, eorum peccata sibi assumunt. Qui enim alterius peccatis consentiunt, participes eorundem peccatorum efficiuntur; quoniam cum eos peccare perspexerint, non solum non arguunt, sed etiam laudibus peccantes extollunt. Unde et subditur " et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum ". Dum illis peccatis deservirent peccatores, sublevabant animas eorum dicentes, quoniam populus Dei estis, ex genere Abraham descendistis; propter amicitiam illius parcet vobis Deus si peccaveritis. Quorum verbis accipientes illi fiduciam, audacter peccabant erecti in superbiam: vel etiam falsa adulatione peccantes decipiebant dicentes, dimissa vobis sunt peccata vestra. Sicque eorum animas sublevabant, quoniam illorum verbis plus quam suae conscientiae credentes, cum peccatores essent, iustos se aestimabant. Unde est, popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt. " Et erit populus sicut sacerdos " id est quia aequaliter indignantis Dei sententiam sustinebunt. Sacerdotes autem isti, quibus aeque ut populo mala eventura a Domino praedicuntur, non erant de tribu Levi, sed ex quacumque tribu venientes adimplebant manum suam auro et argento, dantes munera regibus decem tribuum, fiebant sacerdotes in templis idolorum. Sed et sacerdos et praelatus quilibet qui mala aliorum sibi assumit sic adulando, aequalis efficitur. " Et visitabo super eum " id est sacerdotem vel populum. " Vias eius reddam ei " quia non solum pro malis operibus, verum etiam pro cogitationibus pessimis, quibus ut talia facerent tractaverunt, poenas luent. De haereticis facilis intelligentia est, quod quanto plures fuerint, tanto magis derelinquunt Deum, et iuxta suum numerum multiplicant sibi varia dogmata errorum: quorum gloria, id est sapientiae et christianitatis dignitas, in ignominiam commutatur, quando pro praeteritis peccatis iusto Dei iudicio in errores varios labi permittuntur, pro quibus demum aeternis traduntur suppliciis. De qualibus dicit apostolus, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quae non conveniunt. Qui peccata populi comedunt, quando ei placentia loquuntur, et per dulces sermones decipiunt corda audientium, et devorant domos viduarum: cum eam viderint alias delinquentes, aiunt nihil aliud quaerit Deus nisi fidei veritatem, quam si custodieritis, non curat quid agatis. Male intelligentes illud dominicum, qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Dumque haec dicunt, in iniquitatibus eorum sublevant animas eorum, ut non solum non agant paenitentiam nec humilientur, sed etiam gaudeant in sceleribus suis, et erecta gradiantur cervice. Unde et populus et sacerdos, id est et hi qui docti sunt, et hi qui docuerunt, pari constringentur iudicio, cum non modo pro factis, verum et pro cogitationibus malis debitae poenae illis redditae fuerint. " Et comedent, et non saturabuntur ". Id est mala opera exercebunt, et non implebuntur, quia luxuriosi et avari numquam malitia sua saturantur: e contraria autem, beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur: illi scilicet de quibus et propheta dicit, edent pauperes et saturabuntur etc. Sicut enim iustitia saturat, sic iniquitas substantiam non habens, vana comedentes fraude deludit, et

uteros devorantium vacuas derelinquit, id est sensus. « *Fornicati sunt, et non cessaverunt* » *subauditur fornicari, quia vires perversorum hominum in fornicatione deficiunt, et fornicandi desiderium non quiescit: et non audierunt, peccasti, quiesce; audient in die iudicii discedite a me maledicti in ignem aeternum etc. Fornicatae sunt etiam decem tribus cum idolis Hieroboam filii Nabath, et non cessaverunt postea colere idola. Et hoc quare? quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo: id est ideo coluerunt idola, quia reliquerunt dominum Deum suum, non valentes duabus dominis simul servire: et hoc in non custodiendo, subaudi mandata illius, quibus iusserat dominum Deum tuum adorabis et illi servies.* « *Fornicatio et vinum et ebrietas aufert cor* » *id est sensum et intellectum hominis pervertit. Et est sensus, sicut vinum et ebrietas eum qui nimium biberit, mentis suae impotem facit, ita fornicatio sive corporalis sive spiritalis pervertit sensum animumque debilitat, et de rationabili homine brutum efficit animal, ut lupanaria et libidinum sectetur lustra, ligna que et lapides deos putet adorans opera manuum suarum.* « *Populus meus in ligno suo interrogavit, et baculus eius annunciavit ei* » *Genus erat divinationis, quod fiebat in ligno et in baculis, qua futurarum rerum captabantur auguria. Unde et in Ezechiele legimus, quod surgens Nabuchodonosor contra Ammon et Hierusalem; forte similiter fecerunt isti, quaerentes quid eis esset utilius, utrum Deum an idola colerent. Et quia adeo perversi erant, ut relicta veritate mendacium sequerentur, iusto iudicio relicti a Deo, per responsionem baculi seducti sunt a diabolo. Unde et sequitur* « *spiritus enim fornicationis decepit eos, et fornicati sunt* » *id est recesserunt per idololatriam a Deo suo. Spiritus enim fornicationis diabolus intelligitur, qui suadet hominibus ut a Deo recedant, et se in simulacris ligneis et lapidibus venerentur. Principium quippe huius fornicationis idolorum, est fornicatio. Sed haeretici, quibus haec congruere possunt, numquam suis satiantur erroribus, nec cessant a fornicationis turpitudine, immunditiam carnis operantur, et non custodientes leges ceterasque scripturas Deum derelinquunt, insaniunt et inebriantur, et perdito mentis vigore adorant idola, quae de suo corde finxerunt. Fornicationisque spiritum possidentes* « *super capita montium sacrificabant, et super colles accendebant thymiama* » *Filii Israel sequendo voluptates suas et desideria carnis, Deo relicto cinisque thymiama hoc est incensum suavitatis afferebant, ibique propter amoenitatem locorum comedebant, bibebant, dormiebant, luxuriabantur; eademque loca excelsa vocabant. Ideo autem ista faciebant, quoniam excelsum Deum non habebant: de quibus excelsis legimus in actibus regum, verumtamen excelsa non abstulit, adhuc enim populus sacrificabat in excelsis. Vel etiam dicuntur in excelsis haec fecisse, quia in solariis domorum suarum adorabant: et hoc ex consuetudine, ut reor, serpentis in stipite elevati.* « *Subtus quercum et terebinthum* » *subaudi sacrificabant, quia bona erat umbra eius. Veritatem Iudaei perdiderant, et idcirco haec faciebant: praeceperat quippe Deus in lege, ne sacrificaretur ei nisi in loco quem elegisset: sed illi propter voluptates suas, sicut superius dictum est, in delectabilibus lucorum et montium locis sacrificabant idolis, sub umbra arborum altaria facientes, quarum amoenitate allecti immunditiam suae exercebant carnis: unde Dominus prohibuerat plantari nemus iuxta altare suum.* « *Ideo fornicabuntur filiae vestrae cum alienigenis* » *vel etiam Deum relinquentes, idola colent.* « *Et sponsae vestrae adulterae erunt* » *hoc est torum proprium relinquentes, alienis se coniungent.* « *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatae, et super sponsas vestras cum adulteraverint* » *Fornicatus fuerat Israel recedens a domino Deo suo; ideo fornicabuntur filiae eius et sponsae, et absque ulla vindicta sua sceleri relinquentur, ut ex propria dolore intelligant dolorem Dei, qui in tantum iratus est, ut nequaquam percutiat delinquentes. Non, inquit, visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatae, et super sponsas vestras cum adulteraverint. Hoc est non puniam illas pro sua fornicatione et adulteria sed libere voluptatibus suis servire permittam, ut videlicet ex vestra iniuria meam cognoscatis. Nec malum illarum vindicabo, nisi iam per ultimam captivitatem.* « *Quoniam ipsi cum meretricibus versabantur, et cum effeminatis sacrificabant* » *Reddit causam quare se dicat vindicaturum iniquitates filiarum atque uxorum populi Israel, ut esset ultra desperans emendationem. Cum meretricibus, inquit, versabantur, et cum effeminatis sacrificabant, s' cum mulieribus et cum viris turpitudinem in templis deorum suorum operantes. Et populus non intelligens Deum vel peccatum suum, vapulabit per captivitatem plagis verberibusque attritus. Si super haereticis ista voluerimus intelligere, filiae vel sponsae illarum intelligantur animae, quas in errore genuerunt, et suis dogmatibus desponsaverunt. Istiusmodi indigni sunt correptione Dei, quoniam omnis eorum*

cultos fornicatio est, et turpes turpibus commiscentur, et propterea vapulabunt, ut aliquando per plagas intelligant quem reliquerant Dram. “ Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltim Iuda ” Israel in hoc loco, sicut saepe dictum est, decem tribus intelliguntur; Iudas autem tribus Beniamin, et sacerdotalis, id est levitica cum eadem tribu Iuda coniunctae. Quam tribum nunc hortatur propheticus sermo ne Deum deserat per culturam idolorum, sicut fecerat Israel, id est decem tribus adorando idola, quae fecerat Hieroboam filius Nabath. Si fornicaris tu Israel, inquit, qui cum meretricibus te miscuisti, ita ut quicumque impleverit manum tuam offerenda, vel regibus munera dando, fieret idolorum sacerdos; saltim tu Iuda, qui possides Hierusalem, et habes ex lege sacerdotes et levitas, ac templum cum legalibus caerimoniis, noli delinquere ut eum imiteris idola colendo. “ Et nolite ingredi in Galgala ” Galgala locus est, ubi filii Israel transito Iordane primum castrametati sunt, ibique secundo circumcisione accepta purgatus est populus per Iosue; ubi etiam Saul postea in regnum electus est, et unctionis oleo est delibutus. Ex hoc filii Israel, quasi causa religionis, colebant idola, a quorum veneratione nunc tribus Iuda prohibetur, dum ei dicitur, nolite ascendere in Galgala, subaudi ut ibi adoretis deos, sicut faciunt Israelitae id est decem tribus. “ Et ne ascenderitis in Bethaven ” Bethaven ipsa est Bethel, hoc est domus Dei; sed postquam in ea idolorum cultus exortus est, et vituli ibi a Hieroboam positi sunt, appellata est domus inutilis et domus idoli: unde et LXX. pro Bethaven domo, domum idolorum ponunt, quia videlicet ibi unus ex vitulis aureis positus fuerat a Hieroboam. Nolite, inquit, ascendere Bethaven ut ibi immoletis, quia iam non domus idolorum. “ Neque iuraveritis vivit Dominus ” Prohibentur iurare in nomine Domini, qui cultores idolorum extiterant, et laudibus daemonum os pollutum habebant: non est enim speciosa laus in ore peccatoris. Nam prohibuerat Deus in lege iurare Iudaeos in nomine alienorum deorum, per nomen suum eis iurare concedens. Unusquisque enim eum, per quem iurat, aut amat aut veneratur. Unde ne illi idola diligerent aut venerarentur, prohibiti sunt per nomina deorum iurare, ne forte eorum saepe facta mentione illicerentur ad amorem et culturam eorum, sed habentes nomen Dei semper in ore, illum colerent et adorarent. Verum quia ipsi Iudaei iam relicto Deo idola colebant, prohibentur iurare vivit Dominus: quod iuramentum apud illos erat, sicut dicebat Helias, vivit Dominus in cuius conspectu sto: et saepissime legimus hoc eos usos fuisse iuramento. Neque, inquit, iuraveritis vivit Dominus; ac si diceret, nolo per os vestrum nominis mei fieri mentionem, quod idolorum pollutum est veneratione. “ Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit ” Vacca lasciviens appellatur eu superbia propter nimiam crassitudinem, quae et iugum suscipere detrectat, et oestro perculsa tramitem recti deserit sulci. Sic Israel, hoc est decem tribus, iugum legis de cervice sua excussit, et daemoniaco spiritu percussus latam viam arripuit, voluptates suas sequenda, de qua Dominus dicit lata est via quae ducit ad perditionem. “ Nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine ” Hic vox prophetae est de eodem populo; et quia coeperat loqui de vacca lasciviente, servat metaphoram in reliquis, dum in latitudine camporum Dominum dicit pasturum Israelitas quasi agnum. Nunc, inquit, hoc est in praesenti tempore, dum spiritus hos regit artus, me videlicet vivente, pascet eos Dominus in latitudine, quasi agnum; id est ducentur ab Assyriis in captivitatem, et ibi in latitudinem terrae Medorum dispergentur, ibique multo tempore morabuntur reversuri. Allegorice Israelis nomine haeretici appellantur, Iudas autem quilibet vir ecclesiasticus Deum confitens, quibus dicitur, si fornicaris tu Israel, hoc est si tu o haeretice recedis a Deo per falsam doctrinam, non delinquat Iudas, hoc est vir ecclesiasticus non sequatur dogmata tuae perversitatis, et ne ingrediatur in Galgala, hoc est in conciliabula haereticorum, ubi peccata omnium revelantur, et instar porcorum volutantur in coeno vitiorum. Galgal enim revelatio interpretatur sive volutabrum. “ Nec ascendat in Bethaven ” hoc est ad arrogantias falsarum dogmatum fictiones. “ Quoniam non est ibi domus Dei sed domus idoli ” Prohibentur etiam huiusmodi delictis maculati iurare in nomine Domini, cuius maiestatem male de eo sentiendo polluunt, qui sicut vacca lasciviens asila percussa, ardentibus diaboli sagittis percussi sunt, et legis notitiam reliquerunt, ideoque pascentur in lata et spatiosa via, quae ducit ad mortem. “ Particeps idolorum Ephraim ” Ephraim in hoc loco appellantur decem tribus post separationem a domo David ad Hieroboam, qui de tribu fuit Ephraim, cui benedictionem regni Iacob dederat. Interdum appellatur et Ioseph nomine, quia Ioseph pater fuit Ephraim. Ephraim igitur, hoc est decem tribus, particeps fuit idolorum, quia similes eis facti sunt quos manibus operantes ut

deos venerabantur. Sic enim dicit psalmista, similes inquit illis fiant qui faciunt ea. " Dimitte eum „ subaudi a Iuda, id est ne spernas verba prophetae, et ne sequaris impietatem Israel, qui idolorum particeps et amicus est, cuius cultus et religio et cibus a tuo convivio separatus est. Unde sequitur " separatum est „ convivium eorum „ id est sacrificium illorum a tuo seiunctum est, quia tu Deo omnipotenti offers, illi autem daemonibus. " Fornicatione fornicati sunt „. Repetitio sermonis confirmatio est, quod tale est ac si diceret, cotidie fornicantur et diligunt fornicationem suam, semperque fornicationes fornicationibus augent. Primo quippe idolum adoraverunt quod fecerat eis Heroboam filius Nabath; deinde omnium gentium deos. " Dilexerunt afferre ignominiam protecto„ res eius „. Protectores israelitici populi appellantur Heroboam et ceteri reges eorum, qui illos et erudire in via iustitiae, et ab hostibus defendere debuerunt. Isti dilexerunt afferre ignominiam, hoc est idololatriam, quarum actu infelix populus cultum suscepit idolorum; quippe qui debuerant eis doctores existere in via salutis, facti sunt duces erroris et perditionis aeternae. " Ligavit eum spiritus in alis suis „. Spiritus et ventus uno verbo apud Hebraeos exprimitur, quod est RUHA. Spiritus hic daemones significat qui ligaverunt eos haud dubium quin et reges et populum eis subiectum in alis suis, id est in obumbrationibus errorum, ut mentis paterentur caecitatem, ne quo vellent libere possint incedere. Ligavit nempe eum ipse spiritus, quando sibi coniunxit et ita univit, ut non Deum iam coleret, sed illum in simulacris supplex adoraret. " Et confundetur a si„ mulacris suis „. Hoc est cum fuerint deprehensi ab hostibus, confundentur et erubescent, cognoscentes hanc sibi illatam poenam propter sacrificia, quae idolis prius immolabant. Altiori sensu hoc ad haereticos referendum, qui participes idolorum existunt, quando sua varia dogmata colunt; ideoque hortatur propheta virum ecclesiasticum ut dimittat et contempnat eorum vesaniam, omnemque eorum spernat societatem, quia sacrificium ipsorum a sacrificiis fidelium est divisum, dum non recte celebrant mysteria corporis et sanguinis Domini, atque idcirco fornicantur varios sequendo errores, et immunditiae carnis serviendo, diliguntque afferre ignominiam, hoc est vanas et superfluas traditiones auditoribus suis gaudent praebere; quos spiritus id est diabolus ligat, ne valeant stabili pede in ecclesia permanere, sed hac illacque omni vento doctrinae circumferantur; qui vere in suis confunduntur sacrificiis, quia poenis eorum hoc est remuneratio perpetua erit luctus.

CAP. V.

" Audite hoc sacerdotes, et attendite do„ mus Israel, et domus regis auscultate. „ quia iudicium vobis est, quoniam laqueus „ facti estis speculationi, et rete expansum su„ per Thabor „. Sacerdotes decem tribuum alloquitur, et vocat ipsos ac reges eorum ad iudicium; non quod sint sacerdotes decem tribuum Levi, sed quod sacerdotes vocentur a populo. Sed et Israel, hoc est populus vocatur ad iudicium, nullusque excipitur, ut sacerdotes et populus et reges, qui seduxerant populum, et constituerant ei tales sacerdotes, simul audiant quid fecerint, et cur inimicis tradantur. " Audite, inquit, hoc omnes et auscultate „ id est aure corporis percipite, et mentis intellectu retinete; id est damnationem imminet merita vestrae iniquitatis, quoniam laqueus facti estis speculationi, hoc est vos ipsos, quos posui provisores populi mei libertatis, facti estis laqueus captivitatis et interfectionis. Ego quidem posui vos speculatores et principes in populo ut eum regeretis errantem, vos autem facti estis laqueus: ideoque iam non speculatores et et principes, sed venatores estis appellandi. Et sicut super Thabor rete expanditur quo aves capiuntur, ita vestra doctrina et exempla cepistis populum et ad mortem duxistis. Thabor autem mons est situs in campestribus Galilaeae rotundus atque sublimis, et ex omni parte aequaliter finitus, de quo psalmista dicit Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt. " Et „ victimas declinastis in profundum „. Victimae in profundum declinantur quae daemonibus offeruntur. Populus duarum tribuum victimas, quas Deo omnipotenti offerebat, superius id est ad caelos ascendere faciebat; Israel vero quoniam idolis sua immolabat sacrificia, descendere ea faciebat in profundum hoc est in infernum. Moraliter victimae Domini sunt laudes credentium, paenitentiae peccatorum, lacrimae orationum, de quibus scriptum est, sacrificium Deo spiritus contribulatus. Sed sunt nonnulli, qui idcirco se in prece ac lamentis afficiant, ut aut terrena commoda acquirant, aut ut hominibus sancti esse videantur. Hi profecto suas victimas in profundum declinant, quia ea quae in imo sunt, quaerunt: electi autem qui in praesenti tempore nihil quaerunt, nec humanum favorem sed Dei laudem pro bonis quae agunt requirunt, ad superiora suas faciunt victimas. Sunt etiam nonnulli qui post

lacrimas et paenitentiam quam de pristinis exercuerant peccatis, in profundum declinant, quia peiores efficiuntur; de quibus scriptum est canis reversus ad vomitum suum. Iuxta mysticos quoque sensus sacerdotes et principes haeretici intelliguntur; populus autem discipuli et subiecti eorum. Increpantur ergo populi ne se a crimine alienos arbitrentur, quia audierunt haereticorum consilium. Increpantur et principes et ad iudicium deducuntur dampnationis, quia qui debuerant esse doctores populorum, quasi luqueus coeperunt esse per pravam doctrinam, induxeruntque eos in errorem. Idem quoque haeretici expandunt rete super Thabor, qui interpretatur veniens lumen, quando suas in ecclesia tendunt insidias, perque dogmata perversa oves id est animas ad caelestia volantes capiunt. Victimas etiam declinant in profundum, quia suadent hominibus immolare daemonibus, dum eos ad sectandos errores suos pertrahunt, ut non resipiscant aliquando a malis, et se erigant ad caelestia contuendo. " Et ego eru„ditor omnium eorum „. Ne desperarent populi et magistri eorum, hoc est principes et sacerdotes; redire se posse ad veniam, misericorditer se Dominus eruditorem omnium eorum fore pronunciat dicens, ego eruditor omnium eorum; ac si diceret si patientiam agere voluerint, et diis, quos hactenus coluerunt, servire cessaverint, ne desperent, quia ego eruditor illorum docebo eos quid agere debeant, qui emendare non punire cupio, et salvare quaero non perdere. " Ego scio Ephraim, et Israel non „ est absconditus a me „. Nomine Ephraim comprehendit Hieroboam filium Nabath et omnes ex eadem tribu reges, qui illum et dignitate et scelere sequuti, populum seduxerunt; Israelis vero omnem populum decem tribuum. Et est sensus, ego creavi reges, ego etiam condidi populos regibus subiectos. Quia ergo mea sunt creatura, et omnia eorum semper intueor opera, non desperent, sed paenitentiam agant, et ego suscipiam eos. " Quia nunc fornicatus est Ephraim „ hoc est reges eorum in praesenti tempore a Dei cultu recedentes fornicari coeperunt, vitulos aureos adorando. " Et Israel con„taminatus est „ quia fornicante rege, populus est sequutus, paremque impietatem pari studio compleverunt. Ubi a superioribus incipiendum, et hoc scio ego. " Non dabunt cogitatio„nes suas ut convertantur ad Deum suum, „ quia spiritus fornicationum in medio eorum, „ et Dominum non cognoverunt „. Licet se eruditorem illorum Dominus misericorditer superius dixerit, tamen intentionem cordis eorum cognoscens, subiunxit, non dabunt cogitationes ut convertantur ad dominum Deum suum, ut scilicet paenitentiam agant de malis cogitationibus, ne perficiant opus malum quod cogitaverunt. Et reddit causam inquiens, quia spiritus fornicationum id est diabolus in medio eorum, et Dominum non cognoverunt, id est non intellexerunt ut eum colerent et digna veneratione adorarent. Quia ergo diabolus in eorum cordibus habitabat, ipse eorum oculos excaecaverat ne ad verum lumen possent redire, ut Dominum cognoscerent, id est intelligerent eum Dominum esse colendum. Sic enim dicitur et de filiis Heli: porro filii Heli, filii Belial, non cognoscebant Dominum. Principes quoque dogmatum perversorum, id est haereticos, et populum subiectum scit Dominus, quia omnia opera eorum, et ipsas cogitationes occultas considerat, nihilque est apud illos quod eum possit latere. Et quia praecipue eorum doctrina subiecti quoque ipsorum contaminati sunt, non dabunt cogitationes suas ut paenitentiam agant, et ad Deum revertantur, quia spiritu fornicationis seducti sunt qui in medio illorum versatur, ideoque dominum Deum non cognoscent. " Et respondebit arrogantia Israel in faciem eius „. Arrogantia id est superbia Israel fuit, qua tumens contra Deum, cultum eius despexit, et in creatoris iniuriam idola veneratus est. Haec arrogantia eius respondebit in faciem eius, quando merita iniquitatis propter idolorum culturam tradetur captivitati, ne habeatur impunitus, sed humilietur ab hostibus eius contumacia. " Et Israel et Ephraim ruent in „ iniquitate sua „. Hoc est et populus subiectus et reges qui eos ad idolorum inclinaverunt culturam, pariter corruent et infirmabuntur; ut qui fortes erant in scelere, infirmi redire cogantur ad Deum. " Ruet etiam Iudas cum eis „. In his verbis ostenditur quoniam et tribus Iuda tunc idola colebat. Non ergo, inquit, solum eveniet Israel et Ephraim, id est decem tribubus et regibus eorum ut ducantur in captivitatem, verum etiam Iudas, id est duae tribus quae regnabant in Hierusalem, sequentur vestigia captivorum, ut quorum imitati sunt scelera, patiantur et poenam. Sed et haereticis sua arrogantia in faciem respondet, quando pro superbia, qua semper se scire altiora iactant, et magistri et discipuli simul corruent. Iudas quoque, id est vir ecclesiastica doctrina institutus, qui corpore quidem non mente in ecclesia manet, et eandem cum haereticis habet in errore scientiam, frustraque nomen ecclesiasticum confitetur, ipse quoque cum haereticis puniendus est. " In gregibus suis et in „ armentis suis vadent ad quaerendum Domi-

„ num, et non invenient „. Hoc tum de decem tribubus, quam et de duabus accipi potest; et est sensus, cum pressi fuerint ab hostibus Israel et Ephraim et Iudas, tunc sera paenitentia tacti vadent ad quaerendum Dominum in suis oblationibus, gestientes eum muneribus placare, quem prius offenderant praevaricationibus. Sed non invenient eum, quia recedentibus eis a cultu divino, ipse quoque ab illis recessit. Unde et subditur " sublatus ab eis „. Non ergo praesentem eum sentient adiutorem, nec suis eum placare poterunt muneribus: praesertim cum dicat psalmista, non suscipiam de domo tua vitulos. Et numquid manducabo carnes taurorum? etc. " In Domino praevaricati sunt „ tunc scilicet quando pro Deo idolo venerati sunt. " Quia filios alienos genuerunt „. Hoc est iuncti idolis, non Deo sed daemonibus filios genuerunt: alieni quippe filii accipiuntur, qui in idolorum sunt errore generati, sive quos per ignem ducentes idolis consecrarunt. " Nunc de„ vorabit eos mensis cum partibus suis „. Quia, inquit, hoc fecerunt, non multo post tempore, subauditur in praesentiarum, advenient eis hostes, Assyrii videlicet atque Chaldaei, et devorabunt eum suis partibus, hoc est cum suis possessionibus, quas sorte et funiculo acceperunt. Unde et ·LXX· transtulerunt " devorabit eos rubigo cum clericis suis. „ Et est sensus, per singulos menses hostis adveniet, et cuncta quae ad eos pertinent vastabit, ipsosque partim interficiet partim in captivitatem ducet: quod qualiter factum sit, historia libri regum demonstrat, qui eundem populum nec semel nec bis sed pluribus vicibus captivatum refert. Sed et haeretici suspicantur quod in multitudine sacrificiorum suorum placent Deum; et Iudaei, id est ecclesiastici, quod faciendo eleemosynas peccata sua redimant in quibus permanent; cum omne sacrificium praeterita, non praesentia, scelera delere soleat. Et utrique tales Deum non inveniunt, quia aufertur et procul recedit ab eis. Praevaricantur autem quando Dei negligunt praecepta, et alienos generant filios cum opera faciant diaboli; ideoque cotidie et sigillatim dampnantur cum suis partibus, hoc est cum malis quae egerunt operibus ad interitum properant aeternae dampnationis. " Clangite bucina in Gabaa, tuba in Rama, ululate in Bethaven „. Bucina ex cornu animantis recurvo fit; tuba autem ex aere vel argento in lege fieri praecipitur, concrepatque in bellis et in sollempnitatibus. Gabaa et Rama civitates sunt in tribu Beniamin sibi vicinae. Haec est Gabaa ubi natus est Saul. Rama autem ipsa est quam rex Israel conatus occupare, sicut in regum libro legitur, ut clauderet introitum et exitum domui Iudae et Beniamin. Porro Bethaven in tribu est Ephraim, quae antea vocata est Bethel. Quia igitur praemiserat superius decem et duarum tribuum captivitatem dicens, nunc devorabit eos mensis cum partibus suis, hortatur eos quasi iam instante vicina captivitate, ut resonent bucinis et tubis cohortantes se invicem in communem luctum. Et est sensus, nolite vestram captivitatem humili voce deflere, sed bucinis concrepate et tubis, ut omnes audiant qui in circuitu sunt. Cui sensui bene congruit, quod Gabaa collis, Rama excelsa interpretatur. Dicitur ergo eis, clangite bucina in Gabaa, tuba in Rama; id est ascendite in colles et montes, excelsaque voce deflete imminentem captivitatem vobis. Ululate etiam in Bethaven, ubi est unus ex vitulis aureis, pro quorum adoratione modo captivi tradentur habitatores eius. Et pulchre addit " post tergum tuum Beniamin „ ubi enim tribus finitur Beniamin, non procul est Betel civitas condita in tribu Ephraim, in posteriori scilicet parte ipsius Beniamin. " Ephraim „ in desolatione erit in die correptionis „. In hoc loco nomine Ephraim tam reges de stirpe Ephraim procedentes, quam etiam ipse decem tribuum populus comprehenditur. Diem autem correptionis appellat tempus, quo traditi sunt hostibus propter sua peccata, ut qui noluerant Deo servire in prosperitate, correptionem sustinerent hostium variis afflicti miseriis. Qua videlicet die facti sunt in desolationem et reges et subiecti illorum, quando quibusdam interfectis, ceteris autem in captivitatem abductis, terra eorum suis cultoribus vacua remansit. " In „ tribubus Israel ostendi fidem „. ·LXX· transtulerunt " in tribubus Israel ostendi fidelia „ et ponitur ibi praeteritum tempus pro futuro ostendam. Ac si diceret, cum venerint ea quae prius loquutus sum in prophetis, ostendam fidem, id est fidelia verba mea manifestabo et vera; quia quicquid de eorum loquutus sum perditione, complebitur opere. Sed et haeretici in Gabaa et Rama, id est in tumore superbae conscientiae morantur, dum excelsam se putant habere sapientiam, ibique idola colunt id est dogmata falsa quae de suo finxerunt corde venerantur. Quapropter praecipitur ut non silentio malum suum tegant, sed publice cunctis manifestent, et iubentur ululare in Bethaven, quae domus inutilis sonat, hoc est in suis cordibus, quae prius perfecta erant Bethel, id est domus Dei, sed iam per diversos errores inutilia facta sunt. Quibus bene congruit quod Bethaven post tergum Beniamin fuisse memoratur. Beniamin quoque interpretatur filius dexterae, et

significat sanctos ad dexteram, id est ad caelestis regni prosperitatem venturos: qui gaudia contuentes aeterna, omnia praesentis vitae commoda post dorsum habent, quia cuncta postponunt transeuntia dicentes, sequamur ad bravium supernae vocationis. Haeretici vero post tergum Beniamin sunt, et quae sancti despectui habent, desiderabiliter appetunt, et delectabiliter sequuntur, totam spem suam in transitoriis rebus positam habentes; et qui prius videbantur esse Ephraim, id est ubertas, cum advenerit dies correptionis, id est dies iudicii, erunt in desolationem, quando omnibus expoliati bonis, quibus pollere videbantur, nudi et vacui igni tradentur inextinguibili. Tunc etiam Dominus in dampnatione illorum fidem ostendet, hoc est verba sua fidelia et vera demonstrabit, cum hoc quod de illorum interitu ante praedixerat, opere complebit. Quod non solum ad haereticos, sed ad omnes generaliter reprobos potest non inconvenienter referri. " Facti sunt principes Iuda quasi assumentes terminum „. Ducti sunt Israel et Ephraim in captivitatem, et redacta terra eorum in solitudinem. Principes Iuda qui flere debuerant, et suum populum cohortari ut recederent ab idololatria, ne et ipsi similia reciperent, coeperunt gaudere quod pateret sibi terra eorum ad possidendum latius, et facti sunt quasi assumentes terminos Israelis, transeuntes fines suos, et in regnis quondam eorum regnum suum et possessionem dilatare cupientes. Quamobrem subditur " super eos effundam quasi aquam iram meam, et super ipsos principes Iuda venient Babylonii, et ita eos quasi aquae impetus occupabunt; per quos perfectam captivitatem et mortem inducam, quia non suis viribus sed mea hoc facient indignatione: verbum enim effusionis largitatem et magnitudinem rei de qua agitur significat. Dicit quoque ad principes Iuda, id est ecclesiae, quod non debuerint exultare, et reproborum perditionem, suam aestimare salutem, sed potius plangere quod illi perierint, memores suae conditionis. Unde et apostolus monet viros ecclesiasticos ne super fractionem glorientur iudaicorum ramorum, sed magis timeant ne et ipsi frangantur. Sed quia quidam de interitu gaudent reproborum, et idcirco se stare putant, si alii corruant, effundit Dominus super eos quasi aquam iram suam; quia plerumque dum alii de aliorum lapsu laetantur, ipsi in eadem incidunt mala pro quibus aliis insultabant. Transferunt etiam principes Iuda terminos quos posuerunt patres eorum, quando immutant mendacio veritatem, et aliud praedicant quam ab apostolis acceperunt.

" Calumpniam patiens Ephraim fractus iudicio „. Populus israeliticus adhuc in duritia cordis perseverans, dicebat se fractum iudicio, et inique opprimi ab hostibus dicens, quoniam nos qui de gente Abraham amici Dei descendimus, peioribus nobis, hoc est incircumcisis et idololatris penitusque a Dei cultu alienis, tradi non debuimus. Calumpniam quippe appellat afflictionem ab hostibus illatam, quam cum sustineret, fractum se dicebat iudicio, hoc est iniuste et sine aliqua culpa fatebantur se dampnatos. Quamobrem ut non sine causa cognoscerent se haec sustinere, subditur. " Quoniam coepit abire post sordes „ ac si diceret, idcirco traditi sunt Chaldaeis, non quod iustiores fuerint, qui eos oppresserunt, sed quia Iudaei quondam populus meus me deseruerunt, et coeperunt abire post sordes, hoc est post idola; unde sordibus et immunditiis comparantur: ideoque iustam infert sententiam, ostendens eos idcirco calumpniam sustinere et tradi peioribus, quia coepit Ephraim, hoc est Ieroboam abire post idola, et Deum derelinquere: ipse enim aureos fabricavit vitulos, quos postea populus adoravit. Et de haereticis manifestus est sensus, quod sophismatibus suis et arte dialectica oppresserint ecclesiam. Sed cum hoc fecerint, non munditiam verae fidei, sed sordes sequuntur mendacii, qui cum se dampnatos viderint, cum diabolo et angelis eius videntur sibi calumpniam pati, et in se fractam esse iudicii veritatem. Sic et de omnibus reprobis sentiendum est. " Et ego quasi tinea Ephraim, et quasi putredo domui Iuda „. Tinea comedit vestimentum, putredo autem vel caries ligna consumit. Estque in his verbis sensus hic, sicut tinea consumit vestimentum, et putredo vel caries lignum, quod utrumque per spatium fit temporis, ita ego et prius decem, et postea duabus tribubus longo tempore poenitentiam tribuens, easque ad salutem provocans, dampnationi illas tradam. Ubi notandum quod tinea referatur ad Ephraim, putredo autem ad domum Iuda. Tinea quippe celerius consumit vestimentum quam putredo vel caries lignum. Ac per hoc ostenditur prius factam decem tribuum captivitatem, deinde duarum: quoniam qui priores fuerunt in scelere, priores quoque dati sunt in captivitatem. Advertendum etiam quod cum totum Ephraim se tamquam tinea consumpturum protestetur, de tribu Iuda loquens dicit, et ero quasi putredo domui Iuda. In quibus verbis ostendit partem quandam se servaturum ex eis, quae postea reversa est, ex qua Christus originem duxit, cui promissio reposita erat; dicente Iacob, et ipse erit expectatio gentium. Punitis autem haereticis qui in-

telliguntur nomine Ephraim, etiam Iudos, scilicet si qui in ecclesia permanent, et haereticorum vel vitiis vel erroribus continentur, simili sententiae subiacebunt; quia necesse est ut qui eorum imitantur actus, parem cum eis sustineant poenam. " *Et vidit Ephraim languorem suum, et Iudas vinculum suum. Et abiit Ephraim ad Assur, et misit ad regem ultorem*. " *Intelligens Ephraim, hoc est reges decem tribuum, suum languorem id est suam infirmitatem; et Iudas vinculum suum, hoc est cognoscens sibi imminere captivitatem, quia sociatus fuerat decem tribubus in peccata, misit ad Assur, quia non a Deo qui et peccatum et captivitatem solvere poterat, sed a rege Assyriorum quaesivit auxilium. Legimus quippe in libro regum, quod sub rege Manaen qui decem tribubus praefuit, Israel Assyriis transmiserat ut eum a damascenis liberaret hostibus. Iudas quoque sub rege Achaz misit munera Teglatphalasar, ut liberaret eum de manu Phacee filii Romeliae et Rasin regis Damasci. Sed licet tunc eos de hostium salvaverint manu, ipsi postea eos debellaverunt, et facti sunt ultores iniuriarum Dei, quos prius ad tempus liberatores habuerant. Unde hic subditur* " *et ipse non poterit sanare vos, nec solvere poterit a vobis vinculum*. " *Quia videlicet Deo adversante nec a se ipsis liberare potuerunt eos Assyrii, nec captivitatis solvere vinculum. Iuxta tropologiam Ephraim et Iudam possumus referre ad haereticos et ecclesiasticos viros, qui cum suum viderint vinculum, hoc est cum se cognoverint peccatis esse obnoxios, de quibus scriptum est, funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur, non Dei quaerunt, sed diaboli auxilium, qui ultor est peccatorum: de quo scriptum est, ut destruas inimicum et ultorem. Et quia non verum auxiliatorem vel iudicem deprecantur, idcirco permanere coguntur in doloribus suis et in variis delictorum erroribus: nec poterit eos diabolus sanare, nec a vinculis peccatorum eruere, cum iusto Dei iudicio una cum eo perierint.* " *Quoniam ego quasi leaena Ephraim, et quasi catulus leonis domui Iuda.* "

REMIGII COMMENTARIUS AD RELIQUAM OSEAE PARTEM
DESIDERATUR IN CODICE.

EUTYCHIANI PAPAE *

EXHORTATIO AD PRESBYTEROS

EX ANTIQUO CODICE VATICANO.

Fratres et sacerdotes Domini cooperatores nostri ordinis estis. Nos quidem quamvis indigni locum Aaron tenemus; vos locum Eleazari et Ithamaris: nos vice duodecim apostolorum fungimur; vos ad formam septuaginta duorum discipulorum estis: nos pastores vestri sumus; vos plebis vobis commissae: nos de vobis rationem reddituri sumus summo pastori Domino nostro Iesu Christo; vos de plebe vobis commissa: nos de vobis pastoribus; vos vero de ovibus, idest de plebibus vobis commendatis: et ideo, filii carissimi, praevideamus periculum tanti officii nobis commissi. Admonemus itaque et obsecramus fraternitatem vestram, ut quae vestrae nostraeque saluti suggerimus, memoriae commendetis. In primis admonemus ut vita et conversatio vestra irreprehensibilis sit: scilicet, ut cella vestra sit iuxta ecclesiam, et in domibus vestris feminas non habeatis: omni nocte ad nocturnas surgite; cursum vestrum certis horis decantate: missarum celebrationes religiose peragite: corpus et sanguinem Domini cum timore et reverentia sumite. Nullus scaccis vel alearum ludis intendat: vasa sacra manibus propriis abluite et extergite. Nullus cantet missam nisi ieiunus: nullus cantet qui non communicet: nullus cantet sine amictu, alba, stola, manipulo, id est fanone et casula, et haec vestimenta nitida sint, et ad nullos alios usus sint. Nullus in alba qua in suos usus utitur cantet. Nullus in ligneo aut in vitreo calice audeat missam celebrare. Nulla femina ad altare accedat, nec calicem Domini tangat; corporale mundissimum sit. Altare sit coopertum de mundis linteis. Super altare nihil ponatur, nisi capsae et reliquiae et quatuor evangelia, aut pyxis cum corpore Domini ad viaticum infirmorum: cetera in nitido loco recondantur. Missale plenarium, lectionarium, antiphonarium, et librum quadraginta homiliarum unusquisque habeat. Locus in secretario vel iuxta altare sit praeparatus ubi aqua effundatur, quando sacra vasa abluuntur, et ubi vas nitidum dependeat cum aqua, ut sacerdos manus lavet post communionem. Ecclesiae sint bene coopertae et cameratae, et atrium ecclesiae sit undique munitum.

Nullus extra ecclesiam per domos, nec in locis non consecratis missam cantet: nullus solus cantet missam: unusquisque presbyter clericum vel scholarem habeat qui epistolam vel lectionem legat, et ei ad missam respondeat, et cum quo psalmos cantet. Infirmos visitate, et eos ad confessionem reconciliate, et iuxta apostolum oleo sancto ungite, et manu propria communicate. Nullus praesumat tradere communionem laico vel feminae ad deferendum infirmo: nullus sacrum chrisma vendat: nullus vestrum pro baptizandis infantibus vel pro reconciliandis peccatoribus, vel infirmis, aut pro mortuis sepeliendis, vel pro consecrandis ecclesiis, praemium aut pretium

* Addatur hoc spurius Eutychiani papae scriptis, de quibus legendus Constantius ep. ist. rom. PP. p. 299. sqq.

sive munus exigat, vel ecclesias aliquorum data pecunia, vel aliquo malo ingenio subripiat. Videte ut per negligentiam vestram nullus infans sine baptismo moriatur. Nullus vestrum sit ebriosus vel litigiosus: nullus arma portet in seditione, nisi verbum Domini. Nullus canum vel avium iocis inserviat: nullus in tabernis manducet et bibat. Unusquisque vestrum, quantum sapit, plebi suae de evangelio, vel de epistola, vel aliqua divina scriptura in dominicis et festivis diebus annunciet. Curam *gerat* pauperum peregrinorum, orphanorum, praebens eis refectionis hospitium, ut sustentationem habeant. Discordes ad concordiam revocet: viduas defendat, ut in his et in aliis huiusmodi totius boni exemplum praebeat. Omni die dominico ante missam aquam benedictam faciat, et plebem suam et loca fidelium aspergat, et ad hoc solum agendum unum vas habeat, et circa atrium suum vel circa ecclesiam ad processionem eat. Sacra vasa et vestimenta sacerdotalia nolite in vadimonium dare negotiatori, vel alicui saeculari. Nullus vestrum minus digne paenitentem cuiuscumque rei gratia ad reconciliationem adducat, et ei testimonium reconciliationis ferat. Nullus vestrum usuram exigat, et conductor sui fenoris existat. Res et facultates, quas per diem ordinationis vestrae acquiritis, ad ecclesiam, ad quam titulati estis, vel cui deservitis, pertinere sciatis.

Nullus sine conscientia et consensu episcopi ecclesiam adquirat et obtineat: nullus per potestatem saecularium ecclesiam teneat: nullus ecclesiam, ad quam titulatus est, dimittat, et ad aliam migret: nullus plures ecclesias sine adiutorio aliorum presbyterorum habeat: nullatenus una ecclesia inter plures dividatur. Nullus alterius parrochianum, nisi in itinere, aut si ad placitum fuerit, ad missam recipiat: nullus in alterius ecclesia, vel parrochia missam cantet, absque proprii voluntate et rogatu presbyteri: nullus decimam ad aliam ecclesiam pertinentem recipiat. Nullus paenitentem invitet carnem manducare et vinum bibere, nisi pro eo ad praesens eleemosyna fiat. Nullus praesumat baptizare, praeter in vigilia paschae et pentecostes, nisi pro necessitate et periculo mortis. Unusquisque fontes lapideos habeat: quod si non potest habere lapideos, habeat vas aliud ad hoc paratum, in quo nihil aliud fiat. Videte ut omnibus parrochianis vestris symbolum et orationem dominicam insinuetis. Ieiunium quattuor temporum, et rogationum, et litaniae maioris, plebibus vestris omnibus modis observandum indicite. Feria quarta ante ·XL· plebem ad confessionem invitate, et eis iuxta qualitatem delicti paenitentiam iniungite, non ex corde vestro, sed sicut in paenitentiali scriptum est. Tribus temporibus in anno, id est in natali Domini et pascha et pentecoste omnes fideles ad communionem corporis et sanguinis, exceptis paenitentibus, quibus prohibitum est, accedere admonete. Certis temporibus coniugatos ab uxoribus abstinere exhortamini, id est ab adventu Domini usque ad transactas octavas epiphaniae; et a septuagesima usque ad transactas octavas paschae; et a rogationibus usque ad transactas octavas pentecostes. Praeterea, in omnibus sabbatis usque ad feriam secundam et vigilis sanctae Mariae, et sancti Iohannis, et apostolorum, et vigiliis indictis aliorum sanctorum, et horum festis, eulogias post missam dominicis diebus plebi tribuite. Nullus presbyter in itinere sine orario, id est stola, incedat. Nullus vestrum vestimentis laicalibus et diversis coloribus induatur.

Nullus rem aut possessionem ecclesiae aut mancipium vendere aut commutare, aut aliquo ingenio ab ea alienare praesumat.

Diem dominicum et alias festivitates absque servili opere a vespera in vesperam celebrare docete. Cantus et choreas mulierum et ludos ioculatorios, et cantiones in ecclesia et in atrio fieri prohibete. Carmina diabolica quae super mortuos nocturnis horis vulgus facere solet, et cachinnos quos exercet, sub contestatione Dei omnipotentis fieri vetate. Cum excommunicatis nolite communicare: nullus praesumat cum eis vel missam cantare, sed et plebibus vobis commendatis hoc annunciate. Nullus vestrum ad nuptias eat: omnibus denunciate ut nullus nisi publice celebratis nuptiis uxorem ducat: nullus sponsam alterius accipiat, et nuptias fieri prohibete ab adventu Domini usque ad transactas octavas epiphaniae, et a septuagesima usque ad transactum paschae clusum, et a rogationibus usque ad transactas octavas pentecostes. Raptum omnibus modis prohibete; et ut ad proximam sui sanguinis feminam vel cum consanguineis suis usque ad septimam generationem nullus accedat, anathematizate. Pastores omnes et alios servientes suos ut unusquisque ad ecclesiam dominicis vel festivis diebus venire faciat, admonete. Patrini filiolis suis spiritualibus symbolum, et orationem dominicam insinuent, vel docere eos faciant. Chrisma sub sigillo sit, aut sub sera, propter quosdam infideles. De mysterio vobis commisso vos admonere curamus, ut unusquisque vestrum, si fieri potest, expositionem symboli et orationis dominicae iuxta traditionem orthodoxorum patrum penes se habeat scriptam, et eam pleniter intelligat, et inde populum sibi commissum assidue praedicando instruat, et, si non noverit, saltem secum teneat et credat. Orationes quoque missarum et praefationes et canonem bene intelligat, et si non saltem distincte ac memoriter valeat proferre, epistolam et evangelium bene legere possit, et utinam sensum ad litteram possit manifestare! psalmorum versus et distinctiones regulariter ex corde cum canticis consuetudinariis pronunciare sciat. Sermonem Athanasii episcopi, cuius initium est "quicumque vult" memoriter teneat et omni die cantet. Exorcismos et orationes ad catechumenum faciendum, et ad fontem baptismi consecrandum, aut reliquas orationes super masculum et feminam singulariter et pluraliter valeat et sciat distincte proferre, et ordinem baptizandi ad succurrendum infirmis et ordinem reconciliandi secundum auctoritatem canonum, et ordinem unguendi infirmos unusquisque habeat et prudenter sciat. Ad infirmos quoque visitandos, et ad reconciliandum eos invitatus sponte neus currat, et eorum necessitati, non pro lucro terreno sed pro illa caritate qua Christus nos dilexit, subveniat, et orationes et septem psalmos speciales circa eos decantare curet. Similiter ordinem in exequiis defunctorum agendis, preces, exorcismus quoque salis et aquae memoriter teneat: cantum nocturnum, atque diurnum sciat. Computum si non maiorem saltim minorem, id est epactas concurrentes, terminos regulares, et si potest, cetera sciat. Martyrologium et paenitantialem sapiat. Libellum istum unusquisque habeat et frequenter legat, ne oblivioni tradat ea quae sunt sibi observanda. Quod, fratres carissimi, ut memoriter retinere et salubriter peragere valeamus, omnipotens Deus nobis concedere dignetur, cuius regnum et imperium sine fine permanet in saecula saeculorum. Amen.

EPILOGUS BREVITER DIGESTUS

EX EODEM CODICE VATICANO.

Quamquam a sanctis patribus in superioribus huius libelli (1) partibus satis sit dilucidatum qualiter clerici vivere debeant: adeo ut, qui haec, quae superius comprehensa sunt, sedula meditatione perlegerit, perspicue in his repperire valeat qualis eius debeat esse fidei devotio, actuum morumque exornatio, ac divinorum cultuum executio; propter plerosque tamen simplices minusque capaces haec strictim breviterque replicanda pernecessarium duximus, ut qui haec aut legere, aut forte ab aliis lecta plene intelligere nequiverint, utantur hac defloratiuncula, utpote calatho diversorum florum vernantium nectare referto, et discant quid eis agendum, quidve vitandum sit.

Legalibus interea institutis, et evangelicis saluberrimis monemur praeceptis, ut dominum Deum nostrum totis praecordiis diligamus, et proximum tamquam nos ipsos. Si igitur ab omnibus fidelibus his salutiferis praeceptis totis nisibus est favendum, quanto magis ab iis qui divinis cultibus mancipati sunt, et aliis exemplo virtutum condimentum? Proinde oportet ut primo omnium dominum Deum diligant ex toto corde, tota anima, tota virtute, et proximum tamquam se ipsos, et nosse quod his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae. Non occident, neque fratrem oderint, quia, ut ait apostolus, qui fratrem suum oderit homicida est. Non adulterent; non faciant furtum; non concupiscant rem alienam; non falsum testimonium dicant; et quod sibi nolunt fieri, alteri ne faciant. Non sint superbia tumidi, non detractionibus assueti, non ebrietati servientes, non luxuria enervati, non iracundia turbidi, non quibuslibet aliis vitiis substrati, non vaniloqui, non invidi, non somnolenti, non pigri, non murmuratores, non susurrones, non vinolenti, non multum edaces. Fraudes et dolositates caveant, usuris nequaquam inserviant, non iurent ne forte periurent, malum pro malo non reddant. Cum in se aliquid boni viderint, Deo deputent, et enm malum viderint, sibi: discordiam fugiant, et quos discordantes invenerint, ad caritatis concordiam revocent, et iuxta psalmistae vocem " declinent a malo, et faciant bonum ".

Attendant et apostolum prohibentem: non, inquit, in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et aemulatione, sed induimini dominum Iesum Christum. Animadvertant etiam quod ab his vitiis ab apostolo prohibitis omnium vitiorum segetes emergant, et quod horum morborum mater superbia sit. Oportet etiam ut animam corpusque suum ab omni inquinamento carnis et spiritus custodiant, ut iuxta apostolum integer spiritus eorum et anima, et corpus sine querela in adventu domini nostri Iesu Christi servetur. Sobrie iuste et pie vivant; saecularia negotia prorsus abiciant, quia iuxta eumdem apostolum, nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Ieiunium

(1) Non extat hic libellus in nostro codice. Ego tamen sequentia considerans valde suspicor intelligi libellum Chrodogangi ad clericos canonicos, qui extat in conciliorum collectione per Coletum ed Ven. T. IX

ament, hospites colligant, pauperes recreent, nudos vestiant, infirmos visitent, mortuos sepeliant, in tribulatione positis opem ferant, dolentes consolentur: amori Christi nihil praeponant, charitatem non derelinquant; si fieri potest, cum omnibus babeant: diem iudicii timeant, vitam aeternam spiritualiter concupiscant, spem suam Deo committant. Proprio episcopo in omnibus secundum canonicam institutionem observent: magistros suos non temere reprehendant. Postremo in doctrinis spiritualibus operam dent lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, et ceteris bonorum operum exercitiis iugiter incumbant.

In dormitorio, nisi quem infirmitas detinuerit, omnes dormiant. In refectorio pariter reficiantur. Cotidie ad collationem veniant: mox ut signum datum fuerit ad ecclesiam omnes festinanter veniant: horas canonicas non negligenter sed cum omni religione celebrent: ecclesiam non pompatice sed reverenter ingrediantur: in choro non cum baculis stent: vaniloquiis nequaquam insistant, sed cum omni devotione et veneratione divinae servitutis opus peragant, scientes angelorum praesentiam semper illic adesse. Claustra nisi per licentiam non egrediantur; egressi irreprehensibiliter vivant, ut ab iis qui foris sunt, bonum testimonium habeant; et religionem ac propositum suum actibus illicitis non maculent, sed potius omnes, quibus se coniunxerunt, sale sapientiae et bonorum operum exemplis condiant. Contubernia feminarum nullatenus appetant: non vanis oculis, vel petulanti tumidoque gestu, ac dissolutis renibus incedant. Non spectaculis, non pompis saecularibus intersint. Non aleae non quibuslibet venationibus inserviant: apostoli instructi documento quando ait, non in veste pretiosa, non pretiosis delectentur vestibus. Caveant summopere ne extra claustra moras faciant, nisi prout sibi a priore constitutum et opportunitas temporis dictaverit.

In claustro positi non otio vacent, sed aut divinis officiis, aut propriis utilitatibus, aut certe magistrorum iussionibus pareant, ne otio torpentes ab apostolo audiant: qui non vult operari, non manducet. Seniores spiritualiter iuniores diligant: iuniores senioribus obsequium dignum exhibeant. Doctiores minus doctis non se praeferant, sed magis eos cum charitate aedificent: neque ii qui nobilitate generis aut virtutum donis pollent, ceteris se tumide superextollant. Omnes in congregatione vicissim sibi charitatis officio serviant, quibus etiam in refectorio comedentibus et religiose silentium tenentibus continuatim legatur lectio. Delinquentes zelo rectitudinis pariter arguant et castigent. Pueros et adolescentes negligentes verberum disciplinis corripiant. Singuli iuxta capacitatem suam diversarum artium disciplinis erudiantur, ut nullus in collegio canonico inutiliter appareat, nec vota fidelium otiosus comedat. Tales quippe esse, immo taliter conversari decet omnes, qui divinis officiis se manciparint. Quapropter studeant haec breviter collecta, sedula meditatione perlegere, et memoriae commendare, et adiuvante divina gratia iuxta vires implere, quo facilius et liberius maiora a sanctis patribus edita exequi valeant. Vocatione ergo qua vocati sunt nec ad dexteram nec ad sinistram declinantes ambulent, quatinus divinis iussionibus obtemperantes ad Christum, in cuius sorte esse noscuntur, qui via, veritas, et vita est, eo opitulante, pervenire mereantur.

DE ATTONIBUS

DIATRIBA I.

AUCTORE ERUDITO SAECULI XVIII VIRO.

EX CODICE VATICANO.

I. Cum multa sunt, quae facile inducere in errorem prudentes etiam et acutissimos viros potuere, tum maxime eiusdem nominis in pluribus hominibus iteratio. Huic malo, ut remedium aliquod afferretur, fuere qui disquisitiones, dissertationes, diatribas, vel simile aliquid scriberent de cognominibus viris. Quo in genere celebres sunt viri eruditissimi Ioannis Alberti Fabricii in bibliotheca praesertim graeca elenchi illi sui, et viri pariter docti Leonis Allatii de Simeonibus, de Psellis diatribae. Atque utinam alias, quas paraverat his similes, vel ad umbilicum ille perduxisset, vel perductas evulgasset (1)*: quod nunc a viro similis doctrinae, et eiusdem patriae avide expectamus* (2)*. Mihi Attonum diversorum capitularia vulganti constitutum est, etsi laudem illorum non possum, consilium tamen imitari, et de Attonibus pluribus, ut lux aliqua edendis monumentis accedat, diatribam scribere.*

II. Et primo quidem de nomine ipso dicendum est, quod varie multum afferri solet. Nam " Hatto, Haddo, Hetto, Hayto, Haydo, Haitho, Otto „ idem nomen est, ut adnotavit quem modo laudavi Ioannes Albertus Fabricius (3)*, et alibi* (4) *quoque adiunxit pronunciationes eiusdem nominis alias " Ahytho, Haito, Heito, Haido, Hatto, itemque* (5) *Adto, Atto. Papebrochius* (6) *de s. Attone Vallisumbrosae olim abbate loquens, admonet, antiquioribus scriptoribus dici " Attus, Actus, Actius, ex sui temporis, ait, latino usu; aliis vero ex vulgaris „ linguae italicae forma Atto, sive Attho. „ Vellem dixisset, vulgaris linguae formam id tulisse potius, ut Azzo diceretur: quod celebre sit Italis hoc nomen; ut vel in una Estensi familia Muratorius* (7) *IX. sic nuncupatos principes numeraverit, quorum non nemo dictus etiam Azzolinus. Et fortasse non aliud nomen est Aszo, quod legitur in veteri char-*

(1) *Leonis Allatii diatribae tres ineditae de Nicetis, de Philonibus, et de Theodoris, a me vulgabuntur ex codice mihi extra vaticanam bibliothecam cognito.* [*A. Maius.*]

(2) *Intelligit, puto, auctor N. Vernatium, graecum linguae patriae in bibliotheca vaticana scriptorem, ad quem multa Allatii scripta pervenerant.* [*A. Maius.*]

(3) *Biblioth. med. latin. V. Hatto.*

(4) *Ib. V. Ahytho.*

(5) *Ib. V. Adto.*

(6) *Ad d. 22. maii tom. V. pag. 194 edit. antuerp.*

(7) *Antichità estensi tom. I. II.*

ta apud Edmundum Marteuium. (1) *Esse vero idem nomen Attus, seu Atto, et Azzo, vel etiam Actis, Actius etc., monuit quem modo laudavi Muratorius ad chartam Azzonis episcopi pisani anni* 1017 (2); *qui* (3) *de marchione Alberto Estensi ait*; " *chiamato ancora con altro nome, o soprauome Azzo, Ato, Atto, Azo, Atho, Aczo, Acto*; „ *et postea* (4) *de bisavo comitissae Mathildis Adalberto seu Alberto*; " *era anco detto con secondo nome Attone, che è lo stesso che Azzone, e Azzo* „ *quamquam* (5) *contra Leibutium negat idem nomen fuisse Adelbertum et Azzonem* (6). *Nihilominus Cll. auctores annalium camaldulensium admonent* (7) *sequioribus aetatibus promiscua fuisse nomina Azonis et Arnaldi, ut Cononis et Conradi. Illud autem est verissimum, quod Papebrochius addebat, ex idiomatum diversitate atque ex unius idiomatis alia apud aliam gentem pronuntintione multiplex hoc nomen esse factum, idemque in aliis nominibus contigisse. Nam e. g. commutationem litterarum tt et dd, quam potes hic animadvertere, in aliis etiam nominibus videbis, atque observavit alibi* (8) *Muratorius. Addas ex Mabillonio* (9) *varietatem aliam Heido, et ex Francisco Zacharia in catalogo abbatum Vallisumbrosae Acto* (10). *Nescio vero an idem ac Hatto sit Hatta nomen monachi blandiniensis apud Gandavum, et abbatis Nobiliacensis, de quo Mabillonius* (11). *Idem est Hetti, de quo infra erit sermo.*

III. Utilis est haec nominis eiusdem in scribendo vel pronuntiando dissimilitudo ne ad diversos homines distinguendos hoc quasi indicio seu argumento utamur. Exempli causa auctor Germaniae sacrae Marcus Hansizius (12) *ut probet Attonem pataviensem episcopum alium esse ab Attone frisingensi* " *nam, inquit, frisingensis in tabulis frisingensibus non appellatur Hatto, sed Atto.* „ *Miror etiam virum eruditum, et in mss. codicibus tractandis versatissimum Lucam Dacherium* (13) *postquam de Ahytone* (*ut ipse vocat*) *basileensi, dixit, qui aliis Haito, Heito, Haido, nuncupatur, scribere paulo post in chronico sanotigallensi: Hatto corrupto nomine appellatur pro Haito vel Heito. Peraeque enim illa nomina a veteribus usurpantur. Caeterum facile erit in eodem Attone frisingensi errare non attendentibus aliter atque aliter hoc nomen efferri in unius Anastasii cod. Nam in vita Leonis III* " *et post aliquantos dies,* „ *ait, fidelibus missis qui cum eo venerunt in pontificale obsequium, vi-* „ *delicet Haldivaldo, et Arno reverendissimis archiepiscopis et Cuniberto* „ *Bernhardo, Hattone et Iesse reverendiss. et sanctiss. episcopis etc.* „ *Ita*

(1) *Tom. I. thesaur. anecd. pag.* 5.
(2) *Antiquit. med. aev. tom. III. col.* 1073.
(3) *AA. estens. sub init.*
(4) *Cap.* 21. *pag.* 197.
(5) *Dissert. XII. tom.* 3. *col.* 728.
(6) *V. eumdem annal. ad A.* 365.
(7) *Ad A.* 109.
(8) *Antiq. med. aev. tom.* 3. *col.* 1073.
(9) *Ib. dissert.* 33. *V.* addizione.
(10) *Anecd. med. aev. pag.* 176.
(11) *AA. Bened. ad A.* 672. *num.* 20. *et act. SS. saec. II. part.* 2. *pag.* 985. *et saec. III. part. I. pag.* 472.
(12) *Tom. I. pag.* 153.
(13) *In praef. tom. VI. spic.*

prima Anastasii editio Velseriana, nec non Fabrotiana (1), *Blanchiniana* (2), *Muratorii* (3); *at in editione Vignolii* (4) *Caniperto, Bernardo, Ottone, et Iesse; aliosque mss. codd. allegat, ubi Otto et Iesse. Magis etiam in eodem erratum a Cl. Cointio, qui Attonem hunc esse pataviensem episcopum censuit, qui eo anno* 799 *nondum erat episcopus; est vero Atto frisingensis, ut recte Pagius statuit* (5), *et Hansizius etc.* (6). *Non erit ergo sine ullo fructu Attones saltem celebriores recensere.*

IV. Praetereo martyres duos Attonem diaconum, de quo Bollandiani in actis sanctorum (7), *et Attonem martyrem alexandrinum, de quo pariter iidem Bollandiani* (8). *Primum in his occurrere videtur hoc nomen saeculo circiter IV. sed acta eorum incerta sunt. Profecto multo frequentius factum est consequentibus saeculis in saecularibus viris vel ecclesiasticis. Ex prioribus illis celebris maxime est Atto ille Attici ducis filius, qui monasterium condidit Attonis ab eo dictum, de quo Mabillonius* (9). *Attonem vicecomitem Odonis ducis tolosani narrat idem Mabillonius* (10). *Hoc recentior alius Atto vicecomes in veteri charta apud Martenium* (11): *item alius Atto apud eumdem* (12) *Bernardi vicecomitis biterrensis pater. Atto comes, qui bellavit apud Tarentum cum Saracenis anno* 991, *nominatur in chronico caveusi. Sed nihil hi ad propositum nostrum faciunt; et Attones viri laici nobiles tam multi sunt, ut in uno monumento plures quandoque occurrant. Itaque de ecclesiasticis dumtaxat viris agemus: quod ut facilius fieri possit, elenchum eorum, quos celebriores invenimus, hic adtexemus, quem quidem a saeculo VIII ordimur Nam ante Gothorum, et Longobardorum tempora difficile est reperire qui ita nominarentur. Itaque barbarae originis videri posset nomen Atto, praesertim cum prima syllaba in pluribus earum gentium nominibus aliis reperiatur: ti vero barbarorum lingua habitationem designare aiunt; sed ludere in voculis non placet.*

V. Anno 740. *Atto Abbas s. Vincentii ad Vulturnum successor Tatonis ex Mabillonio* (13). *Hunc a Stephano II. missum legatum ad Aistulphum, constat ex iisdem annalibus Mabillonii, aliisque.*

754. *Hatto strasburgensis episcopus nominatur in epistola Zachariae PP. in vita s. Bonifacii apud Mabillonium* (14); *ab aliis vocatur Heddo.*

760. *Ante annum* 761. *quo Rodulphus vercellensis episcopus concilio romano interfuit sub Paulo I. ponitur ab Ughello* (15) *Atto I. vercellensis*

(1) *Pag.* 125.
(2) *Tom. I. pag.* 281.
(3) *Tom. III. part. I. pag.* 199.
(4) *Num.* 20. *tom. II. pag.* 251.
(5) *Ad. A.* 799. *num.* 5.
(6) *Tom. I. germ. sacr. pag.* 152.
(7) *Ad d.* 27. *aprilis tom III. pag.* 488.
(8) *Ad d.* 10. *iul tom. III. pag.* 33.
(9) *AA. Bened. ad. A.* 667. *num.* 61.
(10) *Ib. ad. A.* 840. *num.* 26.
(11) *Tom. I. thesaur. anecd. pag.* 149.
(12) *Ib. pag.* 335.
(13) *In AA. Bened. ad A.* 740 *num.* 52.
(14) *Saec. IV. part.* 2. *pag.* 63.
(15) *In Epp. vercellens. tom. IV. ital. sacr. num.* 26.

episcopus ex Cortinello : de quo tamen nulla extare monumenta testatur cl. editor operum Attonis vercellensis. (Fictitium existimo hunc Attonem. Editor.)

769. *Atto abbas Bauzani, cui Tassilo Baioariae dux cum Roma rediret, magnum terrae tractum concessit " in aedificationem monasterii, atque ipsius servitium ,, ut Tassilo ipse loquitur in diplomate suo apud Mabillonium* (1), *qui an idem sit cum episcopo frisigensi sollicite disquirit* (2).

772. *Atto abbas concilio apud Dingalvingam interfuit ex monumentis vett. a Velsero collectis* (3).

784. *Atto episcopus ratisponensis ex annalibus ratisponensibus* (4).

787. *Atto diaconus. Adrianus PP. memorat inter missos Caroli Beneventum " Attonem religiosum diaconum ,, qui fugiens intus in ecclesiam Salerni, prae timore eiusdem ecclesiae altare tenuit* (5).

799. *Atto episcopus unus ex missis Caroli M. qui quaestionem habuerunt de aggressoribus Leonis III.* (6) *Fuit hic frisigensis episcopus, de quo Hansizius* (7), *sed omnium uberrime in historia frisigensi* (8) *Carolus Meichelbeck, eique successit Hitto. In carmine de epp. frisigensibus apud Mabillonium* (9) *Hatto hic quintus episcoporum frisigensium recensetur.*

810. *Hatto monachus de quo in indice abbatum fuldensium* (10) " *Ratgarius . . . Harbanum et Hattonem Turonis direxit ad Albinum magistrum, gratia liberales discendi artes.* ,,

811. *Atto episcopus basileensis legatione functus iussu Caroli M. ad Nicephorum imperatorem* (11). *Fuit episcopus Basileae, et abbas Augiae De eo nos postea.*

Hatto episcopus augustensis memoratur in chronico saxonico (12).

817. *Hatto pataviensis episcopus hoc anno moritur* (13). *Episcopatum acceperat A.* 806. (14)

818. *Atto episcopus cremonensis hoc anno suffectus dicitur Valfredo* (15). *Idem anno* 842 *nominatur in placito apud Muratorium* (16).

821. *Hetto trevirensis* (17) *interfuit concilio apud Theodonis villam : memoratur etiam in fragmento de episcopis trevirensibus* (18) *ubi voca-*

(1) *In annal. ad A.* 769 *num.* 1.
(2) *Ib. ad A.* 783 *n.* 41.
(3) *Ap. Baronium ad. A.* 722.
(4) *Ap. Mabillon. tom. IV. Anecd.*
(5) *Ex epist. C. Caroli* 90, *et* 91. *ol.* 92, *et* 88.
(6) *Ex Anastas. ap. Baron. ad h. A. numer.* 8.
(7) *In episc.*
(8) *Part.* 1. *Lalisb. in Arnon. pag.* 84.
(9) *Tom. IV. analect. pag.* 526.
(10) *Ap. Baronium.*
(11) *AA. Pithoeani, et Baronius ad A.* 812. *num.* 12. 14.
(12) *V. Mabillon.*
(13) *Hansizius Germ. sacr. tom. II pag.* 122.
(14) *Id. tom. I. pag.* 152.
(15) *Ap. Zachar. de epp. cremonens. pag.* 62.
(16) *Dissert.* 31. *tom. II. antiquit. med. aev. pag.* 977.
(17) *Collect. Hard. tom. IV. col.* 1237.
(18) *Mabill. saec. III. Ben. part.* 2. *pag.* 613.

tur Hetti. Extant eius epistolae ad Frotarium tullensen episcopum (1).

830. *Ato episcopus santonensis in diplomate apud Mabillonium* (2) *ubi illum Ludovicus Pius " parentem suum „ vocat.*

833. *Atto nannetensis episcopus in diplomate apud eumdem Mabillonium* (3) *subscripsit conventui Wormatiensi A.* 833. (4)

840. *Ante hunc aunum quo floruisse ponitur s. Adelgisius, novariensem ecclesiam rexit Atto* (5).

856. *Atto fuldensis abbas Bonosus dictus hoc anno decessit* (6). *Extat ad eum Lupi ferrariensis epistola LXXXVI.*

859. *Atto virdunensis iuterfuit concilio tullensi* (7); *et sequenti anno capitula pacis inter reges Francorum excussit, quae Atto laicus confirmavit* (8). *Anno* 862. *legatus Romam mittitur.* (9) *Hic est de quo mota quaestio " quod oblatione regulari in monasterio s. Germani Antisiodorensium extiterit, et contra regulas ecclesiasticas inde discedens ad ordiuem episcopalem pervenerit „ ut narrat synodus tullensis ad Saponarias hoc anno congregata. Ab anno* 859 *ad* 870 *sedit; eius epitaphium protulit Mabillonius* (10), *qui de eo fuse in annalibus* (11). *Inveutio corporis, et translatio narratur in vita B. Richardi abbatis* (12).

876. *Atto eporediensis episcopus.* (13)

877. *Azzio regiensis subscripsit concilio ravennatensi sic : " Azzio regiensis episcopus subscripsi „* (14). *Quare corrigendus Ughellus, qui Azium (ut vocat) Regii Lepidi episcopum Aaroni decessori suffectum dicit A.* 890. *In diplomate Berengarii regis apud eumdem Ughellum A.* 898 *vocatur " Azzo venerab. s. Regien. ecclesiae praesul; „ nominatur ab Adelardo, qui diu post ei successit, in placito apud Muratorium* (15) *A.* 944.

890. *Sunzoni archiepiscopo moguntino suffectus Hatto augiensis abbas, cuius ingenium describit Mabillonius* (16), *et mortem* (17) *de eodem ex Reginone Baronius* (18). *Triburiensi concilio subscriptus invenitur* (19), *et archiepiscopatus magdeburgensis in concilio ravennatensi instutioni* (20). *Habetur etiam eiusdem, et suffraganeorum epistola ad Ioannem IX.* (21)

903. *Azo diaconus s. Ravennatis ecclesiae, et abbas praepositus s. Vitalis.* (22)

(1) *Tom. VII. CC. Labbe col.* 1865.
(2) *Saec. IV. Ben. part.* 1. *p.* 431.
(3) *Ib. pag.* 578.
(4) *Tom. IV. coll. Hard. col.* 1373.
(5) *Ughell. in epp. novar. num.* 31.
(6) *Mabillon. ad h. A. num.* 5.
(7) *Collect. Hard. tom. V. col.* 490.
(8) *Baron. ad A.* 860. *num.* 14.
(9) *Id. ib. num.* 23.
(10) *Analect. tom. II.*
(11) *Ad h. A. num.* 567.
(12) *Saec. IV. Ben. pag.* 522. 541.
(13) *Collect. Hard. tom.* 6. *col.* 159.
(14) *Id. ib. tom.* 4. *col.* 192.
(15) *AA. med. aev. diss.* 62. *col.* 205. *tom. V.*
(16) *AA. Benrd. ad. A.* 890. *num.* 57.
(17) *Ib. ad A.* 912. *num.* 71.
(18) *Ad A.* 891. *num.* 8.
(19) *Collect. Hard. tom V. col* 456.
(20) *Ib. col.* 654.
(21) *Ib. col.* 481.
(22) *In diplom. apud Murator. tom. III. col.* 143.

912. *Ahyto archiepiscopus mediolanensis in veteri charta apud Muratorium* (1).

927. *Cluniacensis monasterii fundationi a Willelmo comite factae subscriptus invenitur " Atto peccator ep. „ quin sedes exprimatur* (2).

933. *Azzo episcopus cumanus seu comensis, apud quem Ratherius exul detentus, narrante Mabillonio* (3).

* 935. *ATTO vercellensis nominatur in placito apud Muratorium hoc anno* (4). *et in placito alio anni* 942 (5). *Item in alio anni* 948 (6). *De eo Ughellus* (7). *Vide Burontium editorem eius operum A.* 1768, *et nos postea.* (*Hic est sine dubio Atto senior, cuius ego testamentum in hoc volumine protuli. Editor.*)

943. *Azzo S. R. E. scriniarius in diplomate apud Mabillonium* (8).

964. *Atto ausonensis episcopus de quo Mabillonius* (9).

967. *Atto Senogalliensis episcopus interfuit concilio romano* (10).

Azzo abbas montis aventini Romae (11).

968. *Atto abbas fuldensis ab Ottone Romam A.* 962 *praemissus* (12), *eius diplomati pro ecclesia romana subscripsit* (13); *postea archiepiscopus moguntinus subscribit concilio ravennatensi, et loca quaedam ditionis suae magdeburgensi subiicit: " Ego Hatto s. moguntinae ecclesiae archiepiscopus manu propria confirmavi, et subscripsi* (14). „ *Fuerat abbas fuldensis factus A.* 956 (15), *et A.* 968. *archiepiscopus moguntinus; altero anno extinctus " parum secunda fama, ait Mabillonius* (16), *ex commentis recentiorum, qui eius clarissimo nomini perperam illuserunt.* „

970. *Atto tudertinus episcopus apud Ughellum* (17), *qui hoc anno Ottonis imperatoris legato constantissime restitit, ne corpus s. Fortunati episcopi deportaret in Gallias.*

972. *Atto abbas s. Basoli* (18) *subscribit decreto Adalberonis archiepiscopi remensis.*

Atto reclusus, cuius mentio in vita s. Udalrici, cui moriens vestium partem donavit (19).

976. *Atto episcopus brixiensis* (20)

989. *Atto abbas coenobii ticinensis in caelo aureo, cuius mentio in placito apud Muratorium* (21)

(1) *Dissert.* 72. *A.A. med. aev. tom. VI. pag.* 193.
(2) *Ap. Mabillon. saec. V. Bened. pag.* 80.
(3) *AA. ad h. A. num.* 40.
(4) *Diss.* 31. *tom. II. antiquit. med. aev. pag.* 435.
(5) *Ib. pag. pag.* 942.
(6) *Diss.* 66. *tom. V. pag.* 559.
(7) *In epp. vercellens. num* 44.
(8) *AA. Bened. ad h. A. num.* 56.
(9) *Ib ad h. A. num.* 86.
(10) *Mansius tom. I. supplem. col.* 1155.
(11) *Cl. P. Gallett. Gab. pag.* 49.
(12) *Baronius ad A.* 961. *num.* 1.
(13) *Collect. Hard. tom. VI. part.* 1. *col* 626.
(14) *Mansius tom. I. supplem. col.* 1157.
(15) *Mabillon. ad h. A. num.* 97.
(16) *Ad A.* 968.
(17) *In epp. tudert. num.* 19.
(18) *Collect. Hard. tom. VI. col.* 690.
(19) *Mabillon. in AA. Bened. ad h. A. num.* 81.
(20) *Ughellus ex Fayno.*
(21) *AA. med. aev. tom. VI. pag.* 349.

996. *Azzo episcopus ostiensis S. R. E. card. nominatur inter eos qui subscripsere Gregorii V. diplomati dato Romae VI. kal. iun. pontif. A. I. monachis coenobii Amiatini contra Arialdum, seu Esvaldum, episcopum clusinum.*

Atto episcopus senogalliensis ex veteri charta apud Muratorium (1).

1000. *Azolinus laudunensis episcopus, ad quem extat epistola Silvestri II* (2): *aliis autem Ascelinus.*

* 1004. (*ATTO iunior vercellensis episcopus hoc anno sermonem habebat ad suam plebem, quem ego edidi in hoc volumine p.* 15. *Editor.*)

1010. *Atto abbas s. Victoris de Clusis O. camaldulensis in veteri charta* (3).

1012. *Azo coëpiscopus arretinus* (4).

1014. *Atto primus bobiensis episcopus* (5), *cuius mentio habetur in privilegio Conradi imperatoris bobiensi ecclesiae.*

1015. *Azzo Civitatis novae episcopus synodo aquileiensi interfuit* (6).

1017. *Azzo episcopus pisanus ex charta apud Muratorium* (7), *memoratur etiam in diplomate A.* 1188 *Clementis III* (8).

1026 *Acto II. abbas s. Victoris de Clusis* (9).

1028. *Atho seu Azo monachus Vallisumbrosae sanctitate insignis* (10).

1032. *Azo monachus alter, de quo Petrus Damiani* (11).

1037. *Acto episcopus florentinus, cuius extant apud Ughellum* (12) *diplomata plura vel pro canonicis suis, qui communiter vivebant, vel pro monasterio s. Miniati; hoc anno subscribit concilio romano* (13).

Atto episcopus centumcellensis interfuit eidem concilio romano (14).

1039. *Azzo abbas farfensis* (15).

1049. *Actius episcopus firmanus, cuius permutationem bonorum hoc anno factam cum Adelberto Arduino refert Ughellus. Hic videtur esse Azzo, cuius mentio in veteri charta apud AA. annalium camaldulensium* (16).

1050. *Atto episcopus camerinensis.*

Atto episcopus marsicanus.

Atto episcopus fulinensis (al. fulginensis) una cum Attone centumcellensi subscribunt concilio romano sub Leone IX. (17).

1056. *Actus vel Acto ad quem scribit Nicolaus II.* (18) " *Nicolaus epi-*

(1) *In. AA. estens.*

(2) *Collect. Hard. tom. VI. col* 759.

(3) *Apud annal. camald. pag.* 196. *V. ibid. pag.* 225.

(4) *Vid. annal. camald. ad h. A. p.* 344.

(5) *Ughellus tom. IV.*

(6) *Mansius supplem. tom. I. col.* 1232.

(7) *AA. med. aev. tom III. col.* 1073.

(8) *Vid. AA. camald. ad A.* 1002. *num.* 1. *et in app. tom. IV. n.* 97.

(9) *Ex vet. charta in app. AA. camald. tom. I. pag.* 277.

(10) *Tom. II. AA. camald. ad h. A.*

(11) *Vit. s. Romuald. cap.* 72.

(12) *In epp. florentinis num.* 23.

(13) *Collect. Hard. tom. VI. col.* 916.

(14) *Ib.*

(15) *Gallett. Gab. pag.* 141.

(16) *App. Tom. IV. num* 84.

(17) *Mans. supplem. tom. I. col.* 1293. *et Mabillon. saec. V. Bened. p.* 895.

(18) *Ap. Ughell. in epp. teatin. num.* 13.

scopus servus servorum Dei dilecto confratri Actoni sanctae teaten. ecclesiae episcopo „ Extat huius narratio " de passione imaginis Christi domini facta in civitate aternensi A. 1062 „. *Eam Ughellus edidit* (1). *De hoc episcopo cl. quoque Mazzucchellus.*

1058. *Azo episcopus arretinus ecclesiam Camaldulensium consecravit* (2).

1059. *Conventui mediolanensi subscribunt*
Atto presbyter.
Atto diaconus.
Atto subdiaconus (3).
Concilio romano sub Nicolao II subscribunt.
Atto episcopus novariensis.
Atto episcopus fulinensis (4).

Invenitur etiam nomen Attonis episcopi reatinus. Verum cum ibidem subscriptus inveniatur " Girardus episcopus reatinus „ dubius est Atto iste Ughello (5). *Dubitationem etiam maiorem iniicit antiquus vaticanus codex, ubi qui huic synodo interfuit appellatur Secundus episcopus reatinus; cuius Secundi mentio extat in donatione quadam ecclesiae reatinae facta. Atto episcopus reatinus cum Attone novariensi subscriptus invenitur concilio romano sub Gregorio VII. A.* 1081. *Suspicor ergo concilia ista duo romana confusa, et subscriptiones ab uno ad aliud translatas.*

1061. *Atto bergomensis episcopus hoc anno electus archiepiscopus mediolanensis* (6).

1063. *Azo presbyter et monachus atque abbas monasterii s. Reparatae camaldulensis O.* (7).

1067. *Atto sive Pauzo adriensis episcopus, mediolanensis, qui cathedrale templum absolvit, e vivis exemptus A.* 1078 (8).

1070. *Atto diaconus interfuit synodo volaterranae* (9).

1071. *Atto archiepiscopus mediolanensis, qui in summa eius ecclesiae perturbatione, quum Guidone archiepiscopo mortuo ab Henrico imperatore intrusus esset, Gothofredus studio Erlambandi ecclesiae defensoris canonice electus est, eiusque electio a romano pontifice probata. Quia tamen numquam episcopalem ordinationem accepit, locum non invenit in catalogo archiepiscoporum mediolanensium apud Papebrochium* (10).

1075. *Atto episcopus lucerinus interfuit concilio beneventano, eique subscribsit " ego Azzo lucerinus episcopus „* (11).

(1) *Ughell. loc. cit.*

(2) *Breve record. in app. tom. II. AA. camaldul. num.* 89. *v. AA. ad h. A.*

(3) *Mans. supplem. tom. I. col.* 1328.

(4) *Collect. Hard. tom. VI. col.* 1067.

(5) *In epp. reat. num.* 16.

(6) *Ughellus tom. IV. in epp. bergomens.*

(7) *Ita subscribit diplomati. App. tom. III. AA. camald. num* 105.

(8) *Ughellus in epp. adriens.*

(9) *Mans. supplem. tom. I. col* 1374.

(10) *In exegesi de epp. mediolanens. tom. VII. actor. mai.*

(11) *Collect. Hard. tom. VI. col.* 1554.

1078. *Atto cardinalis mediolanensis apud Martenium* (1).

1079. *Azo monachus in monumentis cl. P. abbatis Galletti* (2).

* 1081. *ATTO cardinalis ab Alexandro II. creatus, de quo Ciacconius* (3). (*Hic est cuius ego nunc capitulare seu canonum breviarium in lucem extuli. Editor.*)

Atto episcopus novariensis, *et*

Atto episcopus reatinus concilio romano interfuerunt (4).

1088. *Azo abbas s. Florae de Arretio* (5).

1090. *Azo archipresbyter florentinus* (6).

1092. *Azzo ex subdiacono S. R. E. diac. cardinalis sub Urbano II.* (7).

1102. *Atto de monte Burranzonis testis donationis a Mathilda factae E. R.* (8).

1103. *Azzo aquensis* (9) *interfuit concilio romano* (10). *Invenitur etiam in placito A.* 1125 *apud Muratorium* (11).

1115. *Atto arelatensis epistolam scripsit hoc anno, quam refert Martenius* (12).

1116. *Azo archiepiscopus turritanus* (13).

1117. *B. Azo monachus camaldulensis* (14).

1119. *Atto archipresbyter s. Mariae in via lata subscribit electioni Callisti II " Ego Atto archipresbyter in via lata s. Mariae cum omnibus clericis eiusdem ecclesiae laudo et confirmo* (15). ,,

1119. *Atto vivariensis interfuit concilio remensi* (16).

1120. *Atto arelatensis episcopus interfuit concilio tolosano* (17), *ex quo Callistus II. epistulam dedit Pontio anianensi abbati adversus illum et monachos Casae Dei. Subscribit concilio viennensi A.* 1124 (18) " *ego Atho arelatensis archiepiscopus laudo et subscribo* ,,. *Eiusdem epistolam ad G. Ademarium profert Martenius* (19).

1120. *Atto archidiaconus placentinus eligitur archiepiscopus pisanus*, *decessitque A.* 1122 (20).

(1) *Tom. IV. thes. anecd. col.* 103.

(2) *Vesterar. pag.* 20. *et Gab. pag.* 24. *A.* 1077.

(3) *Tom. I. col.* 841.

(4) *Ap. Marten. loc. cit.*

(5) *In vet. charta tom. III. AA. camald. pag.* 44.

(6) *In vet. charta ib. num.* 68. *pag.* 99.

(7) *Ciaccon.*

(8) *Baronius ad h. A. num.* 21.

(9) *Collect. Hard. tom. VI. part.* 2. *col.* 1872.

(10) *Ex Landulpho in chron.*

(11) *Tom. V. AA. diss. LXX. col.* 1027.

(12) *Ampliss. collect. tom. I. col.* 634.

(13) *In vet. diplomate ap. AA. camald. ad h. A. num.* 21.

(14) *Brocchi descriz. del Mugel. pag.* 67. *et AA. camald. ad h. A.*

(15) *Mans. supplem. tom. II. col.* 347.

(16) *In collect. Hard. tom. VI. part.* 2. *sub init. col.* 1980.

(17) *Mans. supplem. tom. II. col.* 342.

(18) *Marten. thesaur. tom. IV. col.* 130.

(19) *Ampliss. collect. tom. I. col.* 634.

(20) *Ex chronico apud Murator. tom. VI. scriptor. col.* 110.

1123. *Azolinus augustensis subscribit concilio, in quo Henricus imp. investituras restituit* (1).

1125. *Atto episcopus pistoriensis, antea abbas Vallisumbrosae, celebris est scriptor vitae s. Io. Gualberti, quam Mabillonius edidit* (2), *et Bollandiani* (3). *Celebrior etiam vitae sanctitate: quare fuse de eo in actis SS. Papebrochius* (4). *In serie abbatum Vallisumbrosae apud Zachariam* (5) *octavus recensetur. Ughellus episcopum pistoriensem vigesimum facit* (6), *et Innocentii II ad eum diploma refert.*

1128. *Azzo camaldulensis abbas ss. Iusti et Clementis Volaterrarum* (7).

1129. *Atto trecensis* (8) *interfuit concilio parisiensi. Memoratur in bulla Innocenti II A.* 1142 (9).

1130. *Actus, seu Azzo, placentinus praepositus ecclesiae collegialis s. Antonini Placentiae, renunciatus ab Innocentio II. cardinalis s. Anastasiae* (10) *mense decembri A.* 1130 *vel* 1133. *Reperitur subscriptus in diplomate anni* 1137 *Innocentii II.* (11).

1133. *Azzo presbyter cardinalis s. Anastasiae sub Innocentio II* (12).

1139. *Azo tyrensis archiepiscopus* (13).

Azo prior camaldulensis (14).

1143. *Actius, seu Atus, aliis s. Atto secundus florentinus episcopus, cuius extat* (15) *epistola Oprando abbati s. Salvii in eius monasterii et monachorum gratiam, quorum expertum se esse caritatem dicit in necessitate sua, qua gravabatur pro expensis " quas pro ecclesiastico officio recuperando Romam saepe eundo, et redeundo fecerat. " Ex quo colligunt censuris ipsum fuisse irretitum, quibus ut se exueret, Romam petere coactus est.*

1149. *Azo camaldulensis abbas s. Mariae Florentiae* (16).

1174. *Atto abbas s. Salvatoris de Sexto nominatur in sententia pisanorum iudicum in controversia inter ipsum et Ubaldum archiepiscopum pisanum* (17).

1174. *Atto archipresbyter s. Flaviani episcopus aprutinae ecclesiae seu Terami, qui s. Bernardi corpus in decentiorem locum transtulit* (18).

1193. *Atto eiusdem ecclesiae episcopus post Guidonem successorem Attonis, cuius mentio in privilegio Henrici VI imperatoris asculanae ec-*

(1) *Collect. Hard. tom. VI. part. 2. pag.* 1115.
(2) *Saec. VI. part. 2. pag.* 266.
(3) *Ad d.* 12. *iul. tom. III. pag.* 365.
(4) *Ad d.* 22 *maii tom. V. p.* 194.
(5) *Anecd. med. aev. pag.* 176.
(6) *Ughellus in epp. pistoriens. tom. III. pag.* 294.
(7) *In vet. charta app. tom. III. AA. camald. num.* 218.
(8) *Collect. Hard. tom. VI. part. 2. pag.* 1148.
(9) *Marten. tom. III. thes. col.* 1229.
(10) *Ciaccon.*
(11) *Append. AA. camald. num* 236.
(12) *Ciaccon.*
(13) *In diplomat. tom. III. AA. camald. App. num.* 247.
(14) *Ibid.*
(15) *Ap. Ughellum in epp. florentinis num.* 29.
(16) *AA. camald. ad h. A. num.* 42.
(17) *Excerpt. arch. pisan. ap. Murat. tom. III. AA. col.* 1173.
(18) *Ughellus in epp. aprutinis.*

clesiae concesso. Memoratur quoque in donatione eiusdem Henrici Berardo archidiacono asculano mox messanensi archiepiscopo (1).

1197. *Atto episcopus camerinensis* (2).

Ultra hoc saeculum XII non progredimur; quod nimirum ultra non assurgant hoc nomine ecclesiastici viri, quos scripsisse capitularia comperimus, et quorum causa dumtaxat alios recensere aggressi sumus. Caeterum ita usitatum praesertim saeculo XII coepit esse hoc nomen, ut in cognomen familiae nobilis pisanae transierit, cuius capita dicebantur de domo Azzonis, de quibus extant vetera monumenta (3). *Nunc ergo de Attonibus dicemus, qui ad propositum nostrum maxime conducunt, et fuerunt capitularium auctores.*

VI. Incipimus ab Haytone basileensi; cuius plura opera feruntur sed maxime capitulare quod Lucas Dacherius " nobilissimum eius foetum " vocat (4), *ediditque primus. Cum enim indicium operis huius ei fecisset Emericus Bigotius Roma reversus Parisios, Dacherius a Iohanne Bona (postea S. R. E. cardinale tunc Fuliensium abbate generali) postulavit impetravitque descriptum ex cod. barberino. Addidit* (5) *cum illud ederet Dacherius extare etiam in codd. vaticanis* 1146. 1147. 1148. *Extat et in cod. nostro holsteniano eodem titulo quem representavit Dacherius. Hinc translatum est in collectionibus conciliorum labbeana* (6), *Harduini* (7) *etc. Labbeus testatur ultra A.* 822. *differri hoc posse. Ad. A.* 816. *retulit illud Mabillonius* (8), *speciminis etiam loco recitans capitula nonnulla. Obiit enim A.* 836. *At ex Hermanno Contracto Augiae monacho idem* (9) *et ante annos XIII ad Augiae monasterium redierat, Erlebaldo discipulo antea suo monasterii cura commissa; anno scilicet* 822. *aut* 823. *Bene ergo illud a Labbeo constitutum est: nam quo praecise anno dederit, pro certo constitui non potest. Fuisse iam episcopum A.* 811. *cum missus est in orientem, constare videtur: nam episcopus nominatur. Hinc AA. incerti a Pithoeo editi* (10): " *DCCCXI.*
" *Imperator legatos suos Constantinopolim misit Haydonem basileensem*
" *episcopum, et Bug comitem turonicum, et Aio longobardum de Aqui-*
" *leia ad confirmandam cum Nicephoro pacem* ". *De hac legatione laudatus Mabillonius* (11) *ostendens prosperum eius exitum, contra quam scripserat saugallensis monachus, qui tamen Hattonem vocat praecellentissimum mente et corpore virum. Haec est legatio cuius Hatto hodoeporicum scripsit; qui nondum lucem vidit: de quo alioque opere ano-*

(1) *Apud Ughellum.*

(2) *Ughellus in epp. camerinens. l. AA. camald. ad A.* 1059. *tom. II. pag.* 215. *et ad h. A. tom. IV. pag.* 16.

(3) *V. AA. camald. ad A.* 1180.

(4) *In prefat. tom. VI. spicil.*

(5) *Praefat.*

(6) *Tom. VII. col.* 1521.

(7) *Tom. IV. col.* 1241.

(8) *Ad h. A. num.* 42.

(9) *Ad h. A. num.* 55.

(10) *Inter scriptor. XII.*

(11) *Ad A.* 811. *num.* 87.

nymus mellicensis a Pezio editus (1). " *Hetto venerabilis augiensis coe-
„ nobii presbyter temporibus Ludgwici mirabilem visionem cuiusdam
„ augiensis monachi nomine Wettini , quam eductus e corpore vidit ,
„ qui et reductus post triduum obiit , prosa describit. Idem postmo-
„ dum Basileae episcopus factus cum Bugone , et Aione comitibus Cos-
„ tantinopolim missus , suum describit hodoeporicum* „ . *De hoc pa-
riter opere Hermannus ad A.* 824. " *Augiae Wettinus monachus e cor-
„ pore ductus et reductus post triduum obiit , cuius visiones Heito epis-
„ copus prosa , et Walachfridus heroico metro scripsit* „ . *Wettini vi-
sum ab Hettone nostro descriptum editum est cum visionibus S. Me-
thildis , Hildegardis etc. Parisiis* 1513. *typis Henrici Stephani , et cum
Walafridi Strabonis eiusdem descriptione hexametro versu a Mabillo-
nio* (2) *cum Balutii epistola. Sed maxime legendum eiusdem Mabillo-
nii de ea et similibus rebus iudicium in AA.* (3) *Obiit Hetto basileen-
sis A.* 836. *quemadmodum laudatus Mabillo statuit* (4) , *et Pagius* (5) *ex
AA. wingartensibus , augiensibus , et S. Galli. Floruit Hetto magna
apud Carolum M. gratia : quare inter episcopos , quos Caroli testamento
subscripsisse legimus , invenitur Hetto episcopus basileensis , idemque
augiensis abbas. Hanc gratiam virtutibus sibi suis collegit. Quinquennis
venerat ad coenobium insulanense , seu augiense* (*utroque enim nomi-
ne vocatur*) ; *in quo ex Walafrido* (6) *sub abbatibus praesertim Ioanne ,
Petro , et Waldone , velut aurea stella , fulgebat. Cum eius fama ad
Caroli aures pervenisset , ab eo in palatium vocatus est , et invitus ad
basileensem episcopatum promotus : eo postea relicto , ad monasterium
suum rediit , ut diximus. Laudatur in vita S. Meuginradi eremitae* (7) ;
" *Fuit autem tunc temporis in ipsa Insula abbas nomine Hatto ,
„ vir valde in doctrina , et operibus bonis , morumque nobilitate ful-
„ gens , qui et basileensis ecclesiae praesul extitit , quo actuosae vitae
„ negotia respuente , atque ad contemplativae vitae pulchritudinem se
„ transferente etc.* „ *Veterum de eo scriptorum loca retulit Dacherius* (8) ,
*et crebra eius mentio in Benedictinorum AA. Addo nihil aliud videri ,
quam huius capitulare quod in catalogo* MSS. *Augiae divitis apud Legi-
pontium* (9) *inscribitur Hattonis nomine* " *ordinationes pro presbyteris
suae dioeceseos.* „

*VII. Alterius Attonis capitulare codice holsteniano nostro contine-
tur , nimirum vercellensis* (10) , *quod capitula habet centum hoc titulo :
" incipiunt capitula canonum excerptorum de diversis conciliis , decre-*

(1) *Ad calc. biblioth.*
(2) *Saec. IV. Bened. part.* 1. *pag.* 263.
(3) *Ad A.* 824. *num.* 67.
(4) *Ad h. A. num.* 55.
(5) *Ad h. A. num.* 14.
(6) *In carm. de vis. Wett.*
(7) *Ap. Mabill. saec. IV. Ben. part.* 2. *pag.* 65.
(8) *In praefat.*
(9) *Histor-litter. O.S. Ben. part.* 1. *pag.* 576.
(10) *De Attone vercellensi eiusque operibus Natalis Alex. in S. IX. et X. cap.* 3. *art.* 36.

„ talibus , statutis atque epistolis congruentium ad forense iudicium , „ collecta tempore domini Attonis episcopi „ . Edidit haec capitula Dacherius (1) *titulo alio , nimirum " Attonis II. vercellensis episcopi capitulare „ ; quae ex vaticano cod. sibi misit Io. Bona , ut in praefatione narrat Dacherius scripta A.* 1664. *Cum vero male mulcatus vitio temporis fuisset vaticanus codex , obtinere non potuit exemplum codicis vercellensis , ut emendaret. Sed vercellensem expressit nuper cl. vir Carolus Burontius del Signore editis Attonis operibus et capitulari hoc eodem illo dacheriano titulo A.* 1768. *Capitula uti sunt in codice nostro , ita etiam in memorata editione* (2) , *et apud Dacherium. Sed mirum est priora capitula duo " 1. Admonitio pontificis ad presbyteros , „ qualiter erga subditos agant. Obsecro vos , fratres dilectissimi , ut erga subiectarum plebium profectum et emendationem vigilantissima „ cura laboretis etc. 2. Retractio eiusdem , et de ordinis discretione , „ bonaeque vitae exhortatione. Veraciter nosse debetis etc. „ edita a Baronio* (3) *nomine Theodulphi aurelianensis , cum aliis Theodulphi capitulis , quae ab Attonis capitulis prorsus discrepant. Ex Baronio eadem vulgavit cum Hincmari epistolis Io. Busaeus* (4) , *illata deinde in collectiones conciliorum Labbei* (5) , *Harduini* (6) *etc. quod confirmat virorum eruditorum opinionem , quae ad usum ecclesiarum erant , ex diversis scriptoribus selecta , omniaque unius insignioris auctoris nomine data. Cum vero Dacherius eiusdem Attonis opera alia vulgasset , libellum scilicet de pressuris ecclesiasticis et epistolas cum frequentioribus lacunis ob codicis vaticani vitium ; eadem integriora vercellensis editor repraesentavit , et praeterea commentarium , quem Attoni huic tribuit in omnes Pauli epistolas. Verum nec , ut ipse narrat , posteriores partes duas tractatus de pressuris ecclesiasticis integras , quibus ea supplerentur quae desunt apud Dacherium reperire potuit , nec aliud Attonis opus quod polypticum , et perpendiculum* (7) *appellavit quo noxia redarguere , et honesta sancire decet. Cl. Mazzucchellus* (8) *adnotat a Piccinello* (9) *aliud opus Attoni tribui adversus libidinosos , helluones , et aleatores , sed simul animadvertit simile opus adscribere Rossottum Attoni Avogadro , vercellensi pariter episcopo.*

VIII. Atto II. in Dacherii titulo hic vocatur quod alius praecesserit in eadem vercellensi ecclesia episcopus ex Ughello , quod pariter sensit Rossottus (10); *" at unius tantum memoria , scribit Vercellensis editor ,* (11) *" apud nos extat Attonis scriptis factisque celeberrimi ; al-*

(1) *Tom. VII. spicil. init.*
(2) *Tom. II. pag.* 267.
(3) *Ad A.* 835. *num.* 5.
(4) *Moguntiae A.* 1602. *in* 4.
(5) *Tom. VII. col.* 1137.
(6) *Tom. IV. col.* 913.
(7) *Perpendiculi secundam editionem vulgavit Mannus , primam ego , ut suo loco dixi. Editor.*
(8) *Tom. I. pag.* 1221.
(9) *In Athen.*
(10) *In syllab. script.*
(11) *In praefat.*

„ *terius autem cuiusvis, qui hunc vel proecesserit annis vel subsecutus „ sit, nihil in monumentis habemus. „ Caetera Attonis huius obscura sunt, quemadmodum idem vir eruditus probot: qui tamen suspicatur a Longobardio Vercellos venisse: otque indubitatum esse asseverat ad episcopatum pervenisse A. 924. et* (1) *Ragemberto successisse. Itoque o vero aberrovit Dacherius Ughellum sequutus, et annum episcopolis cathedrae nssignans 945. Hoc manifeste refutatur ex placito Papioe hobito ab Hugone rege apud Muratorium* (2), *ubi una cum Ratherio epoderiensi episcopo interfuit Atto episcopus A. 935. Eius virtutes, et quanto calamitosissimis temporibus plebi suae subsidio fuerit demonstrot del Signore, edito diplomate quo ad subveniendum egentibus praedia possessionesque suas liberalissime cessit: cui diplomati doto A. 945. ipse subscribit sic " Atto gratia Dei episcopus a me facto subscripsi „. Donatus vero ipse quoque est, idest eius ecclesia, alveis fluminum cum insulis, ripis etc. a regibus Hugone et Lothario, ex alio diplomate ab eodem auctore recitato. Adhuc in vivis fuisse Attonem A. 948. colligitur ex diplomate apud Muratorium* (3) *eo anno dato, cui ipse subscriptus invenitur. Quo anno obierit, non constat. Hoc solum scimus A. 964. Ingonem eius successorem episcopum fuisse. Addo extare ad Attonem epistolam Ambrosii presbyteri mediolanensis (qui ex cl. Saxio* (4) *floruit circa A. 830.) editam in spicilegio Dacherii, cum hunc Atto consuluisset de coniugio eorum, qui ob baptismum cognationem spiritualem contraxerant: consulverat etinm eumdem Atto de canonibus quibusdom PP. orientalium. Capitularia Attonis utriusque, de quo hactenus dixi, basileensis et vercellensis, iampridem in lucem prolata fuerant, et cum minima sint eo, in quibus codex noster ab editis differt, non existimavi facturum operae pretium si iterum edidissem.*

IX. Tertius est Atto, cuius capitulare nondum vulgotum habet holsteniauus codex hoc titulo: " Attonis cardinolis presbyteri capitulare. „ Quis hic Atto fuerit non pronum est dicere, cum nihil aliud quam quod hoc titulo habetur eum nobis patefociat. Quinque sunt hoc nomine (nam, ut diximus, Atta, Hatto, Azzo, idem valent) qui recensentur cardinales ab iis, qui eorum res gestas seu nomina collegere (non enim ad cardinales S. R. E., de quibus nunc loquimur pertinet " Azo canonicus et cardinalis „ qui A. 1023. memoratur in monumentis, quae cl. P. abb. Galletti de Gabio Latinorum oppido collegit (5); *fuere enim, qui canonici ecclesiarum quarumdom cum essent " canonici cardinales „ dicerentur; quorum septem ecclesiae bisuntinae indulsit A. 1051. Leo IX.* (6) *" qui cum dalmatica,*

(1) *De duobus Attonibus Vercellarum episcopis recte distinguendis videsis quae ego dixi ad illorum scripta, et in praefatione. Editor.*

(2) *Ad. med. aev. diss. 31.*

(3) *Ad. med. aev. diss. 66.*

(4) *Tom. I. bibl. med. col. 44.*

(5) *Pag. 97.*

(6) *In constit. ap. Chifflet.*

„ mitra, sandalis, chirothecis ad altare illud ordinati missas ibi facerent, quorum unus loci illius decanus anulo etiam ad missarum sollemnia uteretur. „ Hinc scriptor historiae fundationis archiepiscopatus magdeburgensis editus a Meibomio narrat ius hoc attributum eius ecclesiae archiepiscopo " ut inter cardinales episcopos romanae sedis consortium „ haberet; praeterea XII. presbyteros, VII. diaconos, XXVI. subdiaconos cardinales ad morem S. R. E. ordinare posset: qui ad principale „ altare ministrantes quotidie, excepto ieiunio, dalmaticis, festis vero „ sandalis uterentur. „) Ex veris propriisque romanae ecclesiae cardinalibus, qui huc pertinent, primus est Azzo, qui sub Gregorio V. vixit, et anno huius pontificis primo, idest vulg. aer. 996, subscripsit pontificis illius diplomati Romae dato VI. kal iun. pro monachis coenobii amiatini contra Arialdum, seu Esualdum episcopum clusinum (1): quod diploma legitur apud Ughellum (2): " Azo episcopus s. ostiensis ecclesiae. „ Cll. auctores annalium camaldulensium (3) adnotant Azonem hunc in epp. ostiensibus praeteritum ab Ughello esse, nec praeteriri debuisse. Ipsi vero diploma producunt (4) Benedicti VIII. pro abbatia burgensi " datum per manus Azzonis episcopi s. ostiensis ecclesiae, et bibliothe„ carii s. apostolicae sedis A. 1013. „

Alter est Atto, cuius titulum ignoravit Ciacconius (5) (et Panvinius (6)) sed ad Alexandro II. creatum dixit, perhibetque acerrimum fuisse vindicem adversus schismaticos Gregorii VII; dubitatque an praenestinus episcopus fuerit. Hunc et Palatius memoravit (7).

Tertius est Azzo ex subdiacono S. R. E. diaconus cardinalis ab Urbano II. creatus, quem Ciacconius ait (8) diplomatibus pro monasterio cassinate, et ecclesia salernitana subscripsisse. Ex Palatio (9) interfuit C. vastallensi celebrato a Paschali II.

Quartus est Actus seu Azzo placentinus praepositus ecclesiae collegialis s. Antonini Placentiae ad Innocentio II. renuntiatus cardinalis s. Anastasiae mense decembri A. 1130. vel 1133. Consecrata ecclesia cathedrali ferrariensi s. Gregorii, obiit sub eodem Innocentio: atque hic de eius decessu ad canonicos s. Antonini Placentiae scribit (10): " de morte qui„ dem carissimi filii nostri Azonis presbyteri cardinalis praepositi ves„ tri tanto amplius condolemus, quanto magis personam eius amaba„ mus, atque in eius obitu maiora sanctae romanae ecclesiae et nobis „ obsequia sunt subtracta. „

(1) *Ciaccon. tom. I pag.* 750.
(2) *In epp. clusin. tom. III. col.* 618.
(3) *Ad A.* 106. *num.* 8.
(4) *App. tom. I. num.* 92.
(5) *T. I. pag.* 841.
(6) *Pag.* 68.
(7) *Tom. I. fast. card. col.* 81.
(8) *Tom. I. pag.* 895.
(9) *Tom. I. pag.* 119.
(10) *Ciaccon. tom. I. pag.* 986. *et AA. camald. tom III. ad A.* 1136.

Quintus est Azo presbyter card. s. Anastasiae; quem tudertinum ex familia de Actis (infirmo ex nomine argumento capto) facit Iacobillus (1). *Hic Innocentii II. diplomati A.* 1135. *XIII. kal. iul. dato Petro praeposito bergomensi subscriptus invenitur apud Ughellum* (2) " *Ego Azo presbyter card. tit. s. Anastasiae.* „

X. Videamus nunc utrum ex his aliquis sit Atto capitularis nostri auctor. Planum est, neminem ex tribus postremis esse posse: nam quem ultimo loco nominavi, titulum habuit sanctae Anastasiae; reliqui duo fuere diaconi; noster vero presbyter tituli sancti Marci. Dubitari ergo potest an unus sit ex duobus primis, vel alius nobis hactenus ignotus. Dubitantibus tamen opportune occurrit. vetus monumentum ap. Martenium (3); *in quo cum Gregorius VII. anno eius pontificatus IX. id est* 1081, *convenientibus simul episcopis, cardinalibus, abbatibus, archipresbyteris, ut dicerent utrum bona ecclesiarum possint poni in pignore, pro pecunia colligenda ad resistendum Wiberto archiep. ravennati romanam sedem invadere conanti, statutum est sacras res ecclesiarum nullatenus in militia saeculari expendendas, nisi in alimenta pauperum, in sancto usu rerum divinarum, et redemptione captivorum. Huic decreto subscribit inter caeteros* " *Ato cardinalis s. Marci.* (4) „ *Vivebat ergo A.* 1081, *et secundus est ex iis, quos nominavi. Patriam etiam ex vetere alio monumento elicere me posse puto apud eumdem Martenium* (5) *cui hic est titulus:* " *iuramentum Berengarii turonici factum* „ *Romae in ecclesia lateranensi de eucharistia tempore Gregorii VII.* „ *papae.* „ *Est autem fragmentum concilii romani A.* 1078, *in quo, quod alias fecerat, fecitque postea renovatum a se errorem eiuravit, et Papae satisfecit, si quod hic dicitur audimus: quare additur:* " *mecum* „ *sentientibus in eis qui cum Papa erant episcopo portuensi, episcopo* „ *sutrinensi, episcopo terraciuensi, cardinalibus Attone mediolanensi,* „ *monacho tudensi romanae ecclesiae cardinali nomine Deusdedit, Pe-* „ *tro cancellario etc.* „ *Nam si temporum rationem habeamus, haec congruere videntur, nec credibile est duos fuisse eodem tempore Attones cardinales.*

XI. Dubitatum est an Atto hic cardinalis episcopus fuerit praenestinus. Asseruit Pauvinius, Ughellus eum praeterivit, Sed Iulius Am-

(1) *In annal. Umbr.*

(2) *In epp. bergomat. tom. IV. col.* 455.

(3) *Monumentum hoc a Martenio editum, occurrit etiam in calce codicis vaticani, unde nos Attonis cardinalis capitulare edidimus, cum his optimis lectionibus, quibus turpia martenianae editionis menda obiurgantur. alimonia pro* alimenta, corbonam *pro* corbanam, Heliodorus *pro* Eliodorus, portuensis *pro* portunensis, s. Chrysogoni, *pro* Chysogonius. Conon *pro* Cono. Atto *pro* Ato. Sabae *pro* Sabbae, Mauritius *pro* . . . us. *Editor.*

(4) *Ampliss. collect. tom. VII. col.* 64.

(5) *T. IV. thesaur. anecdot. col.* 103.

brosius Lucentius (1) *scripsit*; " *Atto presbyter cardinalis creatus ab* ,, *Alexandro secundo*, *Gregorii VII. in tuendo iure constans contra* ,, *schismaticos*, *a Panvinio episcopis praenestinis inseritur*, *prae-* ,, *teritur ab Ughello*: *nullam de eo fortassis notitiam habuit*: *haesi-* ,, *tans non deliberat Oldoinus. Nos cum ad A. usque* 1092. *nullum ha-* ,, *beamus post Ubertum*, *alterius Praenestinorum episcopi mentionem*, ,, *nescio cur non deferendum sit tanto viro*, *qui Attonem ex presby-* ,, *tero cardinali praenestinum episcopum enunciat*, *nostro non contradi-* ,, *cente Ughello.* ,, *Lucentio subscribere videtur Leonardus Cecconius in historia praenestina* (2). *Uberto episcopo praenestino subiiciens hunc Attonem*; *cui A.* 1092. *iam successerat Berardus seu Bernardus. Tempore ergo episcopatus*, *praenestinis sacerdotibus suis hoc capitulare dedisse credo*, *nuncupans se cardinalem s. Marci vel quod titulus dimitti tunc non soleret*, *vel quod nuncupationis loco illa denominatio prior retineretur.*

(1) *In praenest. epp. num.* 22. *col.* 168. *edit. Rom.* 1704. *et in* 2. *edit Ughell. tom. I. col.* 196.

(2) *Lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 15. *pag.* 239.

T

DE CAPITULARIBUS

D I A T R I B A II.

AUCTORE ERUDITO SAECULI XVIII VIRO.

EX CODICE VATICANO.

1. *Si a nomine ipso capitularium exordiri volumus, a capitulis illud proficisci constat: nemini autem, modo latinas litteras noverit, incompertum esse potest, haec esse librorum summaria, quae quod longius deductum erat in breve contrahunt, aut titulo quasi quodam praesignant: unde quod summatim fit, capitulatim fieri dicebant. Ita Nepos (1) de brevitate, quam in scribenda historia secutus est Cato: " atque haec omnia capitulatim sunt dicta. " Plinius quoque: (2) " nunc confessa de iisdem breviter atque capitulatim attingam. " Et iure fortasse suspicatus est Antonius Augustinius (3) in libris veterum latinorum deperditis, capitularium vocabulum usurpatum. Quamquam quod subdit in libris, quos nunc habemus, primum occurrere illam vocem Caroli, Ansegisi, et Theodulfi temporibus, a veritate videtur esse alienum. Occurrit enim multo antea in Gregorii M. libris, cuius est illud: (4) " Iohannes frater et coëpiscopus noster directo per Iustum clericum suum capitulari, inter alia plura, hoc nobis noscitur intimasse, aliquos monachos monasteriorum in laurentina dioecesi positorum in monasterium, prout eis libuerit, transmigrare. " Et alibi (5): " Quia per XV. nuper indictionem elapsam ecclesiae tuae acoluthi, dato contra te capitulari, quaedam conquesti sunt etc. " Rursus (6) de Maurentii hominibus Mariniano: " Quid agere debeant, dato sibi capitulari, ut perhibent, sunt instructi. " Iohanni subdiacono (7): " lator praesentium Iohannes frater et coëpiscopus noster aliqua vobis de causis ecclesiae suae, dato capitulari, noscitur intimasse. " Tandem (8): " Suprascriptus Petrus chartularem protulit, quem sibi datum a suo asserebat episcopo . . . Sed quia in eodem capitulari memoratus Speratus legebatur antistes ut in ecclesia beati Iohannis, quae in Cassiopi castro est posita, sanctum et venerabile corpus beati Donati haberet recondendi licentiam etc. " Ubi capitulare vocat, quod antea char-*

(1) *In Caton. cap. 3.*
(2) *Lib. II. cap. 12.*
(3) *Lib. II. de emend. Grat. dial. XI.*
(4) *Lib. I. ep. 42.*
(5) *Lib. VIII. ep. 7.*
(6) *Lib. XII. ep. 5.*
(7) *Lib. XIII. ep. 17.*
(8) *Lib. XIV. ep. 13.*

tularem vocaverat; quam postremam vocem, miror in glossario suo latino praeteriisse Ducangium.

2. *Atque haec quidem Gregorii testimonia probant, non solum vocis antiquitatem, sed etiam verae significationi eius hauriendae lucem praebent. Nam viri docti passim capitularia dici docuere eo quod capitulatim (ut Sirmondus loquitur ad Theodulphum aurelian. (1)) concepta distinctaque essent. Ita praeter illum eruditissimus Ducangius, Gussanvilleus (2), Balutius, denique caeteri: qui ideo etiam legum codices capitularia vocatos tradunt ob eamdem rationem, quod in partes quasdam dispescerentur. Malim tamen ego a brevitate haec dici. Nam si a capitibus dicerentur in quae secantur, non capitularia, sed capitalia potius dicenda essent: quam vocem, hoc opinor sensu quem volunt, usurpat charta fundationis augunensis monasterii apud Ducangium: " Placuit nobis ut et ipse abbas . . . tam de „ veteri testamento quam de novo, et alii aedificentur, et per capitalia scri„ bantur ut ipsi teneant. „ Sic κεφάλαια inscripsere libros suos, in quibus per capita christianam doctrinam distinctam ponebant Marcus Diadochus, Nilus. Et Balutius quidem (3) monuit, legem etiam, quae unico tantum capite constat, inveniri dictam capitulare. Nominis etiam quam dedimus rationem, eadem vox in liturgicis rebus adhibita probare videtur. Cum enim olim quoque (ut ex Radulfo tungrensi (4) constat) loco longiorum lectionum breves lectiones aliae in certa quadam officii ecclesiastici parte legerentur; hae capitula dicta; et liber, quo illae continebantur, capitulare dicebatur, seu capitularium, ut in monastico anglic. (5) habetur. Neque aliam puto fuisse rationem, cur alius quoque ecclesiasticus liber capitulare diceretur; is nimirum qui non lectionem evangelii totam, sed brevem eius, primis appositis verbis, indicationem continebat; qualis libri titulo hoc, idest " capitulare evangeliorum de circulo anni „ antiquum exemplar dedit ven. card. Thomasius A. 1691, iterum a cl. Vezzosio tom. V. operum eiusdem ven. viri repraesentatum. Certe Gregorius, ut initio dicebamus, cur illa capitulare vocaret, rationem habuisse videtur ex brevitate non ex distinctione aliqua in capita, de qua non constat. Constat vero de brevitate; cum appareat nihil fuisse aliud, nisi quod alio nomine commonitorium dicebatur, breve scilicet scriptum, quantum satis esset, ad rem aliquam iudicandam aliis, aut sibi in memoriam revocandum. Quod item dicimus de eadem voce apud Anastasium (6): " Dum vero infames quae„ dam personae capitulare adversus quosdam romanae urbis habitatores fe-*

(1) *Tom. II. Var. pag. 912.*
(2) *Ad primum loc. Gregorii.*
(3) *In praefat. num. 3.*
(4) *De canon. observ. prop. 8. et 13.*
(5) *Tom. III. pag. 324.*
(6) *In Ioh. VI. num. 2. tom. I. pag. 315. ex recens. Vignol.*

„ cissent. „ *Quamquam si quis contendat capitularis vocabulum utrumque significasse, et hoc valuisse, scriptum aliquod brevibus interpunctum distinctumque capitulis, nolim equidem repugnare; modo quam dixi brevitatem tueatur. Addo etiam quod hac significatione putem a Gregorio turonensi usurpari similem vocem capitularium* (1), *pro libro nimirum censuali, in quo per capita breviter descriptae erant praestationes quas quisque debet. Sic enim scribit:* “ *Gaiso vero comes eiusdem temporis, accepto capitulario,* „ *quod anteriores scriptores fecisse commemoravimus, tributa coepit exi-* „ *gere.* „ *Quod deinde disertius significat:* “ *ecce librum prae manibus* „ *habemus, in quo census huic populo est inflictus* „.

3. *Illud quoque ex hactenus dictis constat, scriptum quodlibet huiusmodi quod breve esset, et simul etiam, si vis, capitibus distinctum, dictum esse capitulare; adeoque non decreta sola et statuta sive civilia sive ecclesiastica. Hinc apud Agobardum* (2) *decreta circumscribuntur - capitularia sanctionum. -* “ *Deinde venerunt et praedicti missi habentes in manibus tracto-* „ *riam stipendialem, et capitularia sanctionum, quae non putamus vestra* „ *iussione existere talia.* „ *Nihilominus frequentiorem huius vocabuli usum fuisse comperimus in decretis appellandis sive civilibus, sive ecclesiasticis. Civilibus quidem: nam capitularia vocari libros civitatum, in quibus earum statuta habentur descripta, apud Honorium III. in canonum compilatione V, Innocentius Cironius animadvertit: etsi quod de novitate vocis ipse quoque asseverat, non probo. Capitularia quoque, quibus nihil est celebrius, francorum regum, de civilibus rebus alia, alia de ecclesiasticis fuere: quod in praefatione ad capitularia observavit Balutius, et ad Reginonem. Cum enim Regino* (3) *titulum decreti cuiusdam fecisset* “ *ex capitulis synodalibus Karoli im-* „ *peratoris,* „ *hoc inde Balutius* (4) *collegit;* “ *Duplex ergo capitulorum* „ *regiorum genus erat. Et alia quidem erant regia simpliciter, idest in con-* „ *silio principis inventa et statuta: alia vero erant synodalia, regia sane sed* „ *in synodis facta, et ut plurimum de rebus ecclesiasticis qualia sunt ista:* „ *et Hincmarum allegat epist.* 39. *Et in libro* “ *de divortio Lotharii et Tetber-* „ *gae,* “ *ubi in responsione ad VI. interrogationem;* „ *nec praetereundum,* „ *quia legimus in capitulis augustorum fuisse vetitum frigidae aquae iudi-* „ *cium, sed non illis synodalibus, quae de certis accepimus synodis* „. *Maxime vero capitularia dicta ecclesiastica decreta. Atque hinc concilium calchutense in Anglia A.* 787. (5) “ *Scripsimus namque capitulare de singulis* „ *rebus, et per ordinem cuncta differentem, auribus illorum pertulimus,* „ *Rhabanus* (6) *loquens de collectione canonum Martini bracarensis:* „ *Item in*

(1) *Lib. IX. histor. Franc. cap.* 30.
(2) *De insolent. Iudaeor.*
(3) *Num.* 3. *pag.* 32.
(4) *Pag.* 542.
(5) *In praefat.*
(6) *In epist. ad Bonosum.*

„ *capitulari orientalium patrum, quod a Martino caeterisque episcopis constitutum est, ita scriptum reperitur: si quae mulier duos fratres ecc.*

4. *Animadvertendum vero est capitularia etiam de civilibus rebus, a legibus discrepasse; atque hanc inter utrumque esse discrepantiam, quod capitularia additamentorum quorumdam loco haberentur; etsi cum legibus eadem vi pollerent. Unde Hincmarus* (1): " *habent enim reges, et reip. ministri leges, quibus in quacumque provincia degentes regere debent: habent capitula christianorum regum ac progenitorum suorum, quae generali consensu fidelium suorum tenere, legaliter promulgaverunt.* „ *Et alibi* (2) ": *quando sperant aliquid lucrari, ad legem se convertunt; quando vero per legem non aestimant acquirere, ad capitula confugiunt.* „ *Annales qui Eginhardi dicuntur* (3): " *legibus etiam capitula quaedam necessaria, quia deerant, conscripta et addita sunt.* „ *Fragmentum historiae Francorum* (4) *de Ludovico Pio:* " *adiecit praeterea quaedam saecularibus legibus capitula, quae nunc usque necessaria comprobantur.* „ *Ludovicus ipse Pius in prologo capitularium A.* 816. *loquens de constitutionibus a se recens editis:* " *quid etiam in legibus mundanis, quid quoque in capitulis inserendum foret adnotavimus* „. *Ex quibus etiam locis id videmus, quod superius admonuimus, etsi a lege capitula, seu capitularia, quibus capitula continebantur, differrent, vim tamen legis habuisse. Expresse id habet capitulare A.* 821 (5) " *capitula quae praeterito anno legi salicae per omnium consensum addenda esse censuimus, iam non ulterius capitula, sed tantum lex dicantur et pro lege teneantur.* „ *Capitula Caroli Calvi* (6): " *per capitula avi, et patris nostri, quae Franci pro lege tenenda iudicaverunt, et fideles nostri in generali placito nostro conservanda decreverunt.* „ *Hinc etiam annales bertiniani* (7): " *capitula etiam ad XXXVII. consilio fidelium suorum, more praedecessorum ac progenitorum suorum regum constituit, et ut legalia per omne regnum suum observari praecepit.* „

5. *Illud quoque, quod sedulo adnotandum est, Ducangius observavit, non universim regalia statuta omnia capitula et capitularia esse dicta, sed ea potissimum quae in publicis comitiis vel synodis et conciliis episcoporum condita, populo postea proponebantur, eiusque consensu decernebantur. Hinc illud quod modo vidimus:* " *capitula quae Franci pro lege tenenda iudicaverunt, et fideles nostri in generali placito nostro conservanda decreverunt.* „ *Item illud:* " *capitula quae praeterito anno legi salicae per omnium consensum addenda esse censuimus.* „ *Atque Hincmari il-*

(1) *Opusc. XIV. c.* 8.
(2) *Opusc. XV. c.* 15.
(3) *Ad. A.* 819.
(4) *Tom. III. hist. Franc. pag.* 334.
(5) *Cap. ult.*
(6) *Tit.* 39. *cap.* 7.
(7) *Ad A.* 864.

„ lud: habent capitula, quae generali consensu fidelium suorum tenere legaliter promulgaverunt „ Expressius etiam capitulare III. A. 803. (1): " ut „ populus interrogetur de capitulis, quae in lege noviter addita sunt. Et „ postquam omnes consenserint, subscriptiones et manu firmationes suas „ in ipsis capitulis faciant. „ Et in vetere adnotatione adiecta secundo capitulari eiusdem anni legitur, omnes scabineos, episcopos, abbates, comites manu propria subscripsisse capitulis eo anno additis ad legem salicam In praefatione capitularis II. A. 813. narratur Karolus imp. illud manu propria firmasse, " ut omnes fideles manu roborare studuissent. „ Capitula quoque Karoli Calvi facta A. 844. " in conventu habito in villa quae „ dicitur Colonia subscriptione eiusdem principis, et episcoporum, ac caeterorum fidelium Dei confirmata fuere consensu Warini, et aliorum optimatum. „ Et in eorum praefatione legitur: " qua de re communiter „ inito consilio hoc scriptum fieri proposuimus, quod etiam manuum omnium nostrorum subscriptione roborandum decrevimus. „

6. Etsi tamen haec vera sunt, capitula scilicet in his publicis regni conventibus proposita, et subscriptionibus omnium firmata fuisse; non hinc tamen veluti ex primo fonte manabant: sed si de capitulis loquamur et capitularibus, quae ad res ecclesiasticas spectabant, ab episcoporum et abbatum synodis. Itaque Balutius ipse (2) fatendum esse dicit, plurima capitularia sumpta esse ex conciliis et synodis episcopalibus; et verissimam vocat Antonii Augustinii sententiam, episcoporum concilia capitularium fontem fuisse, nimirum ecclesiasticorum; laudatque Petrum de Marca de hac re disserentem (3). Et de Marca quidem post quam duo distinxit conventuum genera, generalium unum quod constabat ex episcopis et abbatibus et comitibus regni, alterum particularium in quo antiquiores episcopi et comites et ministri nonnulli principes conveniebant: qui quidem conventus quolibet anno celebrabantur; ita ut in particulari conventu secreto digererentur ea quae proponi et statui in proximo conventu generali deberent: subdit, iuxta causarum diversitatem discrimen fuisse in deliberandi modo: " episcopi enim, inquit, et abbates seorsim a laicis con- „ veniebant . . . ita ut unusquisque suam curiam haberet secretam, et se- „ paratam. „ Atque exemplum ponit in eo quod Egiuhardus narrat; " cu- „ ius, ait, scriptio accuratissima est prae omnibus illius aevi annalium „ scriptoribus. „ Scribit enim Pipinum regem, habito conventu generali in Gentiliaco villa, synodum habuisse de quaestione Trinitatis, et de cultu imaginum; " idest eum discussioni episcoporum, qui in conventu generali ade-

(1) Cap. 19.
(2) Num. 9
(3) De conc. Lib. VI. cap. 25.

„ rant, commisisse quaestionem de rebus spiritualibus. „ Atque hinc nimirum addit de Marca “ placita et synodos „ distinguit. Carolus M. in capitulari A. 779: “ Capitula vero quae bonae memoriae genitor noster in „ suis placitis constituit, et in synodis, conservari volumus: „ idest, ut idem explicat, in placitis, sive in synodis. Si ergo de causis rebusque spiritualibus loquamur, cum antea eae in episcoporum synodis tractarentur et definirentur, deinde toti conventui intimarentur, ubi et subscriptionibus omnium firmabantur, episcopales synodi fons capitularium fuerunt. Adiicit de Marca exemplum, quod valde illustre vocat, Caroli M. qui aetate iam provecta cum valde cuperet integre restaurari politiam ecclesiasticam, mandavit A. 813. ut episcopi Galliarum conventus ecclesiasticos agerent in quinque locis, idest apud arelatensem urbem, moguntiacensem, remensem, turonensem, et cabilonensem. Concilium moguntinum docet eos viros, qui convocati sunt, in tres fuisse turmas divisos; quarum primam constituebant episcopi, remedia malorum quaerentes in sacris scripturis et canonibus; in alia turma consedisse abbates “ regulam sancti Benedicti legentes „ atque tractantes diligenter, qualiter monachorum vitam in meliorem sta- „ tum atque augmentum cum Dei gratia perducere potuissent. In tertia tur- „ ma comites vulgi iustitias perquirentes, omniumque advenientium causas „ diligenter examinantes, modis quibus poterant iustitias terminabant. „ Quae vero ita acta fuere ad Carolum delata sunt; et ab eo in generali conventu aquisgranensi proposita: constitutionum, ait Eginhardus, “ quae in „ singulis (id est synodis) factae sunt, collatio coram imperatore in illo conventu habita.

7. Atque ex his, quae hactenus diximus, gradus factus est ad intelligendum atque explicandum quid olim fuerint capitularia episcoporum. Quae ut breviter dicam, nihil credo aliud esse, quam quae nunc synodalia statuta et decreta appellantur, ab episcopis in presbyterorum dioeceseos suae sollemni conventu promulgari solita, a canonibus quidem conciliorum episcopalium et romanorum pontificum constitutionibus accepta, sed ad peculiarium dioecesium opportunitatem usumque clericorum aptata, brevibus concepta verbis, vel expressius declarata et exposita. Quod ut intelligi facilius possit, animadvertendum sedulo est, consuevisse antiquis temporibus episcopos cum presbyteris dioeceseos, sive ut tunc dicebatur, parochiae suae congregari conventumque agere, praesertim si gravius aliquid statuendum esset. Huiusce rei testes sunt Cypriani epistolae. Sed quoniam ille peculiarem rationem quamdam gubernandae ecclesiae suae inivisse videdetur, ut nihil sine clericorum suorum et plebis etiam consensu ageret, et omnia ad eorum cognitionem referret; hoc omisso exemplo, alia suggeremus, eaque aetatum antiquarum; nam qui in ordine romano Hittorpii

habetur titulus de concilio altero a generali (1), in antiquioribus (ut videre licet in mabillonianis ordinibus ipso etiam admonente (2)) deest, et descriptus est ordo ille a concilio selegunstadiensi A. 1022, quod reperitur in collect. Labb. (3) et Hard. (4) ex Burchardo, qui ad finem decretorum suorum synodum illam adiecit, cui praesens adfuit. Solum in Hittorpii ordine adiecta est admonitio episcopi cum precibus nonnullis. Longe ergo est antiquior synodus ptolemaidensis, apud civitatem Libyae Ptolemaidem coacta A. 411, de qua Baronius (5), ubi damnatus Andronicus pentapolianae provinciae praefectus. Episcoporum fuisse conventum Baronius censuit; adeo ut hac opinione imbutus titulum quoque mutaverit epistolae LVIII. Synesii, quae vulgo inscribitur ad episcopos, atque in hunc transformaverit " concilium ad episcopos. „ Sed eum retinuit in utraque editione Petavius: et contra Baronium facere videtur quod conventus ille coetus appellatur: quo nomine non solent episcoporum concilia nuncupari. Nec tamen huic vocabulo insistamus; recte, ut observat Balutius, " totus sen-„ tentiae textus videtur esse solius Synesii scribentis nomine suo et eccle-„ siae suae: „ quod etiam certo colligi posse existimat ex ep. LXXII. ad episcopos data, in qua sic legitur: " Andronicus, qui ecclesiam fefel-„ lit, verum illam experiatur. Haud nuper admodum in Deum deliquit, con-„ tumeliosus in homines fuit. Quas ob res nostram illi ecclesiam interclu-„ dentes, litteras ad fraternitatem vestram dictavimus, quibus nostram de „ illo sententiam significabamus. „ Harduinus quoque (6) haec posuit: " Synodus ptolemaidensis, in qua Synesius coacto presbyterio Andronicum „ pentapolitanae provinciae excommunicavit lata sententia, quam ad omnes „ episcopos misit: ea est epistola Synesii LVIII. „ Quare verum non videtur, quod Thomassinus (7), et Io. Petrus Gibertus (8) asserunt antiquissimam esse dioecesanam synodum antisiodiorensem A. 578. Id solum concedi potest hanc esse, cuius canones plures, idest n. 45 ad nos pervenerint. (9) Caeterum antiquiores fuisse alias, non est dubitandum. Quamquam synodus id genus significare aliquibus videtur presbyterium, quod congregatum saepe dicitur in antiquis monumentis ad haereticos damnandos, vel maiora quaedam negotia expedienda. Cum presbyterorum nomine venirent etiam saepe episcopi (unde illud Irenaei ad Victorem in controversia de paschate: " qui „ te praecesserunt presbyteri) „ et Romae cum romanis clericis congregarentur episcopi quoque qui in ea urbe adessent, non satis firmo fundamento niti videtur; maxime cum Siricius (10) narrans facto presbyterio dam-

(1) *Pag. III. vel* 15.
(2) *Pag.* 393.
(3) *Tom. IX. col.* 848.
(4) *Tom. VI. part.* 2. *col.* 829.
(5) *Ad A.* 411. *num.* 53.
(6) *In ind.*
(7) *Part. II. vet. disc. cap.* 73. *num.* 4.
(8) *Ius can. proleg. part. I. cap.* 3.
(9) *V. collect. Hard. tom. III. col.* 441.
(10) *Ep.* 7. *num.* 4.

natum Iovinianum dicat " omnium nostrum tam presbyterorum et diacono-„ rum, quam etiam totius cleri, unam scitote fuisse sententiam etc. „ appellare autem " nostrum presbyterorum „ episcopos videtur. Sed si coniecturis agere volumus, non aliud detegendae arianae labis occasionem praebuit, quam presbyterorum similis quidam conventus. Cum enim, ut Eusebius (1) narrat, Alexander alexandrinus episcopus conventum presbyterorum suorum ageret, et ab eis requisivisset, quid quisque de quodam scripturae loco sentiret; Arius presbyter ita respondit ut virus effuderit erroris sui. Saeculo postea VI. synodus landavensis, quae dicitur I. et II. (2) congregata A. 560. ut Spelmannus (3) et ex eo caeteri, seu ut Vilkinsius (4) A. 597., fuit synodus presbyterorum ab episcopo suo collectorum: quod ex earum synodorum narratione constat, quae est huiusmodi: " Mouricus rex „ et Cynetu convenerunt insimul Landaviae, et praesente Oudoceo episcopo „ iuraverunt, ante positis reliquiis sanctorum, ut firmam pacem inter se „ tenerent. „ Dicitur deinde Mouricus occidisse regem Cynetu " Quare „ episcopus Oudoceus convocavit omnes clericos ab ostio Taratyrin Gws, „ usque ad Tyvi cum tribus abbatibus suis . . . et plena synodo excommunicavit regem Mouricum . . . confirmante synodo et dicente; fiant „ dies eius pauci etc. „ Cum postea rex Mouricus resipuisset; " veniam „ requisivit apud sanctum Oudoceum Landaviae . . . et coram tribus abbatibus Oudoceus episcopus imposuit ei iugum poenitentiae etc. De cleri- „ cis testes sunt Oudoceus episcopus, Consen abbas Carbani vallis, Cargan „ abbas Ilduti, Sulgen abbas Docunni „ Hactenus landavensis I. synodus. Sequitur landavensis II. simili de causa congregata. Nam cum eodem modo quo priores, iurassent Morcant rex, et Frioc eius patruus pacem inter se; postea rex Morcant apud Oudoceum episcopum veniam petens de periurio et homicidio; " audita eius petitione mandavit episcopus Oudo- „ ceus, praeter abbates trium congregationum suarum Consen etc. cum suis „ clericis congregatis in unum in s. synodo omnibus ab ostio Taratyrin Gws, „ usque ad ostium Tyvi. Et venit rex cum senioribus Morcant obviam „ illis ad podum Carbani vallis ad recipiendum iudicium de malefacto suo „ cum summa satisfactione. Et plena synodus praesentia Oudocei episcopi „ iudicavit etc. „ Laudunensis synodus A. 869. quae in conciliorum collectiones relata legitur (5), ipsa quoque ex presbyteris constabat, quos coëgit Hincmarus laudunensis episcopus ad vermeriense concilium episcoporum invitatus, in ipso limine profectionis suae: quod narrant eius clerici in epi-

(1) Lib. II. vit. Constant. cap. 69.
(2) Hard. tom. III. col. 343. collect. noviss. edit. tom. IX. col. 763.
(3) Tom. II. pag. 62.
(4) Tom. I. pag. 17.
(5) In noviss. collect. Ven. tom. XV. col. 887.

stola ad Hincmarum remensem, quam epistolam primus Labbeus ex cod. vaticano vulgavit.

8. *Quod si paucos ex his conventibus proferre possumus, id ex eo factum puto, quod non magnam eorum rationem habuerint veteres, sed illorum tantum qui episcoporum erant; non inde tamen sequitur, hos non fuisse plurimos, et saepius ab episcopis congregatos. In concilio oscensi A.* 598 (1) *canone I.* " *Hoc synodus sancta fieri elegit, ut annuis vicibus unusquisque „ nostrum omnes abbates monasteriorum, vel presbyteros, et diaconos suae „ dioecesis ad locum ubi episcopus elegerit congregari praecipiat, et omnibus „ regulam demonstret ducendi vitas, cunctosque sub ecclesiasticis regulis „ adesse praemoneat etc. „ Ex Walterii capitulis* (2) *XIX sic se habet:* " *ut quando ad synodum bis in anno, sicut sacri canones inpraevaricabi- „ liter docent, convocantur (presbyteri); saeculares querelas et altercatio- „ nes debitorum ita coram prioribus fratribus aut coram archidiaconis suis „ sopitas et rationabiliter diffinitas habeant; quatenus tunc non litigia, aut „ quasi forenses querimoniae accusantium et defendentium actitentur, sed „ solummodo quae ad sacrum ministerium pertinent eo tempore tracten- „ tur, ut aut discamus aliquid, aut doceamus in alterutrum. „ Sacros canones, qui id iubeant, appellare eos videtur, qui vere de episcoporum conciliis cogendis bis in anno loquuntur; canonem nicaenum arabicum VII. (quos canones arabicos circumdatos eo tempore puto) antiochenum canonem XX etc.*

9. *Redeo ad propositum; capitularia episcoporum nihil aliud fuisse, nisi ea, vel eorum similia, quae synodalia decreta nunc appellari videmus condita ab episcopo in conventu presbyterorum diaeceseos suae. Et profecto quae Hincmari remensis archiepiscopi habemus capitularia celeberrima* (3) *hanc veluti praefationem prae se ferunt: „ Anno DCCCLII. kal. nov. con- „ ventu habito presbyterorum in metropoli civitate Remorum, inter caetera „ monita saluberrima, dum de legibus atque rebus ecclesiasticis ab Hinc- „ maro praesule tractaretur, haec in ultimo prolata sunt memoriae com- „ mendanda et summopere observanda. „ Antea, A.* 797, *capitulare edidit Theodulphus aurelianensis, cuius extat titulus apud Sirmondum qui opera Theodulphi recensuit* (4) " *capitulare ad parochiae suae sacerdotes: „ in haec autem verba exorditur:* " *Theodulphus fratribus et compresbyteris „ nostris aurelianensis parochiae sacerdotibus in Domino salutem. „ Non epi-*

(1) *Hard. tom. III. col.* 535. *noviss. coll. tom. X. col.* 481.

(2) *Ap. Labbeum tom. VIII. col.* 641. *Hard. tom. V. col.* 463.

(3) *Hard. tom. V. col.* 391, *noviss. coll. tom. XV. col.* 475.

(4) *Tom. II. var. col.* 921. *Labb. tom. VII. col.* 1136. *Coll. Hard. tom. IV. col.* 911. *et noviss. tom. XIII. col.* 995.

scopis qui sibi subessent, sed simplicibus sacerdotibus esse scriptum, illa eius verba, quae deinde sequuntur declarant: " Scitote vestrum gradum ,, nostro gradui secundum et paene coniunctum esse. Sicut enim episcopi ,, apostolorum in ecclesia, ita nimirum presbyteri caeterorum discipulo- ,, rum Domini vicem tenent: et illi tenent gradum summi pontificis Aaron; ,, isti vero filiorum eius. ,, Capitulari Attonis basileensis in codice nostro, et in editis titulus hic praefigitur: " Haec capitula, quae sequuntur Ahi- ,, to basileensis ecclesiae antistes, et abbas coenobii quod Augiae dicitur, ,, presbyteris suae dioecesis ordinavit, quibus monerentur, qualiter se ip- ,, sos ac plebem sibi commissam caste et iuste regere, atque in religio- ,, ne divina confirmare debeant. ,, Idem dicas de capitulis Rodulfi biturricensis aliisque, quae vel edita iam sunt, vel hic edimus.

10. *Diximus etiam capitularium fontes extitisse concilia episcoporum, ex quibus excerpebant episcopi insinuanda presbyteris suis, quae usui maxime eis arbitrabantur: quemadmodum regiorum capitulorum fontes unde illa dimanabant, eadem concilia erant. Haec fuit causa, cur quae capitularia dici poterant, alio nomine appellarentur excerpta seu excerptiones. Extant excerptiones Egberti, quas hoc titulo Spelmannus (1) edidit: " Excerptiones Egberti eboracensis archiepiscopi e dictis et canonibus sanctorum patrum concinnatae. ,, Eaedem in collectionem conciliorum translatae sunt (2); continent vero capitula ferme brevissima* 145. *qui numerus auctus est in collectione Wilkinsii. Nam pag.* 104 *post cap* 43. *interiicitur can. chalced. " ut nullus presbyter sine chrismate proficiscatur. ,, Et post canonem* 75. *vel* 76. *canon hibernicus de eo qui alteri nocuerit sub confugio ecclesiastico. Adduntur sub finem alii canones XVI. In praefatione presbyteris se ista excerpsisse diserte dicit; pertinent autem, ut putant Spelmannus et Wilkinsius, ad A.* 750. *Sirmondus (3) ex vetere apographo edidit capitula Herardi archiepiscopi turonensis; quae deinde in vulgares conciliorum collectiones translata sunt (4) hoc titulo: " capitula excerpta ex corpore sanctorum ,, canonum pernecessaria ab Herardo sanctae turonicae sedis archiepisco- ,, po, nutu divino, in sancta ipsius synodo, tenenda ab omnibus ipsius pa- ,, roeciae sacerdotibus, et clericis, omnibusque volentibus. ,, Sequitur textus: " In nomine Dei solius. Ego Herardus immerito Turonensium ponti- ,, fex anno incarnationis dominicae* 858, *ordinationis quoque nostrae ter- ,, tio, ind. VI, cernens ecclesiam mihi commissam, partim negligentia, tor- ,, pore, vel desidia; partim praesidentium incuria sacerdotum, atque igna- ,, via, variis et innumeris cladibus affici, excidiis concuti, et quod dictu*

(1) *Tom. I. CC. Britann. pag.* 258.
(2) *Labb. tom. VI. col.* 1586. *Hard. tom. III. col.* 1961.
(3) *Tom. III. CC. Galliae pag. III.*
(4) *Labb. tom. VIII. col.* 627. *Hard. tom. V. col.* 449. *nov. s. coll. tom. XV. col.* 503.

U *

„ actuque gravius fore comperimus, diversis animarum laqueis, ac quo-„ tidianis erroribus deperire, instinctu, ut credimus, miserationis super-„ nae, perpaucula, eaque admodum necessaria sacrarum admonitionum col-„ lecta capitula, sacerdotum totius nobis creditae paroeciae, generali in ur-„ be sedis nostrae coadunata XVII. kal. iun. synodo, publice recitari, et „ ut ad omnium praesentium notitiam et intelligentiam pervenire valerent, „ coram cunctis perlegi fecimus et revolvi. Et quoniam auctoritas sacra „ canonum nulli sacerdotum canones ignorare permittit, ne quemquam in „ reliquo nobis commissorum huius ordinis expertem noverimus canonum, „ decrevimus pariterque iniunximus, excerpta per nostri laboris studium „ haec modica succinctaque capitula unumquemque habere in posterum. „ Adnotavit vero Sirmondus quod de his capitulis chronicon viudoriense habet (1): " domnus Herardus Turonensium archiepiscopus, generali synodo in „ turonica civitate habita, quaedam necessaria sanctorum canonum capitula „ excerpsit, quae firmius custodienda sanxit XVII. kal. iun. „ Pertinet huc quoque quae edita est primum a Cordesio A. 1615. cum Hincmari opusculis ex cod. thuaneo, et in conciliorum collectiones postea translata (2) quae inscribitur: " constitutio Riculfi Suessionum episcopi: „ et praenotatur A. 889. ind. VII. Nam in ea ita Riculfus praefatur: " Ego Riculfus humilis Suessionum episcopus consideratis paroeciae divinitus nobis commissae necessi-„ tatibus, atque comministris nostris, competenti habita ratione, inspirante „ pariter et opitulante Domino, quaedam quae ad sacerdotum nostrorum „ commonitionem, vel vulgaris populi eruditionem pertinere videbantur, mo-„ deste et utiliter pro viribus tractare disposui. Et quamvis totius christia-„ nae vitae regula divinae scripturae paginis satis superque teneatur inser-„ ta; non incongruum tamen fore putavi, quaedam ex his, quae simpli-„ cium observationi conveniunt, brevibus et lucidis capitulis annotare, vobis-„ que sacerdotibus et cooperatoribus nostris habenda simul et crebrius „ legenda committere; ut si tanta divinae et canonicae auctoritatis volumi-„ na revolvere non sufficitis, haec saltem brevissima et apertissima manua-„ liter frequentetis, et commissis vobis plebibus salubrem vivendi normam „ his admonitiunculis praemonstretis „ Nihil credo dici potuisse ad id quod volumus aptius magisque accommodatum.

11. Sed quaeret fortasse aliquis, quid sit, quod capitularia et capitula qualia esse diximus, sequioribus maxime aetatibus occurrant, non autem antiquioribus? Duae autem, ut mihi quidem videtur, causae afferri possunt, quarum prima est, sacerdotum ignorantia his temporibus, simul et corrupti mores. Ignorantiam eiusque causas attigit initio capitularis sui

(1) Ad A. 858.

(2) Hard. tom. VI. col. 413.

Atto cardinalis ; scio , inquit " dilectissimi fratres , quod duae causae sunt ,, ignorantiae vestrae: una quod aegritudo loci extraneos qui vos doceant , ,, hic habitare non sinit , Alia quod paupertas vos ad extranea loca ad *discen- ,, dum non permittit abire. ,, De ignorantia simul et clericorum vitiis , his aetatibus , satis luculentum extat testimonium in epistola Zachariae PP. ad s. Bonifacium , quam Baronius retulit* (1) : " *de eo autem quod nobis intimasti, quia te Carolomannus filius noster rogavit , ut in parte Francorum in sua ditione constituta synodum celebrares ; eo quod omnis ecclesiastica regula seu disciplina ab eadem provincia funditus abolita sit ; ,, nimis maerendum est , quod per spatia tanta temporum ibidem synodus ,, sacerdotum minime celebraretur ; unde nec quid sit sacerdotium ab eis ,, qui se sacerdotes esse existimant , cognoscitur. Sed dum iuvante Deo , ,, quae a praefato filio nostro promissa sunt ad effectum perducta fuerint , ,, tuaque fraternitas in memorato concilio consederit cum eodem excellentissimo ; si quos repererit episcopos , presbyteros , aut diaconos contra canones vel statuta patrum excessisse , idest in adulterio , vel si plures uxores habuerunt , aut si sanguinem christianorum sive paganorum ,, effuderunt , vel etiam aliis capitalibus vitiis , quibus canones obviasse ,, repererit tua sanctitas ; nulla ratione apostolica auctoritate permittat sacerdotio fungi : quia tales a suo tantum ore falso nominantur sacerdotes , et deteriores saecularibus esse noscuntur , qui se neque a fornicationibus , neque a nefariis matrimoniis abstinent. ,, Est haec inter epistolas s. Bonifacii a Serario collectas CXLII. Hanc , ad quam refertur , praecedit in qua huiusmodi est interrogatio Bonifacii :* " *notum similiter sit ,, paternitati vestrae , quod Carolomannus dux Francorum me accersitum ,, ad se rogavit , ut in parte regni Francorum , quae in sua est potestate , ,, synodum facerem congregari ; et promisit se de ecclesiastica religione , ,, quae iam longo tempore , idest non minus quam per LX. vel LXX. annos calcata et dissipata fuit , aliquid corrigere , et emendare velle . . ,, Franci enim , ut seniores dicunt , plus quam per tempus LXXX. annorum synodum non fecerunt , nec archiepiscopum habuerunt , nec ecclesiae canonica iura alicui fundabant vel renovabant ; modo autem maxima ex parte per civitates episcopales sedes traditae sunt laicis cupidis ad possidendum , vel adulteratis clericis , scortatoribus , et publicanis saeculariter ad perfruendum. Nam si per verbum vestrum hoc negocium , duce rogante supradicto , amovere et corrigere debeo , praeceptum et iudicium apostolicae sedis cum canonibus ecclesiasticis praesto ,, habere cupio. Si invenero inter illos diaconos quos nominant , qui a pue-*

(1) *Ad A.* 742.

„ ritia sua semper in stupris, in adulteriis, et in omnibus semper spurcitiis vitam ducentes, sub tali testimonio venerunt ad diaconatum, et modo in diaconatu concubinas . . . habentes, evangelium tamen legere, et diaconos se nominare nec erubescunt nec metuunt, et sic in talibus incestis ad ordinem presbyteratus venientes, in iisdem peccatis perdurantes, et peccata peccatis adiicientes, presbyteratus officio fungentes . . . sub talibus testimoniis per gradus singulos ascendentes, ordinantur et nominantur episcopi. „ Addit de aliis ebriosis et iniuriosis, vel qui sunt venatores " et pugnant in exercitu armati, et effundunt propria manu sanguinem hominum, sive paganorum sive christianorum. „ Recitaverat hanc epistolam Baronius (1): ex qua facile est intelligere quam multa et foedissima vitia clericalem statum invasissent in Francorum regno; quibus remedium quaerebatur a Bonifacio in praecepto et iudicio apostolicae sedis cum canonibus ecclesiasticis. Atqui isti sunt ecclesiastici canones, episcoporum capitularia. Atque animadvertendum etiam est, pleraque si non omnia ferme esse episcoporum regni Francorum, ubi labes sanctiorem hominum partem infecerat. Legenda est etiam epistola eiusdem Zachariae ad Pipinum regem et episcopos, quam (2) Baronius pariter recitat; et alia ad Bonifacium Danielis episcopi apud eumdem (3), et quod antea ad Gregorium II. idem Bonifacius scripserat, eum consulens " quod sunt quidam presbyteri seu episcopi multis vitiis irretiti, quorum vita in se ipsis sacerdotium maculat; et si liceret cum ipsis eis edere aut loqui, nisi coërciti fuerint? „ Quam ob rem sacerdotum imperitiam et maculosam vitam, capitularium hoc tempore frequentiae causam assignare iure possumus.

12. *Alteram causam fuisse credo regum francorum in capitularibus edendis exemplum, quod certatim imitari episcopi voluerunt. Duo sunt in hac asserenda caussa rationum momenta, I. quod capitularia quae novimus posteriora sunt capitularium regiorum collectione; II. quod ex his sunt ferme omnia quae continent expressa. Primum illud facile constabit, inita ratione temporum. Nam qui primus capitularia regum francorum collegit fuit Ansegisus, non ille quidem abbas lobiensis (ut Baronius, et praeterea alii asseruerunt, quem Sirmondus, Baluzius, Pagius, Mabillonius refutarunt) sed luxoviensis, de quo Adso luxoviensis abbas scriptor saeculi X; " capitula regum francorum, quae diversis fuerant acta conciliis excepit, et uno volumine contineri fecit. „ Iam vero hunc obiisse d. 10. iul. A. 833. (non 835.) Cointius docuit. Sigebertus ipse qui Ansegisum hunc lobiensem abbatem fecerat, collectionem instituisse ponit A. 827. Quia vero*

(1) *Anno praecedente.*
(2) *Ad A. 744.*
(3) *Ad A. 726.*

Ansegisus plurima Caroli M. ac Ludovici Pii capitula praetermiserat, abstinueratque praeterea a referendis constitutionibus Pipini, et Karolomanni maiorumdomus, quarum frequens usus; Benedictus levita moguntinus aliam capitularium collectionem instituit, et in libros III. digessit. Hanc collectionem adornasse Benedictum iussu Otgarii moguntini archiepiscopi, idem testatur illis versibus:

Autcario demum, quem tunc Moguntia summum
Pontificem tenuit, praecipiente pio,
Post Benedictus ego ternos levita libellos
Adnexi legis qui recitatur opus.

Cum Otgarius obierit A. 846, necesse est ante istum annum hanc collectionem confectam. Iam vero capitularia omnia, quae annum prae se ferunt, habent illum posteriorem anno quo utraque collectio curata fuit. In Hincmari remensis capitulari adnotatur annus DCCCLII. In capitulari Heraldi annus DCCCLVIII. In constitutione Riculfi DCCCLXXXIX. Idem opinari possumus de Rodulfo bituricensi, qui sedit ab A. 840. ad 866, ut Galliae christianae scriptores (1) docuere. Attonis vercellensis capitulare non nisi saeculo sequenti confici potuit. Walterius vero, qui A. 871. subscripsit synodo duziacensi, iure post Benedicti levitae collectionem capitula scripsisse existimatur. Post Ansegisi vero collectionem Theodulphus, et Atto basileensis. Nihil necesse est dicere de capitulari quod nunc edimus Attonis cardinalis, qui saeculo XI. vixit.

13. *Alterum quod dicebam, capitularium auctores episcopos excerpsisse ferme omnia sua ex regum francorum capitularibus, utraque conferenti facile constabit. Sed rem manifestam facit Isaac episcopus lingonensis, ipse quoque capitularis cuiusdam auctor; quique, ut ait scriptor chronici s. Benigni " composuit librum, qui dicitur canones Isaac, eoque ex " libris canonum utiliora quaeque eligendo in unum volumen coarctavit. " Is ergo in praefatione " utile duximus quaedam saluberrimarum capi- " tula sanctionum, quae S. R. et apostolicae ecclesiae legatus Bonifacius " venerabilis mogonciacensis archiepiscopus vice Zachariae papae, una " cum orthodoxo Karolomanno Francorum principe in duobus episcopo- " rum conciliis ad honorem et profectum ecclesiae Dei conscripsit; quae- " que etiam idem papa Zacharias sub ann. incarnationis dominicae 742. " auctoritate apostolica confirmavit, et omnibus ecclesiae Dei fidelibus ir- " refragabiliter observanda constituit, revolvere; et ad meam meorumque " utilitatem quaedam ex his, quae in quaestionem saepissime veniunt, col- " ligere, et in unum corpusculum adgregare. " Edidit hanc eius collec-*

(1) *Tom. II. nov. edit. col. 27.*

tionem Sirmondus (1), Labbeus (2), Harduinus (3), Baluzius (4) qui postremus (5) loquitur de codice unde Sirmondus hanc collectionem edidit, alisque quibus continetur : idemque (6) animadvertit, ex collatione capitulorum Heraldi colligi, ea quoque ex capitularibus esse desumpta, ut ante diximus. Sed observandum hic sedulo est, praesertim de Isaaco, ab eo Bonifacium, et habita a Bonifacio concilia allegari, etsi Isaacus multo post A. 875. *adfuerit concilio cabillonensi, et anno sequente* 876. *concilio pontigonensi subscripserit, ut observant etiam Sammarthani (7). Ita ergo (quod Sirmondus animadvertit) excerpsit Isaacus sua ex capitularibus, idest ex tribus libris posterioribus, quos Benedictus levita ad Ansegisi collectionem adiecit, ut ad fontes unde capitularia manarunt spectaverit, idest ad concilia episcoporum. Unde manifesto ostenditur, quod superius tradidimus, concilia fundum capitularium fuisse, et ab episcoporum conciliis capitularia fuisse derivata.*

(1) *Ad calcem tom. III. CC. Galliae.*
(2) *Tom. VIII. col.* 598.
(3) *Tom. V. pag.* 419.
(4) *Tom. I. capitular. col.* 1233.
(5) *Tom. II. col.* 1257.
(6) *Ibid.*
(7) *Tom. IV. Gall. christ. col.* 535.

DE POENITENTIALI ROMANO

DIATRIBA III.

AUCTORE ERUDITO SAECULI XVIII VIRO.

EX CODICE VATICANO.

1. *Mirum, credo, accidet Attonis cardinalis capitula, quae vulgamus* (1), *legenti, censuram illam audire, quae poenitentiale romanum apocryphum opus vocat, atque ita apocryphum, ut repudiet illud prorsus, excutiatque de presbyterorum suorum manibus. Nam postquam de ignorantia presbyterorum loci illius ubi vivebat loquutus est, et unde illa esset quaesivit, addit, quibus compellentibus causis factum est, ut poenitentiale romanum apocryphum fingeretur, et rustico stilo; ut illi qui authenticos canones nesciunt, et litteras non intelligunt, in his fabulis confidant, atque tali confidentia sacerdotium quod eos non decet, arripiant, et caeci duces cum sequentibus cadant in foveam. — Mihi quidem ut verum fatear, nihil hoc mirum videtur, cum satis constet omni aetate male feriatos homines inventos esse, qui fabulas et mendacia venditarent, verisque antiquis et utilissimis libris novos quosdam suorum mendaciorum plenos supponerent. De malo cusis poenitentialibus libris non est nunc primum a prudentissimis episcopis querela interposita. Exstat Rodulfi bituricensis, qui praecedente Attonem saeculo vixit, in prologo capitulorum suorum* (2) *similis deploratio — Valde etenim, inquit, me sollicitat quoniam ita in sacerdotum nostrorum libellis reperi, quos vulgo poenitentiales vocant, quorum errores certi, auctores sunt incerti, confusa iudicia poenitentium, atque ita diversa, et nullius auctoritate suffulta, ut vix animus prudentis prope dissonantia tanti discriminis possit sustinere iacturam. — Spectavit omnino Rodulfus ad id quod antea (vixit enim sub Carolo Calvo) anno* 813. *synodi cabillonensis II. patres dixerant.* (3) *Modus autem poenitentiae peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis, quos poenitentiales vocant, quorum sunt certi errores, incerti auctores. — Non multo post, eadem de libellis hisce instaurata est querimonia in concilio parisiensi VI. A.* 829; *ubi legitur. —* (4) *Quoniam multi sacerdotum, partim incuria, partim ignorantia modum poenitentiae reatum suum confitentibus, secus quam iura canonica decer-*

(1) *Non edidit reapse auctor huius diatribae capitulare Attonis; verum id ego ex vaticano codice protuli. Editor.*

(2) *Tom. 2. miscell. Baluz. p.* 140.

(3) *Lib. 1. cap.* 32. *tom.* 4. *Hard. col.* 1317.

(4) *Hard. tom.* 4. *col.* 1038.

nant, imponunt; utentes scilicet quibusdam codicillis contra canonicam auctoritatem scriptis, quos poenitentiales vocant, et ob id non vulnera peccatorum curant, sed potius foventes palpant, omnibus nobis salubriter in commune visum est, ut unusquisque episcoporum in sua parochia eosdem erroneos codicillos diligenter perquirat et igni tradat. — Quod item postea repetitur — (1) *Non ergo debet esse mirum Attonis aetate, idest sec. XI, id evenisse, quod antea saeculo IX. factum pluribus in ecclesiis omnino constat.*

2. *Est tamen aliquid, quod me maxime in admirationem adducit, et inexplicabile visum est aliquando. Quid illud est? quod cum de abolendis noxiis et apocryphis poenitentialibus libris ageretur, et veris fructuosisque aliis illis subrogandis, poenitentialis romani nunquam mentio inciderit, nulla huius videatur habita fuisse ratio. Iubent turonensis synodi patres eodem saeculo IX. A. 813. a congregatis in palatio episcopis ut definiatur quis potissimum poenitentialis liber sit presbyteris tradendus: — episcopis et presbyteris (inquiunt (2)) diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant, ut iuxta modum peccati poenitentibus abstinentia iudicetur; quoniam varie ab aliquibus sacerdotibus et indiscrete haec iudicia proferuntur. Ideo necessarium videbatur nobis cum omnes episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cuius antiquorum liber poenitentialis potissimum sit sequendus. — Quae ista haec esset deliberatio, si romanus extitisset verus poenitentialis liber, et pontificum auctoritate, atque ecclesiae romanae usu probatus? Sed plus est quod alia quae nominavimus concilia, generatim damnatis poenitentialibus libellis, nec romanum poenitentialem excipiunt, nec illum nominant; sed per antiquorum canonum institutionem aut sanctarum scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem poenas imponi volunt. Denique dicam quod cum de his cogitarem me maxime conturbavit; Rodulfus, atque Atto oblitterari volunt, et abiici a suis poenitentiales quos habebant libellos: ut loco illorum subrogent, quibus erudiantur, novum ipsi opus de integro suo labore cudunt. Cur illis romanum poenitentiale verum non subrogant? Cur tantum sibi laborem sumunt, ut opus novum moliantur? Atqui ignotus ipsis esse non potuit unus vel alter poenitentialis liber Halitgarii, quem iste romanum vocat, et posthumum de scrinio rom. ecclesiae sumpsisse se testatur; quem Morinus* (3) *solum antiquum et sincerum poenitentiale* romanum *vocat. Mihi in hanc rem saepius et sollicite inquirenti suspicio quaedam oborta est, etsi aliquis fuerit qui liber poenitentialis romanus diceretur, nullum tamen fuisse, qui rom. esset pontificis auctoritate, et rom. ecclesiae usu probatus. Quae me in hanc suspicionem adduxerunt, nunc proferam, ut iudicent docti homines, quid de hac re, non exigui certe momenti, statuendum videatur.*

3. *Primum est argumentum ab ea, quae invaluit, poenitentialium librorum in*

(1) *Lib. 1. cap. 38. tom. 4. Hard.*
(2) *Id. cap. 22. tom. 4. col. 1026.*
(3) *In append. lib. de poenit.*

occidente, multitudine, quam quidem vel ex his, qui collectionem eorum aliquam instituerunt, perspicue cognoscere licet. Primam pono inscriptam — Canones poenitentiales cum quibusdam notis Anton. Augustinii arch. Tarracon. ann. 1582. *Ibi quatuor exhibentur poenitentiales libri, qui in occidente locum habuisse videntur. Primum ipse Augustinius vocavit* poenitentiale romanum; *alterum Bedae, seu Egberti eboracensis; tertium Rhabani Mauri; quarto loco canones XLVII. poenitentiales sine nomine in Gratiani collectione referri solitos posuit ex Astensis summa; qui Astensis ab Ostiensi accepit. II. Petrus Stevartius in tomo singulari insignium auctorum edito Ingolstadii A.* 1616. (*pag.* 633.) *edidit ex ms. monasterii weigortensis poenitentiale Rhabani, monens hoc suum valde esse diversum ab eo quod Augustinius edidit; immo Augustinii illud inscribi Othgario; hoc suum Heribaldo. Quod vero in eodem cod. exstaret simile opus cum inscriptione* statuta canonum de officio sacerdotum, *incerto collectore, haec quoque vulgavit* (1); *ac demum Halitgarii librum poenitentialem, qui dicebatur asumptus ex scrinio rom. ecclesiae. Ediderat Halitgarii poenitentiale Henricus Canisius* (2); *sed hoc, quod ab eo diversum invenisset, Stevartius vulgavit. Convenit vero ferme cum libro VI. Halitgarii poenitentialis nomine edito a Menardo et Io. Morino. Canisius suo addiderat aliud* (3), *hoc est poenitentiale Halitgarii, sive alterius incerti auctoris, cum Hormisdae epistola III. Io. Morinus ad finem commentarii de disciplina in administratione sacrae poenitentiae editi Parisis primum A.* 1651. *luculentam poenitentialium collectionem instituit. In exhibendis his libellis initium cepit ab antiquo, quod vocat, poenitentiali romano, ab Halitgario tradito, vulgatoque antea ad sacramentarium gregorianum a Menardo* 2. *Dedit excerptum Egberti eboracensis, seu capita CCXLV.* 3. *Poenitentialem librum ex codice siculo quem accepisse tradit a Luca Holstenio.* 4. *Tres ex codd. Mss. poenitentiales andegavenses.* 5. *Excerpta ex Reginone, quae quidem ille fecit ex poenitentiali romano, poenitentiali Theodori cantuariensis, et Bedae.* 6. *Excerptum ex regulo Chrodogangi canonicis suis data.* 7. *Excepta ex pluribus codd., turonensis ecclesiae, tribus remensis, duobus bellovacensis, duobus collegii foxensis tolosani, quattuor ecclesiae rothomagensis, abbatioe S. Victoris decem.* 8. *Alia quaedam addidit ex tolosanis sacramentariis duobus, ex cod. abbatiae dionysianae. Ex duobus sacramentorum libris bibliothecae thuanae plura etiam nobis exhibuit Iacobus Petrus, quasi poenitentialis Theodori corollarium; excerpta scilicet ex poenitentialibus mss.* 1. *Magistri Bartholomaei oxoniensis episcopi.* 2. *Petri pictaviensis canonici S. Victoris.* 3. *Magistri Roberti de Flamesbure.* 4. *Mag. Io. de Deo.* 5. *Ex anonymo codice bibliothecae S. Victoris.* 6. *Ex formulario poenitentioli ms. bibliothecae Navarrae.* 8. *Ex alio eiusd. biblioth. codice, qui sua a diversis poenitentialibus libris accepit. Ex tractatu de poenitentia in summa scholastica Petri cantoris parisiensis. Item in summa mag. Repositivi cancellarii parisien. et in summa Ro-*

(1) *Pag.* 671.
(2) *Tom.* V. *part.* 2. *pag.* 227. *lect. ant.*
(3) *Pag.* 283.

berti de Chorcon cardinalis. Nec tamen hos tantos viros et diligentissimos veterum librorum scrutatores arbitror fundum exhausisse poenitentialem. Nam praeter antiquam collectionem canonum poenitentialium, seculo IX. antiquiorem quam faciunt, editam iam tomo XI. spicilegii dacheriani vet. edit., S. Columbani abb. poenitentiale ms. laudat Menardus. Datus vero est eius poenitentialis liber cap. X. regulae ab Holstenio (1), *et in bibliotheca patrum* (2). *Atque hic pariter Cumeani, seu Cummiani, abbatis hiberni, qui sec. VII. vixit, liber de poenitentiarum mensura* (3). *In catalogo sarravianae bibliothecae laudatur liber poenitentialis, instar libri canonum poenitentialium ex SS. Augustini, Hieronymi, et S. Gregorii M. dictis compactus. Gregorii etiam III. nomine capitula XXXIII. quibus iudicia de poenitentibus continentur, in bibliothecis patrum et conciliorum collectione Harduini* (4) *prodiere. Eugenii papae canones poenitentiales in bibliotheca Io. Tillii ms. memorat Petrus Pithoeus. Omitto collectionem canonum poenitentialium ms. in bibliotheca Michaelis Thomasii ep. ilerdensis, qua usi correctores romani ad Gratianum. Dacherius* (5) *edidit collectionem canonum poenitentialium in tres libros distinctam, cuius scriptorem anonymum vixisse putat ante sec. IX. Martenius* (6) *ex pervetusto cod. floriacensi vulgavit LXIII. articulos poenitentiales. Addas his collectionem antiquam canonum poenitentialium eiusdem Martenii* (7), *quam cl. Mansius iterum exhibuit* (8). *Et hic quidem cum Labbeo* (9) *post excerptiones Egberti, et partem libri poenitentialis, dedisset* (10) *librum de remediis peccatorum nomine Bedae, non hunc, sed suum, quem Martenius quoque exhibuerat, genuinum Bedae poenitentiale fuisse contendit. Antea Mansius* (11) *canones poenitentiales alios ediderat, dubius an Gregorio II. papae tribuendi essent. Gregorii III. nomine exstat* (12) *excerptum ex canonum dictis, patrumque sententiis, quod aliud non est, nisi poenitentiale. Quod unde Binius (nam ceteri ex Binio sumpsere) hauserit, incertum; et de vero auctore Ballerinii dubitant, Dupinius aliique negant. Quare Mansius (loco all. col. 537.) de aetate Gregorii II. loquens: tunc poenitentiales canones passim omnes pontifices, episcopi, et privati etiam quidam dederunt. Gregorius III. suos edidit; suos Theodorus londinensis ep.; suos S. Bonifacius moguntinus; suos denique Beda privatae licet auctoritatis presbyter. Sunt hi tamen, quos Mansius nominat, non exiguae celebritatis. Muratorius* (13) *duos libellos poenitentiales exhibuit; primum ex ms. capituli veronensis; alterum, quem se ait consarcinasse ex duobus antiquissimis ritualibus manu exaratis bibliothecae monast. bobiensis, et ex alio D. Caelestini Lorefice, monachi benedictini. Sed quis incertorum auctorum poenitentiales libros vel numerando sufficere possit? Nam hoc quoque observandum est, in manuscri-*

(1) *Cod. Reg. part. 2. pag. 164. edit. rom.*
(2) *Lugd. tom. XII. p. 21.*
(3) *Ib. pag. 42.*
(4) *Tom. 3. col. 1869.*
(5) *Tom. XI. spicil. p. 1.*
(6) *L. 1. P. XC. 2. de ant. rit. ord. V.*
(7) *Tom. 4. thes. anecd. col. 31.*
(8) *Tom. 1. suppl. col. 565.*
(9) *Tom. VI. CC.*
(10) *Col. 1611.*
(11) *Col. 538.*
(12) *Tom. 3. Hard. col. 1869.*
(13) *Tom. V. AA. med. aev. diss. 68. p. 718.*

ptis libris, qui de poenitentiae sacramento opus aliquod continent, vel sacerdotum munera explicant, ferme aliquem poenitentialem librum reperiri. Extstat in rom. collegii bibliotheca summa S. Raymundi ms. et eius ferme aetatis qua Raymundus vixit; aliter etiam, quam vulgo solet, divisa; nam liber III. incipit a tractatu de poenitentiis et remissionibus, qui in editis extrema pars est libri III., quo finito, nota apposita est — explicit summa magistri Raymundi de poenitentia. — Hinc — incipit tractatus de omissionibus, et negligentiis circa missam commissis, — qui paucis versibus continetur: post — incipit summa de matrimonio, — qui est in editis liber quartus. Iamvero praeter ea, quae summa habet Raymundi de poenitentiarum mensura (1), *ea finita, adiectum est opusculum — Incipit interrogatorium poenitentiale ,, qualiter sacerdos poenitentem interrogare debet. — Post interrogatorium — quae sunt iniungendae poenitentiae per satisfactionem, ubi ieiunia taxantur, orationes, eleemosynae. — Nihil dico de iis, qui post Raymundum summas confecerunt. Astensem diximus ex Ostiensi Gratiani qui huc spectant collegisse canones, scilicet XLVII. Canones XLVI eosdem ferme, sed ordine paululum immutato, habet S. Antoninus* (2). *Nullus ferme est ex paullo vetustioribus, qui de poenitentiae sacramento egerit, et non poenitentiale quoddam suum in aliquo ab aliis diversum non proponat. Hinc, quod in magna scribentium multitudine accidere solet, poenitentiales libri nonnulli ecclesiasticae disciplinae adversi, et damnandi extitere, ut antea innuimus. Verum si de caeteris loquamur vel nominis et celebritatis alicuius, vel innoxiis nec improbatis, ex his quae hactenus diximus, magnum eorum numerum extitisse omnino constat. Iamvero quid facit librorum istorum tanta copia? unde scribendi in piis doctisque pro illis aetatibus voluntas? Cur in aliis qui ad hoc opus suscipiendum hos permoverunt adhortationes, incitamenta, efflagitationes tantae, si romanus exstabat probatus vel Pontificum auctoritate, vel ecclesiae usu liber poenitentialis? Ecclesiae ceterarum magistrae quae debebatur reverentia, non hoc profecto pateretur.*

4. *Sed alterum est momentum, quod de auctoritate poenitentialis romani dubium me magis facit. Nimirum cum eo, quod romanum poenitentiale dicitur, aliorum pugna, atque horum inter se discrepantia et varietas. Romanum Halitgarii incipit iudicium poenitentis ab homicidio. — Si quis clericus homicidium fecerit, 10. annis poeniteat; tres ex his in pane et aqua: si laicus, tres annos poeniteat; unum ex his in pane et aqua. Subdiaconus sex; diaconus septem; presbyter decem; episcopus duodecim. — Non equidem video cur clerico facienti homicidium deputentur plures anni, quam subdiacono, et diacono, si nomine clerici intelligatur, qui est in gradu his inferiori. Alia postea videntur esse pugnantia, cum subiungitur — Si quis laicus homicidium fecerit voluntarie, septem annos poeniteat; tres ex his in pane et aqua. — Utcumque sit, aliud sta-*

(1) *N.* 41.

(2) *Part.* 3. *tit.* 17. *cap.* 21.

tuit poenitentiale romanum Augustinii (1), *titulo de homicidiis diversis ab ecclesiasticis viris commissis; nam ait — iudicium canonum. Si quis homicidium fecerit, si episcopus, 15. annis poeniteat, et deponatur, cunctos annos vitae suae peregrinando finiat. Presbyter 12. annis poeniteat; quatuor ex his in pane et aqua, et deponatur superioris sententia. Diaconus 10. annis poeniteat, tres ex his in pane et aqua: ad gradus cuiuslibet ascendere non praesumat. — Canones Gregorio III. tributi* (2). — *Si quis clericus homicidium fecerit, 10 annos poeniteat, et ex his septem exul fiat; si laicus occiderit alium laicum, quadraginta dies abstineat se ab ecclesia, et secundum antiquam diffinitionem quinque annos poeniteat; si odii meditatione, 4; si per iram, 3. pro vindicta fratris, duos; si casu, unum. Collectio Martenii, titulo de occisione. — Si laicus alterum occiderit meditatione odii, vel possidendae hereditatis eius, annos 7. poeniteat, sine carne et vino. — Poenitentiale Bedae. — Qui laicum odii meditatione, vel possidendae hereditatis eius (occiderit, poeniteat) annos quatuor. In excerptis a Reginone. — Fecisti homicidium aut casu, aut nolens, aut pro vindicta parentum, aut iubente domino tuo, aut in publico bello; si voluntarie fecisti, 7. annos poenitere debes; si nolens aut casu, 5. annos; si pro vindicta parentum, uno anno, et sequentibus duobus annis tres quadragesimas et ferias legitimas. — Idem fere poenitentialia andegavensia apud Morinum; nisi quod, casuali occisioni deputant annos poenitentiae tres. Canones poenitentiales ad finem decreti Gratiani* (3). *Quod homicida casualis poenitent 5. annis, si culpa casum praecessit: aliter non, nisi forte ad cautelam. — Ceterum his antiquior est ancyranus canon* (4) — *qui voluntarie homicidium fecerint, ad poenitentiam quidem iugiter se submittant; circa exitum autem vitae communione digni habeantur: eos vero qui non voluntate, sed casu homicidium fecerint, prior quidem regula post 7. annos poenitentium communioni sociavit secundum gradus constitutos; haec vero humanior definitio quinquennii tempus tribuit. — Afferunt hunc de homicidio casuali canonem concilii triburiensis A. 985. patres* (5); *sed homicidio voluntario 7. poenitentiae annos definiunt. Can. 55. seq. — Si quis sponte homicidium fecerit, 40. diebus ab ingressu ecclesiae arceatur, et nihil manducet illis 40. diebus, praeter solum panem et salem, neque bibat nisi puram aquam, nudis pedibus incedat, lineis non utatur vestibus nisi tantum femoralibus, saecularia arma non portet, nullo vehiculo utatur, ad nullam feminam nec ad propriam his diebus misceatur, nullam communionem his 40. diebus cum aliis christiannis nec cum alio habeat poenitente in cibo vel potu, aut ullis diebus. Post illos 40. dies, unum annum integrum ab introitu ecclesiae suspendatur, et abstineat se a carne et vino, et medone, et mellita cervisia, nisi dominicis diebus et festis, qui per illum episcopatum publice celebrantur apud cunctum populum. Secundum vero et tertium annum simili modo poeniteat. Quartum annum, quin-*

(1) *Tit.* 1. c. 16.
(2) *N.* 3.
(3) *C.* 231.
(4) *Can.* 1. 2.
(5) *Can.* 52.

tum, et sextum, et septimum isto modo observet. Ieiunet autem his singulis tres quadragesimas, unam ante pascha Domini a caseo et pinguibus piscibus, a vino, et medone, et mellita cervisia: alteram ante nativitatem S. Ioannis Baptistae.. Tertiam quadragesimam ante nativitatem domini Salvatoris ieiunet, et abstineat se a carne et ceteris rebus praedictis.

5. *Quivis videt quantum cum libro poenitentiali Halitgarii, quem verum romanum Merinus dixit, alii pugnent, praeter pugnam quam ipsi eius canones inter se habent. Nam ille homicidae episcopo deputat poenitentiae annos 12, nec aliud addit; Augustinii poenitentialis liber annos 15., additque depositionem et peregrinationem tota vita. Ille presbytero 10., hic 12; ex quibus 4. in pane et aqua, ac depositionem. Ille diacono 7., subdiacono 6., clerico 10., laico 3. annos in pane et aqua; hic diacono 10, tres in pane et aqua; subdiaconi mentionem non facit, sed clericum coniungit cum laico, assignatque septem annos, ex quibus 3. in pane et aqua, ita ut promoveri etiam ad gradus ecclesiasticos non possit. Pugnant cum his canones, qui Gregorio III. tribuuntur. Nam clerico homicidae, praeter 10. poenitentiae annos, adiungit 7. exilii; laicum iubet abstinere ab ecclesia 40. dies, et distinguit an odii meditatione fecerit; tunc enim assignat 4. poenitentiae annos, uti etiam Beda. Contra collectio marteniana hoc casu postremo annos 7. Ommitto alia quae ex dictis hauriri possunt. Unde haec pugna in poenitentialibus, eisdem aut proximis aetatibus, scriptis? Cur romani halitgariani ratio habita non est, ita ut illi caeteri consentiant?*

6. *Sequuntur apud Halitgarium, alii tituli tres; de fornicatione (quem quod longior, et in plura capita rem distinguat, omittimus) de periurio, de furto. In periurio poenitentiale Halitgarii primo personas distinguit — Si quis clericus periuraverit, 7. annos poeniteat, tres ex his in pane et aqua; laicus 3; subdiaconus 6; diaconus 7; presbyter 10; episcopus 12. Alii poenitentiales libri distinguere non solent, nisi quod Beda (1) canonem apostolorum allegat, ut episcopus, presbyter, diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus est, deponatur; non tamen communione privetur, quia non iudicat Deus bis idipsum — Est autem canon XXV. in collectione Dionysii, qui et a Reginone (2), Rhabano (3), aliisque allegatur. Postea apud Halitgarium duo genera distinguuntur periurii, quod factum est per coactionem, aut per ignorantiam; et quod per cupiditatem: — Si quis coactus pro qualibet necessitate, aut nescius, periuraverit, tres annos poeniteat, 1. in pane et aqua, et animam pro se reddat; idest servum, vel ancillam de servitute absolvat, et eleemosynas multas faciat. Si quis periuraverit per cupiditatem, totas res suas vendat, et donet pauperibus, et tondeatur, et intret in monasterium, et ibi deserviat usque ad mortem. Codex II. andegavensis apud Morinum de hoc postremo periurii genere —qui periurat sciens pro cupiditate, 7. annos poeniteat — Codex III. — fecisti*

(1) *Cap.* 8.
(2) *L. I. de eccl. disc. cap.* 86. *et L. II. c.* 246.
(3) *Epist. ad Heribaldum c.* 10.

periurium pro cupiditate saeculi, aut coactus, aut nesciens, aut alius te misit in periurinm scientem? 7. annos, vel 3. annos, vel 40. dies poeniteas — Contra excerpta Reginonis — fecisti periurium aut pro cupiditate saeculi, aut coactus, et pro necessitate, aut pre vita tua, aut tuorum parentum, aut nescius, aut alios in periurium induxisti, 7. annos poenitere debes: si nescius 1. annum et 3. quadragesimas: si pro vita vel membris, 3. quadragesimas — Beda. Qui seductus ignorans, et postea cognoscit, 1. annum poeniteat, vel 3. quadragesimas, vel 40. dies poeniteat. Si quis coactus pro qualibet causa necessitatis, tres quadragesimas. Alii annum 1; et ex eis in pane et aqua, ut alii iudicant. — Dissensionem et varietatem, ut vides, Beda ipse animadvertit; atque hoc etiam poenitentiale romanum Augustinii (1). *Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa, et necessitate se periurat, quia plus corpus, quam animam dilexit, tres quadragesimas: alii iudicant* 3. *annos, unum ex his in pane et aqua poeniteat, deinde* (2) — *Fecisti periurium coactus per necessitatem, aut pro vita tua? quia dilexisti corpus plus, quam animam 40. dies in pane et aqua poenitere debes, et omnes sextas ferias, quae sunt in unius anni circulo, in pane et aqua poeniteas, et non redimas ullo pretio. Postea* (3). *Fecisti periurium per cupiditatem? 40. dies in pane et aqua, quod vulgus carinam vocat, et 7. sequentes annos ita observes, ut consuetudo est; et quamdiu vivis, omnes sextas ferias in pane et aqua ieiunes. Et si redimere volueris uno denario vel pretio unius denarii, vel tres pauperes pascendo, potestatem habeas redimendi. — Alia in his libris facta distinctio invenitur a modo iuramenti. Beda* (4) — *Qui iuramentum fecerit in ecclesia, aut in evangelio, sive in reliquiis sanctorum, 7. annos poeniteat: alii 12. annos iudicant; sive in manu episcopi, aut presbyteri, vel diaconi, sive in cruce consecrata, unum annum poeniteat: alii tres vel quatuor iudicant: et in cruce non consecrata 1. annum, vel 7. menses ut alii. Si quis in manu laici iuraverit, apud Graecos nihil est — Contra poenitentiale alterum Muratorii — Iurasti supra evangelium, aut super altare? Si periurasti, 10. annos poeniteas. Postea iurasti in manu sacerdotis, aut alterius hominis manu, aut in cruce consecrata? Si iurasti, et mentitus es,* 3. *annos poeniteas. — Codex I. andegavensis — Qui sciens veritatem iuramenti vel periurii, periurat in manu episcopi, vel presbyteri, vel in altari, vel in cruce consecrata, tribus annis poeniteat: si vero in cruce non consecrata, anno 1. Si autem in manu hominis, apud Graecos nihil est. Qui se dicit nescium iurasse pro noxio, qui et postea periurium cognovit, uno anno poeniteat. — Canones Gregorii III.* (5) — *Si quis in altare, ubi reliquiae habentur, vel in evangelio periurium incurrerit, secundum antiquam diffinitionem 7. annos poeniteat... Si quis vero in manu episcopi, vel presbyteri, vel in cruce consecrata, secundum antiquam definitionem* 3. *annos poeniteat: humanius*

(1) *Cap.* 2.
(2) *Cap.* 3.
(3) *Cap.* 8.
(4) *Cap.* 9.
(5) *Can.* 7.

1. annum definierunt. — Canon apud Martenium: — periurium qui fecerit in ecclesia, XI. annos poeniteat. —

7. Non erit, credo, opus varietatem hic omnem adnotare, cum et magna sit, et per se pateat. Unam tamen non omittam. Poenitentiales canones vulgares, praeter illud apud Augustinium de eo, qui per cupiditatem periuraverit, ut vendat res suas omnes, et in monasterium se detrudat, habent aliud. — Si quis per cupiditatem periurium fecerit, carinam in pane et aqua ieiunet, et quamdiu vivit, omnes sextas ferias. — Cum tamen et poenitentiale idem Augustinii romanum, ex quo hoc sumit, et Burcardus addant, ieiunium iuxta consuetudinem sequentium annorum. —

8. Venio ad furtum. Halitgarius, aliique distinguunt furtum capitale, quod vocant, a minoribus furtis. (1) — Si quis clericus furtum fecerit capitale, idest quadrupedem, vel casam rapuerit vel fregerit, vel quolibet meliorem praesidium furaverit, septem annos poeniteat, laicus quinque, subdiaconus sex, diaconus septem, presbyter decem, episcopus duodecim annos poeniteat. — Nulla distinctione facta, canones Martenii. — Si quis furtum capitale commiserit, idest quadrupedia, vel casas effregerit, aut quodlibet melioris pretii furaverit, 5. annos poeniteat, tres integros — Hoc postremum interpretor ex canonibus apud Muratorium in pane et aqua. Corrupta illa verba quolibet meliorem praesidium corriges ex Augustinii poenitentiali (2) quamlibet rem melioris pretii; ubi tamen nulla distinctio subdiaconi, diaconi, presbyteri, episcopi; sed clerico generatim 5. annos deputat. Cur vero Halitgarius clerici primo poenam ponit, deinde subdiaconi, diaconi? Sacrilego furto, idest sacrarum rerum, quod maximum peccatum vocant canones tributi Gregorio III, similes immo leviores poenas indicunt (3). — Si episcopus fuerit, 12. an. poeniteat; presbyter 10; diaconus 7; subdiaconus 5; clerici et laici 4. — Poenitentiale I. andegavense. — Si quis furtum capitale commiserit, idest quadrupedin abegerit, vel domos infregerit; si laicus, annum unum poeniteat. Si maius aliquod fecerit furtum, 3. annos, vel quomodo sacerdos vel episcopus iudicaverit. Si clericus tale furtum fecerit, 5. annos poeniteat, vel quomodo sacerdos iudicaverit. — Poenitentiale siculum. Fecisti furtum capitale, vel effracturam ecclesiarum, vel domorum? tulisti quadrupedia, vel fortiorem causam valentes solidos 100. vel 40? septem vel quinque annos poeniteas. — Eadem, et maior fortasse varietas invenitur in furtis non capitalibus. Poenitentiale Halitgarii. — Si quis de minoribus semel aut bis furtum fecerit, reddat proximo suo, et anno uno poeniteat in pane et aqua. — Poenitentiale romanum Augustinii (4). — Si quis de minoribus semel aut bis furtum fecerit, reddat quod tulerit, et anno 1. poeniteat: nec aliud additur de pane et aqua. Poenitentiale siculum: — de minoribus causis vel furtis annum 1, sive tres quadragenas, aut etiam dies 40. poeniteat. — Canones apud Martenium: —

(1) N. 2.
(2) Tit. IV. c. 10.
(3) Can. 2.
(4) Tit. IV. c. 5.

qui de minoribus furtum fecerit, 3. annos poeniteat. — Apud Burcardum; — si parvum furtum fecisti, 10. dies in pane et aqua poenitere debes. — Halitgarius adiungit violationem sepulcri. — Si quis sepulcrum violaverit, 7. annos poeniteat, tres in pane et aqua. — Canones gregoriani (1): — Si quis clericus aut laicus in demoliendis sepulcris deprehensus fuerit, quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis sanguineum dicitur, oportet in tali scelere proditum a clericatus ordine submoveri, et poenitentiae triennio deputari. — Apud Burcardum (2). — Violasti sepulcrum, ita dico dum aliquem videres sepelire, et in nocte infringeres sepulcrum, et tolleres vestimenta eius? Si fecisti, duos annos per legitimas ferias poeniteas. — Omitto canonem apud Gratianum (3) — quod qui mensurat in falsa mensura, triginta diebus in pane et aqua ieiunet, — cum in poenitentiali Augustinii, (4) et apud Burchardum (5) legatur — qui falsitatem fraudandi in ponderibus et mensuris admiserit, poenitens erit in pane et aqua dies 20. Iamvero perspecta varietate in his criminibus puniendis, quae in aliis quoque et maior fortasse reperitur, argumentari licet, nequaquam illam futuram fuisse, si liber fuisset maiore aliqua auctoritate approbatus atque receptus, et romanae praesertim ecclesiae usu et romani Pontificis decreto munitus. Quid ergo haec tanta dissimilitudo significat? nisi nullum huiusmodi librum fuisse? Cur quaeso non unam, sed alias et alias disiunctim poenitentias proponunt? Nonne id agunt similiter ac theologi nostri, qui cum privatos se esse auctores cognoscant, adeoque tantum ponderis apud lectores suos habituros esse diffidant ut sibi continuo adquiescant, alias etiam aliorum doctorum sententias proponunt, et aliquam ex illis amplectendi veluti facultatem tribuunt?

9. *Novi quid excipi hic continuo possit, varietatem omnem ex mutatione disciplinae profectam, quae alia aliis temporibus fuisse reperiatur. Nolim equidem negare severiorem aliquando, aliquando mitiorem adhibuisse ecclesiam cum poenitentibus agendi modum. Existimabat enim ut durum conniventiam praebere peccantibus, ita impium manum negare conversis, quemadmodum ad concilium milevitanum scripsit Innocentius I.; quod utique accideret si pristinus rigor urgeretur. Quare et Cyprianus Stephano scribit: cavendum ne poenitentibus et dolentibus lenitatis paternae solatia, et subsidia claudantur; episcoporum esse his consulere, ita ut divinam clementiam cogitantes, et gubernandae ecclesiae librum tenentes, sic censuram rigoris peccatoribus exhibeant, ut tamen lapsis erigendis, et curandis vulneratis, bonitatis et misericordiae divinae medicinam non denegent. Atque hoc ipse fecit cum de severitate, de qua (6) scripserat ad Antonianum, non nihil postea remisit (7). Legenda est etiam epistola Innocentii I. ad toletanam synodum; ubi receptorum eorum, qui ab haeresi con-*

(1) *Can.* 20.
(2) *Pag.* 269.
(3) *Can.* 24.
(4) *Tit. VII. cap.* 14.
(5) *Lib.* 19.
(6) *Epist.* 51.
(7) *Epist.* 13.

versi fuerant, rationem reddit, et propter numerum corrigendorum se indulgentem fuisse fatetur. Atque eius quidem aetate immutatam fuisse ecclesiasticam disciplinam liquet ex eius epistola ad Exsuperium, ubi de iis agit qui post baptismum omni tempore incontinentiae voluptatibus dediti, in extremo vitae suae poenitentiam simul et reconciliationem exposcebant. Nam de his ait observationem priorem duriorem fuisse, ut concederetur poenitentia, sed communio negaretur, ob temporum adiuncta, crebris scilicet persequutionibus agitatorum, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos a lapsu non revocaret: reddita vero ecclesiae pace, iam depulso terrore, observationem posteriorem inclinatiorem interveniente misericordia extitisse, et placuisse communionem dare obeuntibus; ne etiam Novatiani negantis veniam, asperitatem et duritiam sequi catholica ecclesia videretur. Huc spectat illud triburiensis concilii, postquam (1) *homicidae poenam ab ancyrano constitutam retulit de perpetua poenitentia: — Nobis autem, inquit, qui pastores Christi ovium sumus, pro moderni temporis qualitate, et hominum fragilitate, bonum et utile videtur, ut his qui voluntate homicidium fecerint, auctoritate synodali, et iudicio generali, et modum castigationis imponamus, et certum ac definitum poenitentiae tempus praemonstremus; ne prolixum tempus poenitentiae generet fastidium negligentibus, sed cursim exercitatis accrescat opus salutis.*

10. *Verum est hic animadvertendum, quotiescumque disciplinae varietas incidit, hoc ipsum in canonibus animadverti solere, et prioris disciplinae mentionem interponi. Deinde varietas hic saepius non in rigidiore, vel mitiore disciplinae genere versatur, sed in eadem ferme poenarum conditione. Tertio saepius antiquissimi canones, appellantur, quales ancyrani sunt, eliberitani, gangrenses, ut in eo nulla disciplinae varietas fingi possit. Denique si disciplinae varietatem et mutationem attendamus, ex hoc ipso conficitur, certum ac stabile poenitentiale olim esse non potuisse; maxime si spectari debuerunt personarum conditiones, aetatis circumstantiae ita diversae, ut generali lege comprehendi non possent. Adde poenitentiae fervorem in aliis flagrantiorem, remissiorem in aliis. Hinc Beda initio poenitentialis, Egbertus, et Burchardus* (2) *iubent sacerdotes discretiones omnium causarum investigare, subduntque: — Non omnibus ergo in una eademque libra pensandum est, licet in uno constringantur vitio; sed discretio sit in unoquoque eorum; hoc est inter divitem et pauperem, liberum servum, infantem, puerum, adolescentem, aetate senem, hebetem, gnarum, laicum, clericum, monachum, episcopum, presbyterum, diaconum, subdiaconum, lectorem, in gradu vel sine, in coniugio vel sine, peregrinum, virginem, feminam canonicam, vel sanctimonialem, debilem, infirmum, sanum: de qualitate pecudum, vel hominum; continens, vel incontinens; voluntate, vel casu; in publico, vel in abscondito; quali compunctione emendat, necessitate, vel voluntate, loca et tempora collationum constituerunt SS. apostoli. Sic etiam*

(1) Can. 54.

(2) Lib. XIX. cap. 8.

poenitentiale Augustinii (1) *sacerdotem monet ut — conditionem utriusque sexus, aetatem, paupertatem, causam, statum, personam cuiusque poenitentiam agere volentis, ipsum quoque cor poenitentis aspiciat; et secundum haec, ut sibi visum fuerit, ut sapiens medicus singula quaeque diiudicet. — Haec discretio generalibus quibusdam canonibus comprehendi non poterat. Hinc vetusti ipsi canones omnia episcopi arbitrio permittunt. Ancyranum* (2) *de homicidio ubi poenas constituit, concludit: — Modus autem huius poenitentiae in episcoporum sit arbitrio, ut secundum observationem poenitentium, possint et extendere tardantibus, et minuere studiose festinantibus. — Triburiense, quod veterum conciliorum vestigiis ferme insistit* (3), *de eo qui longa infirmitate detinetur: — Ad episcopum pertinebit, ut prudenter pertractet quomodo infirmum peccatorem curare disponat; quia ut Gregorius pastorali commemorat libro, occultiora sunt vulnera mentium, quam corporum, et ars est artium regimen animarum. — Praefatio antiquae collectionis canonum apud Dacherium* (4), *quam vetustissimam quidem ipse putat ab auctore qui ante saeculum IX. vixerit, — mensuram, ait, temporis in agenda poenitentia idcirco non satis attente praefigunt canones pro unoquoque crimine, sed magis in arbitrio antistitis relinquendam statuunt, quia apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris; nec abstinentia tantum ciborum, sed mortificatio potius vitiorum. — Ionas aurelianensis, qui saec. IX. sub Carolo Calvo vixit, lib. I. de instit. laic. c. 10.* (5), *cuius est titulus — quod poenitentiae modus in arbitrio sacerdotum sit constitutus, quia peccati vulnus poenitentiae remedio sanari valeat, ea quae in praecedenti capite collecta sunt testatur. Modus vero eiusdem poenitentiae, tempusque poenitendi in arbitrio sacerdotum, quibus ligandi atque solvendi potestas est a Christo collata, est constitutus. — Poenitentiale Augustinii.* (6) *— Hoc sit positum in iudicio eorum qui praesunt, vel quanto tempore, vel quali modo poenitere debeant, qui delinquunt, quia aetas ad eruditionem multam haberi differentiam poenarum dicit. — Atque hinc illa superius indicata de furto, ut laicus poeniteat, tres annos, vel quomodo sacerdos vel episcopus iudicaverit; ut clericus 5. annos poeniteat, vel quomodo sacerdos iudicaverit. — In capitulis Rodulphi bituricensis caput 44, idest postremum de satisfactione et reconciliatione poenitentium, ubi de publicis peccatis dixit, subiungit: — Quorum autem peccata occulta sunt, et spontanea confessione soli tantummodo presbytero ab eis fuerint revelata, horum occulta debet esse poenitentia, secundum presbyteri iudicium, cui confessi sunt. Et presbyteros quidem iudicio suo fuisse usos ac viros etiam sanctissimos illud probat, quod legitur in vita S. Geraldi abbatis sec. IX. apud Bollandianos:* (7) *— Cum maxima multitudo ad eum, ut sua confiterentur crimina saepe venissent, hanc omnibus in commune poenitentiam in remissionem peccatorum suorum iniun-*

(1) *Tit. IX. cap. 12.*
(2) *Can. 22.*
(3) *Can. 53.*
(4) *Tom. XI.*
(5) *Ap. Dacher. tom. I. spicileg.*
(6) *Tit. IX. cap. 8.*
(7) *Ad d. 5. apr. tom. 1. pag. 420. N. 24.*

gebat, ut sexta quidem feria ieiunarent, sabbato vero a carne abstinerent. — Insequenti etiam saeculo S. Bertholdus abbas garstensis unum poenarum genus imposuisse poenitentibus dicitur in eius vita apud Bollandianos (1), verbera scilicet, nullum omnino sinens transire implagatum — .

11. Atque hinc eruitur poenitentiale quale vulgo circumfertur, vix ac ne vix quidem esse potuisse. Sed de romano loquamur; quod utrum extiterit, mihi dubium est 3. ex eo, quod si extitisset quale volumus usu et auctoritate romani Pontificis probatum, vel saepius allegaretur, vel non eo modo allegaretur quo factum reperimus. Nominatur quidem in poenitentiali Augustinii, ab aliis etiam; sed mixtim cum ceteris poenitentialibus, ac saepius in eadem re ac poenitentia peccato alicui constituenda. Hoc in exemplo, quod cum de periurio ageremus, adduximus, videre licet; et de furto capitali clerici. In eos, qui parentes male affecerunt a poenitentioli romano (2) decernitur: — Si quis inhonoraverit patrem aut matrem, tres annos poeniteat; quod si manum levaverit, aut ei percussionem intulerit, septem annos poeniteat. — Sed praeterea Theodori canon affertur (3), qui addit 40. dies in pane et aqua. Alibi ex poenitentiali romano in sacerdotem, de cuius manibus sacrificium ceciderit, ita ut inventum non fuerit, praescribitur, ut dimidium annum poeniteat. At praeceperat continuo ante alius canon, in quo decernitur de sacrificiis — qui autem perdiderit illud in ecclesia, aut pars eius ceciderit, et non inventa fuerit, 30. dies poeniteat. — Multo id magis in Burchardo et collectoribus canonum videre licet. At quid dicemus de Reginone, qui initio collectionis suae ubi inquisitionem ponit — de his quae episcopus, vel eius ministri in suo districto vel territorio inquirere debeant, ultimo (4) a presbytero inquirendum docet — si habeat poenitentiale romanum, vel a Theodoro episcopo, aut a venerabili presbytero Beda editum, ut secundum quod ibi scriptum est interroget confitentem, aut confesso modum poenitentiae imponat? — An vero, si eius fuisset auctoritatis, quam dicimus, romanum poenitentiale, eodem loco illud haberet, ac poenitentiale Bedae et Theodori, et optionem presbytero daret habendi quod ex illis vellet? Scribebat haec sec. IX. Regino. Simile est huic Burchardi illud saeculo XI. (5) ubi recitatis verbis, quae initio poenitentialis Beda habet, quaedam interponit, ex quibus haec sunt: — Nunc ergo, o fratres, qui voluerit sacerdotis nomen habere, in primis propter Deum cogitet, ut discat ea quae ei necessaria sunt, antequam manus episcopi caput eius tangat, psalterium, lectionarium, ad haec suum poenitentialem, qui et secundum canonum auctoritatem, et iuxta sententias trium poenitentialium Theodori episcopi, et romanorum Pontificum, et Bedae ordinetur. — Manifestum est nomine poenitentialis romanorum Pontificum intelligere poenitentiale romanum. At cur hoc satis non est? cur alios duos poenitentiales ad-

(1) Ad d. 27. iul. tom. 6. pag. 480. N. 21.
(2) Tit. IV. c. 13.
(3) Ib. c. 12. tit. 5. c. 11. 12.
(4) Num. 95.
(5) Lib. XIX. c. 8.

dit Theodori et Bedae? cur eodem loco tres istos habet? Nonne hoc significat, poenitentialem librum illum Pontificum quidem romanorum, seu romani poenitentialis nomen habuisse; non tamen auctoritatem eam, cui repugnare nisi temere nemo posset, habuisse?

12. *Diximus de iis, qui poenitentiale romanum memorant. At quam multi sunt, qui nominare debuisse videntur, et tamen nullum de eo verbum faciunt! De hoc silentio aliqua initio huius diatribae dixi: sed multo plura dici poterant. Non enim solum, cum poenitentiales libros quidam damnant, hunc non excipiunt, at nullo modo de poenitentialibus libris agentes Atto, Rodulfus, cabillonenses, parisienses, turonenses nominant; sed, quod plus est, romani Pontifices (si eorum sunt opera, quae eorum nomine inscribuntur) Gregorius II, et III, aut vetusti certe auctores, poenitentiale romanum numquam memorant appellantve. Sed de Gregorio III notabile maxime est quod damnans confusa iudicia poenitentium in presbyterorum suorum opusculis, ut vix propter dissonantiam possint discurri, poenitentialem ipse novum librum condit; at unde? — quapropter, inquit, ex multis allegoriarum floribus, et de magnorum tractatibus, prolatisque sermonibus, patrum dictis, canonumque sententiis, idest Isidori, Augustini, Gregorii, Bedae, Gelasii, Innocentii, Theodori, Cassiani, Egberti, vel ceterorum, ad opus consacerdotum nostrorum excerpere, atque in simul colligere hunc libellum poenitentialem studuimus. — De poenitentiali romano nullam litteram ponit; atqui hunc maxime nominare debebat; hunc subrogare presbyterorum suorum poenitentialibus libellis confusis; ex eo saltem aliqua decerpere, si extitisset, et romanorum antiquiorum Pontificum auctoritatem praetulisset. Adde alios, et quicumque libellos poenitentiales construxerunt, fermo omnes; qui vel numquam, vel raro nominant, et eo modo quo diximus: sed ipsi quoque ex canonibus, et patrum sententiis sua expressisse affirmant. Beda (1) ubi poenitentialem librum nominavit — qui, inquit hoc ordine secundum auctoritatem canonum ordinatur. — Hinc apostolos, ss. patres, maxime Hieronymum, Augustinum, Gregorium, et Theodorum postquam nuncupavit, subdit: — ex quorum omnium ista descripsimus dictis et sententiis veraciter. — Rhabanus Maurus in fine poenitentialis sui, quem iussu Otgarii collegerat — haec tibi sancte pater pauca capitula ex ss. patrum conciliis colligere putavi, ut haberes in promptu ex eorum sententiis, quo iudicare possis etc. — Isaacus lingonensis (2): qualis vero peccati adhibenda sit medicina, secundum canonum authenticorum, et ss. patrum esse debet institutionem, et non secundum placitum hominum etc. — Scripsit Ebbo archiep. remensis Halitgario Cameracensium episcopo, ut novum elaboraret poenitentiale, addens de se — ex patrum dictis, canonum quoque sententiis ad opus consacerdotum nostrorum excerpere poenitentialem minime valuisse. — Quod ubi Halitgarius praestitit, Ebbonis exhortationem narrat his verbis — ut ex ss. patrum, canonumque sententiis poenitentialem in uno volumine aggrega-*

(1) *Cap. I.* (2) *Cap. ult. L. 1.*

ret. — *Neque hi tantum laborem subiissent, aut subire alios voluissent, nec canonum, aut sententiarum patrum cumulum revolvere, si romani poenitentialis canonica auctoritas extitisset. Non ergo fuit neque his neque posterioribus saeculis. Quod constat ex sanctissimo Petro Damiano, qui saec. XI. vixit, et in libro, quem* Gomorrhianus *inscripsit, et Leoni PP. IX. dedicavit, invehitur ipso quoque in libros quosdam poenitentiales, in quibus ut ait, perditi homines vana praesumptione confidunt; et de poena agens quae sodomitae debebatur, et an clericus huius criminis reus promoveri deberet ad ulteriorem ordinem, aut etiam in eo, quo fungebatur, permanere, contra opponit scriptum a s. Gregorio Passivo episcopo; in statuendis ceteris poenis utitur auctoritate ancyrani canonis; alium tamquam s. Basilii allegat, praefatus — illos canones apponamus, de quorum fide et auctoritate nulla prorsus ambiguitate diffidimus. — Et tamen poenitentiale romanum Halitgarii de sodomitis loquitur* (1), *et fornicariis, et romanum Augustinii* (2). *Quin etiam Damianus, Leonem PP. hac de re consulens, ita loquitur. — Petimus igitur et humiliter imploramus, ut clementia vestra, si fas est dicere, sacrorum canonum decreta, quae tamen vobis notissima sunt, sollerter inspiciat, spirituales et prudentes viros ad consultum huius indagationis adsciscat, nobisque super his capitulis ita respondeat, ut omne de nostro pectore dubietatis scrupulum tollat. — Illi vero ita respondet, ut dicat, rem se decernere, tam sacrorum canonum, quam nostra, ait, censura. Cur, repeto, hic quoque vel ipse Damianus, vel Leo pontifex poenitentialis romani decreta sanctionesque non proferunt; cur ne poenitentialem quidem librum nominant? Atque hoc idem iterare semper possumus, cum de poenitentialibus sermo est etiam inferioris aetatis, ut Roberti de Flammesbur canonici s. Victoris parisiensis, qui teste Morino* (3) *obiisse dicitur A.* 1224, *et poenitentiale suum confecit ex canonibus, Pontificum decretis, et ss. patrum scriptis; Petri pictaviensis abbatiae s. Victoris canonici, qui poenitentialem librum scripsit post A.* 1215, *et pariter Pontificum decreta allegat, immo etiam summas Praepositivi, Belethi, Petri cantoris, et de poenitentia septem annorum approbat consuetudinem. Quo spectat illud Morini* (4), *omnes antiqui ecclesiae doctores annis fere mille ducentis, cum de poenis et poenitentiis criminibus tam clericorum quam laicorum debitis, libros aliquos seu tractatus composuerunt, nihil aliud quam antiquos conciliorum canones, et patrum dicta collegerunt.* —

13. *Hinc colligo quarto, esse non potuisse libellum poenitentialem romanum huius ecclesiae usu et auctoritate probatum, usque ad VI. saeculum; nam si extitisset (quales extitisse huiusmodi libros diximus) vel ex conciliorum canonibus maxime contextus fuisset, qui poenas criminosis assignant, vel ex romanorum Pontificum decretis. Si de canonibus conciliorum loquamur, notum est, et fuse docuerunt cll.*

(1) *Num.* 2.
(2) *Tit.* 3. *cap.* 18.
(3) *Lib. VII. cap.* 22. *num.* 7.
(4) *Lib. VI. cap.* 14. *num.* 17.

Ballerinii (1), *canones qui olim apud Latinos, Romanos praesertim, auctoritatem habuere, solos fuisse nicaenos, et sardicenses; in quibus quidem nullae huiusmodi poenae constitutae inveniuntur: alios canones graecarum synodorum, tametsi latinis traditi essent versionibus, serius tamen ab his allegari coepisse, idest saeculo VI. Medio saec. VI. de graecarum synodorum canonibus scribebat Cassiodorius — quos hodie usu celeberrimo ecclesia romana complectitur. — Collegerat eos scilicet Dionysius, et latinos fecerat. Atque hi erant continua numerorum serie canones ab eo collecti, nicaeni XX, ancyrani XXIV, neocaesarienses XIV, gangrenses XX, antiocheni XXV, laodicaeni LIX, cpñi III, ac deinde chalcedonenses XXVII. Ex latinis sardicenses XXI, et africani in numeros relati CXXXVIII. Ex his ancyrani soli aliquid habent de poenis criminibus deputatis: itaque hi solent allegari. Iamvero in his pauca sunt peccatorum genera, quibus poena aliqua peculiaris praestituatur; ex nicaenis III. lapsis tempore persecutionis, XIV. catechumenis, lapsis XII. iis de clero, qui militiam sectari coeperunt. Ex ancyranis IV. V. VI. VIII. IX. de lapsis agunt; VII et XXVII. de superstitiosis, XV. et XXIV. de fornicariis vel adulteris; XX. XXI. XXII. de homicidis: alii aliorum conciliorum canones, vel depositionem tantum habent clericorum, ut neocaesarienses et antiocheni; vel anathema adversus criminosos pronunciant, ut gangrenses: idem de africanis canonibus dicere possumus. Iamvero nec usque ad Hadrianum I; idest ad cadens ferme saeculum VIII. alios agnovisse canones romanam ecclesiam ex eo constat, quod non aliam collectionem, quam hanc dionysianam Carolo M. Romae dederit Hadrianus pontifex, cum aliquot solum additamentis, quae canonum numerum non augent. Scribunt cll. Ballerinii* (2): — *quo ex tempore haec collectio ab Hadriano PP. Carolo M. tradita fuit, apostolicam quamdam auctoritatem obtinuit, et codex canonum passim appellari coepit. — Quod nimirum antea in ea contenta allegarentur, ut graves et docti auctores nominari solent, non quod canonicam auctoritatem obtinerent. Unde fit nec canonicam auctoritatem Romae habere potuisse poenitentiales libellos, qui his canonibus nitebantur. Idem pronunciare possumus de sequentibus aetatibus usque ad Leonem IV, qui sedere coepit A.* 847. *Nam eius exstat disertissimum testimonium in epistola ad Britannos, ex qua haec recitat Gratianus* (3). — *De libellis et commentariis aliorum non convenit aliquem iudicare, et ss. conciliorum canones relinquere, vel decretalium regulas, idest quae habentur apud nos simul cum canonibus. Quibus autem in omnibus ecclesiasticis utimur iudiciis sunt canones apostolorum, nicaenorum, ancyranorum, neocaesariensium, gangrensium, antiochensium, laodicaenorum, constantinopolitanorum, ephesinorum, chalcedonensium, sardicensium, africanorum, carthaginensium, et cum illis regula praesulum romanorum Silvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Caelestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Hormisdae, Simplicii,*

(1) *De antiq. collect. can. p.* 2. *cap* 1. §. 1.
(2) *P.* 3. *cap.* 2. §. 4. *de coll.*
(3) *Dist.* 20. *c.* 1.

et Gregorii iunioris. Isti omnino sunt, et per quos episcopi simul iudicantur, et clerici. — Gregorius est Gregorius II; cuius concilium anni 721. ab aliis celebratur, estque contra illicita coniugia, quae ineuntes anathomati subiiciuntur. Ceterae romanorum Pontificum epistolae, quae hic nominantur, nullas nisi ex antiquis canonibus conciliorum poenas decernunt. Ephesinos canones, qui a Gregorio nominantur, notum est nullas, nisi depositionis aut excommunicationis poenas decernere; idque facere maxime adversus Nestorianos. Quod si iudicia ecclesiastica per illos tantum canones fieri debent, et non per libellos et commentarios aliorum, nulla erat Romae poenitentialium libellorum auctoritas. Leoni IV. mortuo A. 855, post brevem Benedicti III. pontificatum, successit A. 858. Nicolaus I. Facile, uti arbitror, est videre non potuisse Nicolai tempore librum existere poenitentialem a romana ecclesia probatum iis similem, quos nunc libros poenitentiales dicimus; sed et canonum collectionem hadrianeae similem, et ordinem ad dandam poenitentiam, ita ut ex primo libro, idest ex canonum collectione, poenitentiae decernantur. Ita intelligimus responsum Nicolai ad consultum LXXV. Bulgarorum. — Iudicium poenitentiae, quod postulatis, episcopi nostri, quos in patriam vestram misimus, in scriptis secum utique deferent, aut certe episcopus, qui in vobis ordinabitur, hoc cum oportuerit exhibebit: nam saeculares talo quid habere non convenit, nimirum quibus per id quemquam iudicandi ministerium nullum tribuitur. Similiter et de codice (1) ad faciendas missas asserimus, cum Nicolaus de hoc ita te agere dicat, ac de codice ad faciendas missas, cum significet per illum codicem iudicandi ministerium tribui sacerdotibus, nihil aliud fuisse necesse est, quam ritualem quemdam librum, quo non modo sacerdotes instruerentur, sed eorum ordinatio contineretur. Ad id magis explicandum valebit cetera Nicolai responsa considerare. Ergo ad consulta Bulgarorum respondens (2) ait, brevibus uti literis, quia non solum libros divinae legis illis miserat, sed et missos suos, quibus tradiderat et libros, quos praeviderat necessarios. Ad consultum II. nominat, de cognatione spirituali loquens, venerandas romanas leges. Ad III. negligendas significat Graecorum consuetudines et ritus. Ad IV. de abstinentiis nominat sacra decretalia. Reprobat ad VI. Graecorum effata, et de balneis feria IV. et VI. respondet Gregorii verbis, quod etiam facit de gestatione reliquiarum ad VII. Ad IX. de quotidiana communione tempore quadragesimae, et de his, qui ecclesiam quidem intrant, nec tamen facta oblatione communicant, ait — sacri canones forte sufficienter enunciant, qui antistiti vestro sunt, qui Deo vobis auctore per mediocritatem nostram ordinandus est, tribuendi, et ab eo sacerdotibus, qui claves tenent scientiae dumtaxat aperiendi, et vobis nihilominus, in quibus opus est et minime prohibetur, insinuandi. — De abstinentia a servili opere die dominico vel sabbato respondet (3) verbis s. Gregorii — quibus diebus nulla sint iudicia saecularia exercenda, lex

(1) *N. LXXVI.*
(2) *Tom. V. Hard. col. 353.*
(3) *Num. X.*

vos affn tim docebit. — Scribit ad XII. et XIII: — inter quaestiones vero et consulta leges vos mundanas postulare perhibetis. De qua re nos codices, quos necessarios vobis ad praeseus esse considernre potuissemus, libenti mitteremus animo, si quem penes vos esse comperissemus, qui hos vobis interpretari potuisset. Si quos autem de mundana lege libros missis nostris dedimus, cum reversi fuerint, nolumus ibi relinqui, ne forte quislibet eos vobis perverse interpretetur, aut falsitate qualibet violet. — De baptizatis a graeco mentiente se presbyterum respondet (1) verbis Anastasii II. PP. Ad XIX. XX. et XXI. — Quid iure de his faciendum sit; qui ad occidendum regem insurrexerint, venerandae leges, quos scripto mittemus, vos affatim edocebunt . . . Quid de homine libero iudicandum sit qui de patria sua lapsus fuerit, si comprehendatur, nihil — utique, nisi quod leges decernunt . . . Si servus a domino fugiens se receperit, ni comprehensus fuerit, ignoscendum est ei: alias autem legum scita non transcendantur in eo. Ita etiam leges nominat XXII, vultque ut earum temperetur severitas. Ita (2) et venerandas leges num. XXIII. ut proprium robur retineant de his, qui consanguineum suum trucidaverint. Sed si, ait, ad ecclesiam convolaverint, mortis quidem legibus eruantur; " poenitentiae vero, quam antistes loci „ vel presbyter consideraverit „ absque dubio submittantur. — N. XXVIII. scribit: de eo qui ad uxorem alterius comprehensus fuerit quid iudicandum sit, lectis legibus, reperietis. Iamvero si ad ecclesiam adulter confugerit, iudicandum ab episcopo fore decernimus, quod sacros constat definisse canones, vel sanctos apostolicae sedis praesules clarum est statuisse; et de eo qui ad proximam sanguinis sui ingreditur — huius tanti piaculi lepram melius ad sacerdotis considerationem et iudicium profecto dirigimus — N. XXX. — De eo, qui nolens hominem interfecerit, id statuimus quod sacrae regulae statuunt, quas episcopum vestrum apud se, penes vos positum, prae manibus oportet semper habere — N. XXXV. docens quid in apparatu proelii facere eos deceat, nominat inter cetera — confessionem delictorum sacerdotibus facere. N. XXXVI. — Libros, quos vobis ad praesens necessarios esse consideramus, sicut poscitis, animo gratanti concedimus, et plures Deo largiente praestare desideramus. N. XXXIX. De connubiis, inter quos nefas sit ea inire, leges recitat, atque addit — sacri vero canones, et praecipue Zachariae summi praesulis decreta, quid hinc promulgent episcopo vestro vobis explorandum relinquimus. N. XLVIII. Uxorem ducere et convivia facere quadragesimali tempore convenire negat, atque adiicit — iterum quid hic sacri canones dicant, episcopo vestro docente scietis. — Num. 4. — Quid de eo, qui quadragesimali tempore cum uxore sua coierit sit iudicandum, episcopi vestri, et sacerdotis, qui ab eo constituetur, arbitrio considerandum et definiendum committimus, qui singulorum mores agnoscere poterunt, et uniuscuiusque vestrum causas, libratis personis ac temporibus, discernere ac moderari debebunt. — LII. de his, qui eunuchos faciunt, vult eos paginas legum

(1) *Num. XIV.*

(2) *Num. XV.*

revolvere — LIV. Quod aiunt Graeci adiri debere ecclesiam constrictis ad pectus manibus, ne aliter faciendo peccetur, negat hoc ullibi praeceptum inveniri; ita et num. LV. de non suscipienda communione sine cingulis. Num. LVII. absonum et frivolum vocat quod Graeci vetent eunucha animalia mactare. Addit tamen — quia ratiocinationem ista dicentium non audimus, nihil interim de assertione ipsorum nondum plene cognita decernere definitive valemus. — N. LIX. de femoralibus dicimus quod in libris nostris iussa sunt femoralia fieri, non ut his mulieres uterentur, sed viri; quod postea ad spiritalem intellectum refert. Num. LXIV. Quot diebus post partum abstinendum a muliere sit, respondet verbis s. Gregorii; itemque num. LXVIII. post quot dies possit mulier ecclesiam intrare postquam genuer t. N. LXIX. allegat canones de duobus per annum diebus baptismi celebrandi. N. LXXIX. De patriarcha, episcopo, archiepiscopo, ordinandis allegat canonem apostolicum. N. LXXVIII. Qui ad occidendum illos propter catholicam religionem insurrexerant, si poenitentiam agere voluerint, recipiendos esse ait, et per omnia poenitentiae submittendos, quam episcopus vel presbyter ordinatus ab illo consideraverit. N. LXXXIV. de calumniatoribus. — Quamvis venerandae leges abunde quod iustum est innuant, nos tamen (inquit) potius cum apostolo vos ad misericordiae viscera, quam se Deus super sacrificium velle testatur, semper conveuit exhortari. — N. XC. de animalibus, si sine ferro mactentur, an ea comedere liceat? respondet s. Augustini verbis. Num. XCV. de criminosis ad ecclesiam confugientibus — quamvis ea sacri canones quae leges mundanae sanciunt, custodiendo flagitent, et leges circa quosdam misericordes appareant; nos tamen, ait, qui non spiritum huius mundi suscepimus, si quisquam ad ecclesiam fugerit, non illum, nisi sua voluerit sponte, ab ea dicimus educendum. N. XCIX. An christianus intra ecclesiam sepeliendus sit, respondet s. Gregorii verbis. Ad quaestionem CIV. de baptizatis a iudaeo, allegat s. Ambrosium, et verba s. Augustini. Denique Num. CVI. concludit. — verum in his omnibus aderit misericordia Dei missis nostris, et futuro episcopo vestro, qui vos instruant et quid agere debeatis abundanter erudiant. Sed et illi sive nunc, sive post haec, semper in rebus dubiis, et negotiis maioribus sedem, totius ecclesiae more, consulent apostolicam. —

14. Videamus nunc quid ex his colligi possit. 1. Plures libros Bulgaris a Nicolao missos. Nominat enim c. 1. libros divinae legis; et praeterea hic, et num. XXXVII. libros, quos viderat illis necessarios. Nominat leges saepe, et leges mundanas N. XIII; et venerandas leges N. II. XIX. XXVI. LXXXIV. XCV; paginas legum N. LII; legum scita N. XXI. Ex 1. institutionum libro verba recitat N. II; has N. XCV. distinguit a sacris canonibus. Sacros canones appellat N. IX. XXXIX. XLVIII. XCV. Hos sacras regulas nuncupat N. XXX; sacra decretalia num. IV; sacros canones, vel sanctos apostolicae sedis praesules, num. XXVIII; ex quibus verbis planum est codicem appellare, qualis erat dionysianus, in quo et conciliorum canones, et romanorum Pontificum epistolae contine-

bantur. Sacros tamen canones ex N. IX. nondum ad eos miserat, sed tradere volebat episcopo consecrando. Rationem dat N. XIII, quod nullus sit, qui interpretari illis posset: immo cum adiicit, ita missis suis dedisse mundanas leges, ut nolit ibi reliqui, ne aliquis perverse eis illas interpretetur, aut falsitate qualibet violet, hanc veluti potiorem causam significat de sacris canonibus non missis. Colligi potest 2. *quos ipse sacrorum canonum nomine intelligat, ex iis nimirum quos innuit. Sunt autem canones apostolici N. LXXII. Canones de eo, qui volens hominem interfecerit, N. XXX. De vetitis inter consanguineos connubiis N. XXXIX. De nuptiis et convivis quadragesimali tempore vetitis est laodicenus LII. De baptismi temporibus Siricii epistola ad Himerium. De adulteris admittendis in ecclesiam ad poenitentiam canon ancyranus XX. De personis, quibus connubia inire non licet, extant, ut diximus, canones concilii romani A.* 741. *sub Gregorio II; qui cum idipsum iubeant quod canones alterius concilii romani A.* 743. *sub Zacharia* (1), *novum non est ut unum pro alio alleget: sicuti etiam canonum nomine apud antiquos venire aliquando Pontificum decretales epistolas, iam animadversum ab aliis est, praesertim a Ballerinis* (2). *Atque ex hactenus dictis constat, Nicolaum nonnisi quae in dionysiano codice, seu hadrianeo, erant allegare. Non ergo aliae erant canonicae regulae, et decreta a romana ecclesia recepta, adeoque nullus hactenus probatus poenitentialis liber.*

15. *Idem mihi confirmare posse videor ex Reginone, qui ipso Nicolai saeculo floruit, sed aetate posterior fuit, cum canonum collectionem suam scripserit post concilium triburiense A.* 895; *ut ipse in libro* 2. *suorum chronicorum testatur: nam eius sunt verba quae alias adduximus, — ut presbyter habeat poenitentiale romanum, vel a Theodoro episcopo, aut a ven. Beda editum —: ex quibus verbis cum eodem loco tres hos libellos poenitentiales habere ostendat, eruitur poenitentialem romanum eam auctoritatem, quam quaerimus, non habuisse. Idem confirmat Rodulphus bituricensis, qui Nicolao aequalis fuit, et ad eum extat Nicolai epistola ex recens. Labb. XIX. append.* (3) *Non enim poenitentialibus omnibus adeo generatim succenseret, si extitisset Nicolai tempore probatus et apostolica auctoritate firmatus liber poenitentialis. Non sibi illum laborem sumpsisset, ut pro libris poenitentialibus, quos abrogatos volebat, decreta illa conderet, et non potius poenitentiale romanum subrogandum censuisset. Nullum ergo fuit canonicum, et pontificia auctoritate suffultum poenitentiale romanum toto saeculo IX, quo Nicolaus et Rodulphus vixere; et initio seculi X, quo floruit Regino. De consequentibus aetatibus idem affirmare possumus vel ex capitulari Attonis cardinalis scribentis saec. XI. iam adulto; vel ex Burchardi, cuius antea verba produximus de poenitentiali libro, quem unusquisque sacerdos habeat — secundum canonum auctoritatem, et iuxta sententias trium poenitentialium Theodori episcopi, et romanorum Pontificum, et Bedae —. Manifestum est nomine poenitentialis*

(1) *Hard. Tom. III. col.* 1927.
(2) *To. III. op. s. Leonis pag. LVI.*
(3) *Tom. VIII. col.* 504.

romanorum Pontificum intelligere poenitentialem romanum. At cur hoc non satis est? cur alios duos poenitentiales addit Theodori, et Bedae? cur eodem loco omnes habet? Nonne hoc significat, nomen quidem Pontificum romanorum habuisse, non tamen auctoritatem et approbationem prae se tulisse? Ab eo tempore certum est nullum alicuius nominis poenitentialem librum proferri, nec a romanis Pontificibus esse approbatum.

16. *Hactenus probavimus poenitentialem libellum usu romanae ecclesiae, vel Pontificum auctoritate suffultum non fuisse. Sed necesse est, ut explicemus quem hactenus libellum poeniteutialis libelli nomine intellexerimus: nimirum qui in eo versatur, ut singulis criminibus poenitentiarum modum assignet. Hi vulgo poenitentiales libri vocantur; hos, quando hoc nomine utimur, intelligimus. Sed fatendum est, alios olim illos fuisse, diversa textura et ratione satis dissimili constructos. Quod quidem intelligere possumus vel ex libellis poenitentialibus quos Morinus protulit, et ex ordinibus martenianis; adhuc autem ex vetustissimis apud alios poenitentialibus. Et moriniani quidem antiquiores breviter in poenarum mensura constituenda versantur: toti ferme sunt in precibus praescribendis, in vitiis explicandis, instituendisque sacerdotibus vel poenitentibus. Sic in eo, quem profert Egberti, post prooemium habetur titulus et doctrina de capitalibus criminibus. Hinc — incipit qualiter suscipi debeant poenitentes. — Est autem admonitio sacerdotibus. Sequuntur preces, et confessio illa, quae dicitur generalis, titulo — confessio peccatorum —. Postea per modum confessionis enumerantur crimina omnia; quod confessionis genus Morinus ipse adnotavit, non exemplum esse confessionis poenitentis alicuius (nam esse non potest ut peccata illa omnia et quae ad genera personarum diversa spectant, unus aliquis commiserit) sed ad confessarii eruditionem positum. Additur alia confessio, quae nil aliud est, quam fidei professio, seu fidei formula. Rursum aliae preces et psalmi indicantur, quos sacerdos recitet. Hic videtur finis impositus excerpto et vetusto aliquo poenitentiali. Nam ponitur novus titulus: — incipit ordo ad poenitentiam dandam, et iudicandum. Prius dicit episcopus — credis in Deum, patrem omnipotentem, et filium, et spiritum sanctum? ℟. Credo. Credis etc. — Adduntur interrogationes poenitenti, atque hic breviter poenitentiae criminibus assignantur. Alia confessio poenitentis nomine, immo plures subiiciuntur: denique ordo spectans ad poenitentiam publicam. Similis est his excerptionibus poenitentialis liber, quem subdit Morinus ex codice siculo. Sed maxime notabilis tolosanus, quem Morinus ibi habet, et insignem esse admonet, quod singillatim ritus vel minutulos describit, quibus poenitentia privatim et publice imponitur, ac reconciliatio sollemniter vel privatim datur. Nam solummodo dicitur — deinde iubeat eum sacerdos surgere, et cum steterit super pedes suos, cum timore et tremore praestoletur iudicium sacerdotis, et indicat ei sacerdos abstinentiam sive observantiam, perpendens subtiliter personae qualitatem, modum culpae, intentionem animi, et corporis valetudinem vel imbecillitatem. — Morinus ideo putat poenas pre-*

catis debitas nullus singillatim enunciari, sed generaliter dici — confessum expectare oportere humiliter ac reverenter iudicium sacerdotis —; quia specialis istarum poenarum aestimatio et assignatio ad poenitentiales libros pertineret, non ad sacramentorum et divinorum officiorum ordines. Sed codicem hunc, quem Morinus exhibet, verum censeo et antiquum esse librum poenitentialem. Nam cum habeatur fusior instructio sacerdotis, et omnia doceantur quae facere debeat; tamen alius liber poenitentialis, unde petere mensuram poenitentiarum debeat, non nominatur, nec verbulo uno indicatur. Deinde fusior doctrina proponitur de vitiis omnibus, eorum radice, virtutibus contrariis etc.; et ut Morinus fatetur, insunt admonitiones unicuique faciendae ex septem vitiis, ita ut sacerdos instruatur qua ratione poenitentes admonere possit, et vitiorum odium virtutisque amorem in eorum animis ingenerare. Si alius fuisset poenitentialis liber, haec in eum potius coniicienda erant. Additur confessio generalis omnium prope peccatorum singillatim enuntiandorum in confessione privata, quae ut omnia unus homo perpetraverit, ut diximus, numquam tibi persuadeas. Erat ergo hoc ad sacerdotis institutionem, de quibus interrogare poenitentem posset.

17. Hoc idem mire confirmat primus liber poenitentialis muratorianus, ubi nulla poenitentiarum impositio est. Sed nihil magis, quam quod in Halitgarii poenitentialis antiquissimo codice reperi. Libros V., ut superius dixi, poenitentialis Halitgarii edidit Canisius; sextum Menardus (1), et Morinus (2). Sed Stevartius quoque hunc sextum protulit alium a sexto Menardi. Canisius quoque subiunctum libris V. Halitgarii invenerat libellum alium, quem ei ex coniectura adscripsit, qui ante epistolam illam Hormisdae continet preces ad dandam poenitentiam, quae incipiunt ab illis quae sunt in libro VI Halitgarii apud Menardum et Morinum. In primis dicit psalmum XXXVII. cum consequentibus omnibus, quae isthic continentur, ita ut sit idem Halitgarii liber VI., nisi quod desunt quae pertinent ad iudicia poenitentis. Haec varietas dubium Halitgarii nomine quod circumfertur opus facere videtur. Est praeterea aliud, quod difficultatem iniicit: nam praefatio Halitgarii sic apud Menardum et Morinum habet. — Addimus etiam huic operi excerptionis nostrae poenitentialem romanum alterum, quem de scrinio romanae ecclesiae assumpsimus, attamen a quo sit editus ignoramus. Idcirco adnectendum praescriptis canonum sententiis decrevimus, ut si forte hae prolatae sententiae alicui superfluae sint visae, aut penitus quae desiderat ibi de singulorum criminibus nequiverit invenire, in hac saltem brevitate novissime omnium scelera forsitan inveniet explicata. — Si alterum hunc libellum poenitentialem dicit, necesse est esse primum, quem protulerit poenitentialem romanum. Vidit hoc Menardus; itaque ad hunc locum scripsit: — hunc poenitentialem alterum dicit, quia antea lib. IV. posuit poenitentialem ex antiquorum conciliorum canonibus excerptum. — Verum non modo lib. IV. canonicas sententias quasdam ex veterum scriptis de criminibus et criminosis pro-

(1) *Ad sacram s. Gregorii.* (2) *In app. lib. de poen.*

dit; sed toto ferme lib. V.; et cum sententiae lib. IV. sint ex concilio agathensi, eliberitano, bracharensis, toletano, ilerdensi, patet ex dictis poenitentiali romanorum Pontificum, qui canones hos in codice suo non habebant, non convenire. Dicam ergo quomodo se habeat codex noster, scriptus saltem seculo X, post I. librum, qui, ut in vulgatis, est de remediis vitiorum, et alterum de virtutibus, legitur interpositus. — Incipit ordo poenitentiae. Cum venerit poenitens ad confitendum, dicat sacerdos intra se orationem: domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut digne possim tibi gratias agere etc. — Sequuntur orationes et preces aliae, adhortatio ad poenitentiam, et inquisitio de peccatis haec: — post haec inquiratur a sacerdote de peccatis, de adulterio, de fornicatione, de furto —. Subiicitur interrogatio, an poenitens peccata commissa plangere velit, et amplius ad ea non reverti. Iterum preces; et deinde — missa, quam sacerdos pro sibi confesso canere debet. — Quis dubitet hunc esse poenitentialem romanum primum? Atqui nulla est poenitentiarum taxatio. Post hunc poenitentialem libellum, sive ordinem poenitentiae, sequuntur in codice liber III. IV. et V. ut in editis, quo postremo finito cum clausula — explicit lib. V. Halitgarii episcopi de regulis canonice prolatis — . VI. liber nihil aliud continet, quam patrum sententias de poenitentia, sancti Isidori, Gregorii, Gennadii, Augustini, Iov. Chrysostomi; iterum Gregorii, et Augustini. In praefatione vero haec de isto VI. libro dicuntur. — Sextus quoque ponitur libellus de poenitentia, qui non est ex labore nostrae excerptionis, sed assumptus de scrinio romanae ecclesiae, in quo multa ac diversa continentur, quae in canonibus non habentur; tamen simplicioribus, qui maiora non valent capere, poterit prodesse. — Haec est ratio, atque textura poenitentialis Halitgarii, iuxta quam iudico esse hunc sincerum ac genuinum eius foetum; editum vero manus passum interpolatorum, quibus visum non est consistere posse poenitentialem libellum sine poenitentiarum assignatione singulis criminibus: itaque etiam particulam praefationis de VI. libro immutarunt.

18. Nec mirum hoc accidet iis, qui norunt libris hisce ecclesiasticis additamenta posterioribus aetatibus fieri solere quamplurima. Interpolationes passum esse poenitentialem Bedae, romanum, Reginonis etc. probat Morinus fuse (1); *sed diligentius etiam et docte cll. Ballerinii* (2); *qui postquam adnotarunt, in regendis poenitentibus olim coepisse canonum decreta ac dicta patrum colligi, ita ut libri poenitentiales essent ex canonum, Pontificum, ac patrum, sententiis compacti, ita ut inter collectiones canonum hi libri recenseri possint; singillatim de Theodori cantuariensis, Bedae, Egberti, poenitentialibus disserunt: et de primo idest Theodori, haec habent. — Theodori cantuariensis anno 690. defuncti poenitentiale editum Parisiis a Iacobo Petito ex duobus mss. thuaneis, integrum non est: ac propterea idem Petitus non pauca eius poenitentialis fragmenta, quae ex aliis auctoribus sedulo collegit, adiicere coactus fuit. Cum vero multa alio ordine et aliis quandoque verbis repetita inveniantur in capitulis Theodori ex ms.*

(1) *Lib. VII. cap. 15.*

(2) *Tom. III. oper. s. Leonis p. CCLXIII.*

corbeiensi editis a Luca Dacherio, vehemens suspicio est tum in hoc codice, tum in duobus illis thuaneis, aliisque eiusdem generis mss. non contineri ipsum poenitentiale Theodori, aut eius fragmenta; sed a diversis studiosis viris in iis codicibus collecta fuisse hinc et hinc Theodori capitula, quae in posterioribus poenitentialibus ex Theodoro allegata fuere. Enimvero in capitulis, quae ex thuaneis mss., et ex corbeiensi, vulgata fuere, allegatur ipse Theodorus, quod germano ipsius exemplo convenire nequit. Sic enim cap. XII. apud Petitum: — ergo unam licentiam dedit Theodorus —. Et cap. XXI. apud Dacherium Theodorus dicit: — nos autem pro misericordia. — Haec viri docti de poenitentiali Theodori. Iidem de Bedae poenitentiali haec habent. — Bedae poenitentiale a multis laudatur. Is poenitentiale Theodori auxisse creditur. Hoc sane poenitentiale in suum fere transtulit . . . Hoc ipsum poenitentiale Bedae non multo post alienis additamentis auctum testatur Egbertus. In poenitentiali Bedae, inquit, plura inveniuntur utilia, plura tamen inveniuntur ab aliis inserta, quae nec canonibus nec aliis poenitentialibus conveniunt. — Hoc autem poenitentiale Bedae ad nos purum non pervenit. Ipsi quidem tribuitur liber de remediis peccatorum, qui etiam poenitentiale appellari solet. Sed huius auctorem Egbertum eboracensem credimus. Bedae sane non posse adscribi, palam fit ex cap. I. eiusdem operis, in quo ter Beda laudatur . . . . Tom. IV. anecdotorum Martenii collectio antiqua canonum poenitentinlium exhibetur, quam P. Dominicus Mansius Bedae tribuendam existimat. Non assentimur; plura enim decreta ibidem desunt, quae Bedae poenitentiali erant inserta. — Denique de Egberto Ballerinii scribunt, duo eius opera memorari; primum excerptiones, de quibus ita censent. — Hae excerptiones, licet ex ampliori opere ipsius Egberti sumptae sint, non tamen Egbertum, sed Auctarium habent auctorem. — Alterum opus de sacerdotali iure, de quo aiunt integrum nondum in lucem prodiisse, quasdam tantum particulas esse editas. Addunt tertium opus de remediis peccatorum, quod tamen eiusdem operis particulam credunt. Aliam quoque eiusdem operis partem aiunt videri posse excerptum de canonibus catholicorum patrum, quod edidit Morinus; verum hunc titulum non congruere corpori ipsius opusculi, in quo nihil ex canonibus profertur, sed describuntur rituales preces et ordo in reconciliatione poenitentium: praemissa esse duo capita sumpta ex cap. I. et V. libri de remediis peccatorum. Opus, quod nomine poenitentialis edidit Spelmannus, particulam esse maioris operis in quatuor libros distincti; ex ipsis autem praefationibus palam fieri, hoc opus a privato aliquo auctore fuisse scriptum praecepto alicuius sive abbatis, sive episcopi, nec Egberto ullo modo convenire. Hoc est eruditorum virorum de celeberrimis poenitentialibus iudicium, ex quo videre licet verum esse quod dicimus de interpolatione poenitentialium librorum; ut quales vere fuerint, ex iis, quos nunc habemus, non liceat aestimare. Nonnihil tamen coniectando assequi possumus, nimirum tria fuisse complexos; quorum primum preces, et ordinem ad faciendam poenitentiam. 2. Doctrinam de praecipuis

peccatis, et praesertim radicibus peccatorum. 3. *Collectionem canonum, quibus peccatis quibusdam certae poenae definiebantur, ex quibus singularibus causis posset sacerdos colligere quam poenam ceteris peccatis assignaret. De precibus diximus, atque his referti sunt libelli poenitentiales apud Morinum, et ordines Martenii; nihil vero habent poenitentiales Augustinii, romanus, Bedae, Rhabani, ex quo coniicere licet in usu nullius ecclesiae fuisse. Alterum erat, quod pertinebat ad institutionem sacerdotis de vitiis praesertim et peccatis. Huius rei vestigium apparet in Augustinii poenitentiali libro* (1) *ubi inducitur sacerdos poenitenti dicens: — nunc tibi octo principalia vita explicabo; si in illis te percussum, tactum, vulneratum sentis, vide ne me celes; idest superbiam, vanam gloriam, invidiam, iram, tristitiam, avaritiam, ventris ingluviem, luxuriam. Ex quibus si te culpabilem recognoscis, poenitentiam suscipe: nam ex his omnia vitia oriuntur. — Et mox* (2) *concilium moguntiense nominat, — ut unusquisque presbyter octo principalia vitia per ordinem sciat. — Id autem nunc legitur in canone XIII. remensis conc. II. an.* 813. (3) — *Ventilata est ratio octo principalium vitiorum, ut unusquisque diversitatem illorum sciret, et ab illis, Domino auxiliante, se intelligeret custodire, et aliis praedicare.— Eadem leges in poenitentialibus Morini, et apud Burchardum* (4) *aliosque. Quomodo vero haec doctrina ad confessionem iuvet, explicat Theodulphus aurelianensis:* (5) — *octo sunt, ipse quoque ait, principalia vitia, sine quibus vix ullus inveniri potest. Est primo gastrimargia, hoc est ventris ingluvies; secundo fornicatio; tertio accidia, sive tristitia; quarto avaritia; quinto vana gloria; sexto invidia; septimo ira; octavo superbia. Quando ergo quis ad confessionem venit, diligenter debet inquiri, quomodo aut qua occasione peccatum perpetraverit, quod peregisse se confitetur, et iuxta modum facti debet ei poenitentia indicari . . . Debet ei etiam iniungi, ut de octo principalibus vitiis faciat suam confessionem, et nominatim ei debet sacerdos unumquodque vitium dicere, et suam de eo confessionem accipere.—Pertinebat ergo haec doctrina ad examen peccatorum. Supervacaneum puto admonere, octo capitalia seu principalia vitia a veteribus numerata fuisse, quod distinguerent, et in hunc numerum referrent, superbiam, et vanam gloriam. Sic etiam octo numerat Cassianus* (6), *aliique. S. Gregorius septem facit* (7), *quod eorum matrem, ut vocat, deponat superbiam, et vanam gloriam solum in illum numerum coniiciat. Poenitentiale Bedae de capitalibus vitiis agit, sed numeratis iis, quae supra recensuimus, ait Augustinum capitalibus adiungere sacrilegium, idest sacrarum rerum furtum, quod maximum furtum est, et superstitionem. Hinc scribit: pro capitalibus istis criminibus patres iubere eleemosynas largas fieri, et longi temporis ieiunium; laicum poenitere debere* 4. *annos, cle-*

(1) *Tit. IX. cap.* 16.
(2) *Ib. cap.* 18.
(3) *Coll. Hard. Tom. IV. col.* 1019.
(4) *Lib. XIX. cap.* 6.
(5) *Cap.* 31.
(6) *L. V. de inst. cap.* 1. *et coll. V. c.* 2. *et* 10.
(7) *L. XXXI. moral. c.* 45. *n.* 87.

ricum 5; subdiaconum 6; diaconum 7; presbyterum 10; episcopum 12, si consuetudo erat. Subdit caput VI. De minoribus peccatis, ubi de furto ait, falso testimonio, et similibus, laicus an. 1; clericus 2; subdiaconus 3. diaconus 4; presbyter; episcopus 7. annos poeniteat. — Apparet ergo Bedam capitalia vitia nominare comparate ad alia, quae vocat minora, et ut generatim utrisque poenitentiarum modum assignet. Hinc credo esse veterum poenitentialium vestigia, in quibus post institutionem sacerdotum norma quaedam continebatur poenitentiarum imponendarum, non singulis peccatis definiendo poenam, sed generatim, seu aliquibus dumtaxat, quibus veteres canones praefininiti erant; eratque hoc tertium ex iis quae veteres poenitentiales libros continere superius dixi. Argumentum vero huius sumo ex eo quod legitur apud Alcuinum (1), Burchardum (2), Gratianum (3). — Extant pro quibusdum culpis poenitentiae modi impositi, iuxta quos ceterae perpendendae sunt causae; cum sit facile per eosdem modos vindictam et censuram canonum aestimare. — Ratio illa erat quam superius dedimus, a varietate et multitudine adiunctorum atque circumstantiarum, quae plus minusve peccata gravare possunt. Quare arbitrio episcopi vel sacerdotis res tota committebatur. Unde Dacherii poenitentiale, quod antiquissimum ipse vocat, scribit: — mensuram temporis in agenda poenitentia non satis attente praefigere canones pro unoque crimine, sed magis relinquere arbitrio antistitis. — Atque haec ipsa dacheriana, de qua dicimus, canonum poenitentialium collectio testis est veteris, quam exponimus, disciplinae. Et vir quidem doctus, qui eam edidit eiusque antiquitatem praedicat, ita ut censeat Halitgarium dum poenitentiale suum conderet, ob oculos eam habuisse, miratur cur titulum ferat — collectio canonum poenitentialium — scribitque rectius appellari debuisse — collectio canonum —; nisi auctor poenitentialium nomen apposuisset, — additque — certe ex praefatione apparet, ipsius mentem fuisse, ut modum poenitentiae sacris canonibus praescriptum traderet. Et liber 1. fere peccatorum poenas definit: at reliqui duo potius spectant disciplinam iudiciorum ecclesiasticorum. Siquidem secundus maxime de accusatis, et accusantibus, de iudiciis ac testibus, ut loquitur auctor: tertius de sacris ordinibus, seu de iis qui promovendi sunt ad clerum, aut ab eo removendi, ac de regulis ac privilegiis omnium clericorum et praesulum tractat. — At quid vir eruditus dixisset, et quantum miratus esset, si capitulare Attonis cardinalis videre potuisset, quod quidem nihil eum voluisse esse aliud, quam librum poenitentialem, id probat quod in praefatione habet. Vult enim subrogari poenitentiali romano apocrypho, et rusticano stylo scripto, quo presbyteri sui utebantur. Atqui illud nihil nisi effata Pontificum et patrum continet, de poenarum mensura tacet. Quid etiam, si legisset a Balutio postea vulgatum Rodulphi bituricensis capitulare, quod se idem scripsisse testatur, ut oblitteraret poenitentiales libellos quosdam, qui tunc circumferebantur? Atqui ca-

(1) *De eccl. off. de cap. ieiun.*
(2) *Part. XV. c. 19.*
(3) *Diss. 1. de poenit. c. 86.*

pitula habet — de fide sanctae trinitatis, qualiter tenenda sit a presbyteris et praedicanda: de honore et restauratione ecclesiarum: ut missa nequaquam alibi, nisi in ecclesia celebretur: — atque ita deinceps de sepulturis, de libris et vestimentis ecclesiasticis, de servanda eucharistia, de vita et moribus sacerdotum etc. Solum ex XLV. capitibus, in postremis V. aut VI. mensura praescripta poenitentiarum invenitur. Erat nimirum hoc veteris disciplinae, et antiquorum huiusmodi libellorum poenitentialium indoles atque textura, ut sacerdotibus instituendis informandisque in iis quae sacerdotalis muneris erant scriberetur; quemadmodum opera, quae nunc moralis vocantur theologiae, habemus; et fuere illorum librorum loco, quae scribi postea coeptae sunt, et summae appellatae, quarum dicitur auctor fuisse s. Raymundus. De poenitentiarum mensura minus laborant, quod certa fixaque pro peccatis et personis omnibus definiri non posset, et satis esse putabant, exempla quaedam dumtaxat quasi normam praestituere. Quare libri poenitentiales (ut summatim repetam quae hactenus dixi) rituale quoddam continebant primo, cuius usus in administrando etiam a privatis sacerdotibus sacramento poenitentiae; deinde institutionem omnium, quae nosse eorum muneris erat; tertio poenas quasdam nonnullis criminibus praefinitas. Hoc postremum credo factum collectione quadam instituta canonum conciliorum ancyrani, africanorum, qui apud occidentales probati erant, et animadversiones continebant peccatorum quorumdam. —

19. *Unde ergo dissimilium libellorum nata multitudo? Convenit apud omnes, Theodorum cantuariensem primum fuisse, qui novae huius formae poenitentialem ediderit, et in occidentem graecus homo Graecorum disciplinam inferre conatus sit. Noti sunt enim orientalium patrum canones, seu libelli, quibus severior quaedam disciplina ex synodorum vetustioribus canonibus seu traditione, quae apud eos invaluerat, constituitur: quo in numero Morinus* (1) *nominat ancyranos canones, Petri alexandrini, Gregorii thaumaturgi, Gregorii nysseni, s. Basilii opuscula. Verum solos ancyranos canones in occidentali, et maxime in romana ecclesia, nominari audimus. Opuscula etiam illa, aliaque, quae cum commentariis Graecorum Beveregius in pandectis suis collegit, non huiusce generis sunt. Dionysii alexandrini canones sunt de quaestionibus, qua hora paschale ieiunium solvi debeat; de mulieribus quae sunt in abscessu, an eas oporteat ecclesiam ingredi; vel quo tempore coniuges abstinere debeant a congressu; an qui non voluntarium nocturno tempore seminis fluxum passus sit, sacramentorum particeps esse possit. Petri alexandrini canones versantur omnes in quaestione, utrum lapsi admittendi sint ad poenitentiam; item de iis, qui sponte se obtulerunt persequutoribus, vel fugerunt; de iis, qui non sponte, sed ab aliis constricti, libationes idolis obtulere; de ieiuniis quarta, et sexta feria. Epistola canonica Gregorii neocaesariensis est de christianis, qui a barbaris capti, quae ipsis apponebantur idolothyta comederunt; de aliis, qui tempore incursio-*

(1) *Praefat. in append.*

nis barbarorum res corripuerunt quae depraedationem captivorum fugerant; de captivis etiam qui postquam barbaricas manus effugerant, vi ab aliis detinebantur; de aliis qui a barbaris capti horum infidelitati consenserant; utrum et qua ratione admittendi hi sint ad poenitentiam. Sequitur in Graecorum collectione s. Athanasii epistola ad Ammum monachum, ubi primum docet immundam non esse excretionem seminis, quae vel morbo, vel in somnis fit. Alia deinde, quae inscribitur de festis; est autem recensio divinorum et canonicorum librorum. Tertia eiusdem epistola agit de lapsis, et de his rebus conciliorum in Graecia atque etiam in Hispania et Gallia decretum, ut venia detur resipiscentibus, non autem locus in clero. Idem dicas de aliorum responsis canonicis, quae in Graecorum iure apponuntur; responsis canonicis Timothei alexandrini, Cyrilli etc. an qui adhuc catechumenus, oblationi praesens, de ea participare debeat, postea baptizari, an baptizari debeat arreptus a daemone, itemque qui emotae mentis sit? De eo, qui de possessa iam ecclesia eiiciatur, vel non sponte sua se ecclesia abdicat etc. Tres sunt epistolae Basilii, canonicae appellatae, quae huc facere videntur, et in operibus numerantur 188. 199. 217. Sed hae in codicem Dionysii relatae non sunt, ut vidimus; nec iudicia ecclesiastica canonice apud Latinos facta, nisi ex conciliis quae supra retulimus, et epistolis romanorum Pontificum quas nominavimus. Primus ergo VII. seculo Theodorus orientalium disciplinam in occidentem intulit, teste Morino qui diserte scripsit: (1) — innovationis, quae in ecclesia latina facta est, origo et occasio prima fuit Theodori poenitentialis ille liber, Graecorum imitatione compositus, et annis viginti quinque, aut paullo minus, ante an. 700. in Anglia editus, et paullo post per universam ecclesiam latinam divulgatus et celebratus. — Quamobrem non est, quod antiquiorem id genus poenitentialem librum investigemus. Morinus quidem alibi (2) poenitentialium antiquitatem a Cypriani aevo repetere se posse putavit ex eo quod scripsit ad Antonianum (3), — ut examinarentur causae et voluntates et necessitates singulorum, secundum quod libello continetur, quem ad te pervenisse confido, ubi singula placitorum (peccatorum legit Morinus) (4) capita conscripta sunt. — Sed nihil minus ex hoc nobis loco, quam Morino videtur. Constat enim legenti epistolam illam nihil aliud eo libello contentum, quam quid simul convocati episcopi de lapsis iudicassent, iis temporum adiunctis, quae Cyprianus explicat, ita ut nec — in totum spes communicationis et pacis lapsis negaretur, ne plus desperatione deficerent; nec tamen rursus censura evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent; sed traheretur diu poenitentia, et rogaretur dolenter paterna clementia, examinarentur causae et voluntates et necessitates singulorum. — Synodale ergo decretum recens factum, et tempori illi accomodatum, libellus ille continebat. Hinc potius poenitentialium libellorum, quales proferuntur, negatur necessitas, et antiquitas in dubium revocatur. Sunt

(1) L. VIII cap. I. n. 16.
(2) L. IV. cap. 17. n. 2. et L. IX. c. 25. n. 8.
(3) Ep. 52.
(4) In praef. append.

enim libelli poenitentiales, quales nunc quaerimus, qui praecise unicuique crimini certum fixumque et stabile poenitentiae genus aut tempus praefiniunt. Idem ex aliis Cypriani locis probatur, in quibus aut consulitur ab aliis episcopis de poenitentiae intervallo, aut consultus respondet. Nam episcopis sex (1) cum eum consuluissent de lapsis ob acerrimos cruciatus intentatos postquam antea gloriosam confessionem ediderant, respondet — existimomus ad deprecandam clementiam Domini posse sufficere quod triennio iugiter ac dolenter, ut scribitis, cum summa poenitentioe lamentatione planxerunt. Epistola alia (2) Caledonius Cyprianum consulit de iis, qui tormentorum vi fidem negaverant, postea Christum confessi, tormentis deiici a fide nullo modo potuerant, atque ideo in exilium missi fuerant, et facultates eorum fisco addictae; an scilicet antequam in exilium pergerent, reconciliationem adipisci deberent. Scribit ergo Caledonius — quamvis mihi videantur debere pacem accipere, tamen ad consultum vestrum eos dimisi, ne videar aliquid temere praesumere. Si quid ergo ex communi consilio placuerit, scribite mihi. — Sed de lapsis in persequutione, quomodo tractandi essent, multae sunt Cypriani ipsius epistolae, qui non modo episcopis in Africa, sed clero ipsi romano, vacante sede, quaestionem proponit. Non erat ergo Cypriani libellus is, ut in eo res ista definiretur, et quid faciendum perpetuo omnibus esset praescriberetur. Tempore ergo Cypriani poenitentialis ille liber, qualem isti volunt, nondum erat; quod magis etiam constat ex aliis casibus dissimilibus, ne sit qui dicat, priores illos extraordinarios esse, ut auctoribus illorum libellorum cogitandum non esset de illis. Etsi illis temporibus frequentissimi illi erant, ferventibus scilicet persequutionibus, et ut apparet ex libro Cypriani de lapsis, multis deficientibus a fide. Cum (3) Pomponius consuluisset Cyprianum et episcopos alios, qua ratione animadvertendum esset in virgines sacras, quae in eodem lecto deprehensae cum viris fuerant; Cyprianus quatuor episcopos cum multis presbyteris in concilium se vocasse ait, et quid faciendum sit monet. Non ergo libellus erat, qui casus etiam non infrequentes referret, et poenitentiae disciplinam perscriberet.

20. Quod praeterea Morinus asseruit, a Theodoro cantuariensi Graecorum imitatione compositum librum poenitentialem, an verum sit valde dubito; an Ioh. Clei, bollandiani viri docti sententio valere debeat, qui (4) perpensis veterum de eo poenitentiali testimoniis in hanc suspicionem delapsus est: — unde inhaeret mihi aliqualis dubitatio, an forte inter plurimos libros graecos, quos secum in Angliam invexit, poenitentialis liber orientalium quispiam fuerit; cui quod eo s. Theodorus quandoque uteretur, quodque illum in decretis aliquoties citaret, Theodori, tamquam auctoris, nomen adhaeserit. Nescio enim an consultum archiepiscopo, homini graeco, atque eo nomine pontifici utcumque suspecto, videri po-

(1) Epist. 53.
(2) Epist. 18.
(3) Epist. 62.

(4) Ad d. 19. sept. in comm. praevio ad vitam Theodori num. 84.

tuerit, quod tamen illi laudi adscribunt plurimi posteriores scriptores, regularum poenitentialium usum, qui nullus adhuc fuerat in latina ecclesia, in occidentem invehere. — Ostendit postea idem A. bollandianus inter ea capitula, quae Theodoro adscribuntur, inesse aliqua, quae graecanicos errores aperte sapiunt: ut laicus a quo recessit mulier cum consensu episcopi post duos annos aliam accipiat: cuius uxor fornicata est, licere marito eam dimittere, et aliam in matrimonium ducere (1). *Verum etiam postquam poenitentiale Theodori circumferri per occidentem coepit, perseveravit alia ab orientali occidentalis disciplina, idest ut ad episcopos, et praesertim ad ipsum pontificem, vel causas sacerdotes referrent, vel criminum rei confugerent. Itaque Nicolaus saec. IX. iam adulto scribit Rivoladro episcopo: — undique enim venientes admodum plurimi suorum facinorum proditores, quantum dolorem inferant pectori nostro, plus singultu reminiscimur, quam calamo scribi queat. — In concilio lemovicensi A.* 1031. (2) *instituitur narratio vasconis cuiusdam, qui iubente duce, dominum suum occiderat: hinc poenitentia ductus adierat episcopum, ut ab eo poenitentiam acciperet. Episcopus respondit. — Nescio tibi consilium ferre poenitentiae, sed vade quantocius ad Papam romanum: si tibi ille poenitentiam concedit, et ego gaudeo, et confirmo. — Atqui inter exempla poenitentiarum, quae retulimus, erat etiam casus eius, qui iubente domino suo homicidium commiserat: de eo, qui dominum occiderit cap.* 48. *ex fragmentis Theodori apud Petitum* (3). *Cur ergo episcopus ad rom. Pontificem reum misit? nisi quia certa non erat poenitentialium horum in occidente saltem auctoritas.*

21. *Quaere squomodo factum sit, ut Theodori, aliique poenitentiales libri, in tantam auctoritatem venerint? Duae se mihi causae huiusce rei offerunt; quarum* 1. *est eorum, qui vetera decreta complexi sunt, auctoritas, praesertim Burchardi, et Ivonis, qui ex his quoque libris decreta sua collegerunt: etsi vero multum his debeamus, quod nonnulla optimae notae monumenta nobis servaverint, nullo tamen delectu alia protulisse, inscriptiones commutasse, nec eorum auctoritate dumtaxat in probandis monumentis nos fidere oportere, iampridem viri docti adnotarunt, praesertim Antonius Augustinius, et Balutius qui multa Burchardi errata notavit: Burchardum vero Ivonem, et Gratianum sequi solere a multis animadversum est. Iam vero totus Burchardi liber XIX., poenitentialis liber est, seu poenitentialium potius librorum farrago. Nondum nos habere verum Burchardi opus, sed potius epitomem quamdam, hoc quoque eruditi viri observarunt. Cum ergo Burchardi collectio ob rerum, quas complectitur, abundantiam multi probarent, et in suos usus transferrent, hinc sequioribus saeculis poenitentialium multitudo, et quod canones magnis nominibus (licet saepe falsis) insignirentur, pretium. Ante Burchardum, cum alii ei similes extitissent canonum collectores, quorum multorum vix nomina habemus; hinc factum est, ut novi semper poe-*

(1) *V. cap. XI. Tom.* 1. *pag.* 10. *ex recens. Petiti.*

(2) *Tom. VI. Hard. col.* 892.

(3) *Tom.* 1. *pag.* 68.

nitentiales libri contexerentur, et in vulgus spargerentur. Altera et praecipua causa fuit sacerdotum ignorantia, quae quanta esset his aetatibus, alibi exequuti sumus. Cum enim olim soli episcopi et presbyteri pauci iique eruditi populi confessionibus excipiendis adhiberentur, nulla erat horum librorum poenitentialium necessitas. Cum frequentiores factae essent confessiones, et poenitentium multitudo crevisset; oportuit sacerdotes ad id ministerium non paucos adhibere; qui obscuris et indoctis aetatibus cum per se ipsi munere illo defungi non possent, ne praesertim ecclesiastica disciplina in magna criminum licentia solveretur, libelli hi confecti, atque illis traditi. Nondum aliqua sacerdotum institutio prodierat, quae alia ratione illos erudiret. Excogitatis postea illis, quas summas vocarunt, etsi non statim poenitentiales libri desierunt, nihilominus minus frequentari atque expeti coeperunt; donec tandem oblitterati ferme sunt, praesertim longiores, qualem fuisse illum Theodori cantuariensis existimamus. Testimonium huiusce rei perhibent summae ipsae. Diximus de prima earum, idest s. Raymundi summa, poenarum descriptionem aliquam continere. Antiqua et celebris post eam fuit summa dicta Pisanella, quod a Bartholomaeo de s. Concordio ord. praed. pisano, qui initia sec. XIV. vixit, scripta sit. Huic supplementum scripsit Nicolaus de Auximo ord. minor. sive illam per capita iuxta ordinem litterarum alphabeti disposuit: quod ita placuit, ut ea ferme perierit, supplementum vero hoc relictum sit. Iam vero in supplemento hoc (1) ubi quaeritur, quae poenitentia sit pro peccatis singulis iniungenda? respondetur — pro quolibet peccato mortali esset regulariter septennis poenitentia iniungenda. — Et postquam mysticas huiusce numeri significationes quasdam dedit, praesertim a Maria sorore Moysis extra castra eiecta diebus septem (quod ex Bonaventura desumptum est, unde et canones poenitentiales Gratiani decreto subiecti habent) addit, — et ista poenitentia videtur agenda ut plurimum in ieiuniis . . . et ista septennio poenitentia magis, vel minus aspera imponi debet, prout maioritas vel minoritas criminis et circumstantiarum exposcunt. — Nihil praeterea de poenitentiis iniungendis habetur, nec quicquam aliud, nisi ista eadem ceteri veteres summistae Angelus de Clavario in summa dicta Angelica, Baptista Trovamalla in summa Rosella etc. Ignorantiae ergo sacerdotum remedium hoc summarum quaesitum poenitentiales libellos antiquavit. Erant ergo olim poenitentiales libelli conditi, ut imperitiae eorumdem quoquomodo subveniretur.

22. Sed nescio quomodo sermo de poenitentiali romano libro ad alios poenitentiales deflexit. Redeo ergo ad illum, ac repeto: aliquem extitisse poenitentialem romanum librum, Pontificum auctoritate, vel ecclesiae rom. usu probatum, rem valde dubiam mihi videri. Neque hoc tamen facit, ut minus reverentiae poenitentialibus libris, qui circumferuntur, et a viris piis eruditisque ex antiquitatis penu exprompti sunt, deferre debeamus, minusque sint ipsi utiles ad veterem ecclesiarum disciplinam cognoscendam, et severitatem in criminibus puniendis intelligendam.

(1) *V. poenitentia.*

CLUNIACI DESCRIPTIO.

Cluniacum in Aeduis Galliae Celticae, id est in Burgundia, oppidum est, Matiscone civitate milibus passuum sex, Cabilone viginti, Lugduno vigintiquatuor distans. Oppidum ipsum dioeceseos est quidem matisconensis, sed per exemptionem abbati cluniacensi tam in temporalibus quam in spiritualibus subest. In hoc oppido Gulielmus cognomento Pius Aquitaniae dux et Pictavorum comes, quum virili prole careret, monasterium quod Cluniacense dicitur inchoavit, cui Brunonem moribus et doctrina clarum abbatem praefecit anno Domini 894. Hoc monasterium deinde auctum et locupletatum, multos protulit viros magnos, inter quos Oddonem, Odilonem, Maiolum, Hugonem, sanctorum numero adscriptos. Tum Othonem monachum praedicti Hugonis discipulum, mox episcopum ostiensem, et demum Urbanum huius nominis secundum pontificem maximum, qui iisdem fere temporibus, quibus cisterciensis ordo initium habuit, multa monasteria et prioratus suae professionis divi Benedicti in meliorem vivendi formam redigens, cluniacensi monasterio addixit, cluniacensemque ordinem nominari voluit, multisque et admirandis ornamentis et plus quam episcopalibus abbatem cluniacensem insignivit. Nam et chrisma consecrat, et baptismum ordinesque sacros omnibus in sua ditione et ordine constitutis confert, regnum ante se praemittit, Pontificis instar, multis episcopalibus mitris hinc inde vallatum, pallium etiam more metropolitanorum gestat, et pileum ut cardinales insignibus suis imponit, seque cardinalem presbyterum natum, tituli sanctae Caeciliae, litteris inscribit, quod sibi et successoribus a Gelasio secundo pontifice concessum, et a Callisto item secundo approbatum asseverat, et pleraque alia quae longum esset enarrare. Nam consecrando abbati sceptrum ducale et ensis iustitiae insigne exhibetur, et celebraturo sceptrum praefertur, ex Callisti pontificis antea Burgundiae comitis munere, et ruber pileus, quali cardinales utuntur, non praefertur modo sed et altari imponitur. Ex suis monachis quatuor asserunt se habuisse pontifices, Gregorium VII, Victorem III, Urbanum II. et Paschalem II, qui etiam in eo monasterio sepultus est. Protulit idem monasterium et alios viros cum litteris tum vitae sanctitate claros, inter quos Petrum et Renerium abbates, quorum de theologia praeclara scripta extant, et ipsorum corpora multis coruscant miraculis. Habet cluniacensis abbas in temporalibus plurima et ditissima oppida sibi subdita, et barones innumeros vassallos qui ipsius mandatis parent: estque Matisconis civitatis comes et baro; in spiritualibus vero XVI. monasteria, quorum abbates mitram gestant, incredibilemque prioratuum numerum in diversis christiani orbis regionibus; succeditque heres decedentibus tam abbatibus quam prioribus et ceteris monachis sui ordinis, et primi anni proventus quorumcumque beneficiorum percipit. (Haec ad historiam praeteritorum temporum pertinent; nunc enim Cluniaci monasterium nullum est. E.)

DE GALLICA PROFECTIONE

DOMNI PETRI DAMIANI

ET EIUS ULTRAMONTANO ITINERE (1).

1. *Catholicae fidei fundamento balbutiens solidata rusticitas, facundae sibi urbanitatis quodammodo participat praemia, et inculti sermonis conscriptio, luculentae scripturae mercedis sibi vindicat participium: quia cuius doctrina excelsos scripturarum montes cum cervis nequit ascendere, tutum sibi cum ericiis in humili petra valet refugium praeparare. Balbutiat igitur nostra rusticitas, quandoquidem mihi non adest facunda urbanitas, et si polito sermone perorare nequeo, qualicumque modo audeam vel mutire. Explicit prologus.*

2. *Ad multorum itaque aedificationem credimus profuturum, si fidis litterarum tradatur apicibus, qualiter vir reverentissimus Petrus Damianus ostiensis episcopus pro pace cluniacensis monasterii se ipsum postposuit, et pro illius sanctae congregationis quiete se morti ultroneus tradidit. Cluniacense siquidem monasterium ab ipso suae fundationis initio, ita nativa et secura libertate constat esse liberrimum, ut praeter romanum Pontificem, nulli ecclesiasticae vel saeculari personae debeat esse subpositum; divina scilicet disponente clementia, ut quo alicuius terrenae subiectionis pondere levigatur, eo divinae servituti plenius mancipetur; et quo mundanae factioni non reperitur obnoxium, eo monasticae professionis pensum valeat integrum exhibere. Ve-*

(1) *Prodit hoc opusculum ex antiquo codice vaticano 4920, cuius recens quoque apographum in ottoboniano codice 944. vidi. Auctorem constat fuisse sancti viri socium in expeditione. De hoc itinere suo loquitur ipse Petrus Damianus in epist. ad cluniacensem abbatem Hugonem lib. VI. 1. Item ep. 4. Porro in editione operum sancti viri per Caietanum T. IV. p. 459. sqq. leguntur eius legationis documenta; Alexandri scilicet II. papae litteras, decretum synodi cabilonensis, et narratio brevis quaedam rei Cluniaci gestae. Legationem hanc peractam fuisse anno MLXIII, constat ex actis synodi. Senem fuisse eo anno Petrum, cognoscimus ex hoc opusculo, quae res confirmat opinionem, natum fuisse Petrum ante coeptum Christi annum millesimum. Superfuit autem usque ad annum MLXXII, quo anno obiit die februarii 22.*

et nobilis et ingenua Christi servitus, quae terrenae servitutis nullum patitur contubernium! Quamdiu enim sub Pharaone luti et palearum premebatur angariis, nullum Deo sacrificium israëliticus populus legitur obtulisse. Divinis namque Moyses vocibus intonabat: dimitte, inquit Dominus, populum meum ut sacrificet mihi in deserto. Exeat igitur de Aegypto, ut divinae servitutis possit exhibere ministerium: nulla enim conventio Christi cum Belial, nulla societas luci ad tenebras. Pharao vero verberibus castigatus, ut abiret populus adquievit: sed ut a suae potestatis dominio per integrum triduum separaretur, cruda superbia tumidus refutabat; quia inimicus ille, qui per Pharaonem intelligitur, non vult nos per integrum triduum ab eo separari. Aut enim operatione, aut locutione, aut etiam cogitatione, lutei operis aedificia, etsi non igni obnoxia, semper ut construamus imperat. Sed Israëlis liberator, Aegypti servitute deposita, Pharaonis imperio derelicto, vult nos triduo ab eo separari, et in solitudine illa sibi sacrificari, in qua prophetarum ille eximius, qui in regali aula positus, et ex potestate Pharaonis exutus, manens dicebat: ecce elongavi fugiens, mansi in solitudine.

3. *Venerabilis itaque illa cluniacensis congregatio, in qua nihil servitutis sibi vindicat Aegyptus, nullum de triduo Pharao sibi retinet diem, quanto a iugo terrenae dominationis est libera, tanto melius vivit devota. Sed antiquus ille totius sanctitatis inimicus, huius loci sanctae invidens libertati, quemdam contra eum episcopum suis stimulis incitavit. Droco* (1) *siquidem matisconensis ecclesiae praesul, in praefato venerabili monasterio, illicitae sibi potestatis ius quoddam temptabat arripere, et indebitae sibi censurae ferulam super eiusdem loci monachos moderari. Ad tantam itaque furoris audaciam episcopus ille devenit, ut armata manu militum constipatus, quasi temerarius invasor, ad monasterium usque pervenisset, antiquam huius loci libertatem superbo pede conculcans, et apostolicae sedis privilegia pro nihilo ducens, ecclesiam S. Maioli quae contigua est monasterio, et*

(1) *Ad hoc quasi nomen adludens aiebat Cluniacensibus Petrus lib. VI. ep.* 5: vos draconeis per me nexibus expediti. *Porro Cluniacum dioecesi matisconensi* (*Macon*) *contineri, satis dictum in praevia notitia, quam ex alio et recente vaticano codice edidimus.*

plures ipsius monasterii monachos, inconsulto anathemate praegravavit.

4. *Tunc venerabilis Hugo eiusdem monasterii pater* (1), *huius praesumptionis novitate non potuit non dolere : pastorali siquidem intuens providentia, et a suae nobilitatis statu locum non parum deficere, et totius congregationis animos insolito maerore turbari; sed ne huius pravitatis lepra quasi pro consuetudine, velut importunus cancer inserperet, et tantae sanctitatis locus degeneris consuetudinis postmodum laboraret infamia, monasticae disciplinae se munivit consilio, quo et ab huius molestiae novitate monasterium nobiliter defensavit, et saecularis potentiae vindicta eius sanctitatem non obfuscavit. Vir itaque ille, qui non solum religione sed et pastorali prudentia incedit valde munitus, cuius etiam angelica facies interioris hominis indicat sanctitatem, in praefatae tempestatis turbine constitutus, apostolicae sedis decrevit adire concilium : et ut ex huius perturbationis gurgite ad quietae stationis portum perveniret incolumis, solam sancti Petri festinavit intrare naviculam. Tunc coram sancto concilio, prout erat facundus orator, fida et honesta proclamatione, ita suae incommoditatis querelam deposuit, et istius negotii causam prout evenerat peroravit, ut ad misericordiam et auxilium corda audientium provocaret. Omnes nempe, qui huius loci sanctitatem vel visu proprio vel fama nuntiante cognoverant, ex tam sinistro rumore turbabantur, et novam illius episcopi factionem publice detestabantur. Et ne tantae sanctitatis tantaeque libertatis locus a suae libertatis tramite vel parum deficeret, piae compassionis intuitu coeperunt singuli cogitare, qua ratione quove modo, sancto loco potuisset consuli, et huic malae consuetudinis vitio valeret obviari. Nullus tamen eorum, quos dictante iustitia auctoritas commendabat, et quibus huius causae decisio, canonice competebat, tam longi itineris, tam laboriosae profectionis laborem profitebatur se velle suscipere.*

5. *Tunc venerabilis Petrus Damianus ostiensis episcopus, cui pro suae sanctitatis reverentia, et affecta sui corporis debilitate,*

(1) *Ad hunc extant S. Petri D. litterae. Item huius hortatu vitam S. Odilonis se scripsisse narrat Petrus.*

et reverenda suorum temporum maturitate, nec Papa nec episcoporum vel cardinalium quilibet non dicam praecipere, sed etiam suggerere praesumebat, inter ceteros se protinus obtulit, atque in die belli pro domo Israël ex adverso se militaturus opposuit. Hoc siquidem divina providentia credimus procuratum. Nam sicut postmodum ipsius rei eventus docuit, nullus praeter summae sedis episcopum, istius causae negotium ad competentem potuisset finem perducere, nisi illius sanctitatis prudentia et eius facunda et incomparabilis interveniret eloquentia: quem quidem non tantum pro apostolicae sedis reverentia, quantum pro eius sanctitatis reverenda praesentia, tota Gallia venerabatur. Vir itaque iste mirandus et imitandus sponte tunc gravis obedientiae pondus subiit, qui quondam celebris obedientiae munus invitus suscepit. Ad episcopalis namque culminis dignitatem vocatus, excusationes praetendit plurimas, se indignum, moribus inornatum, virtutibus vacuum, atque huic officio imparem se esse clamitabat: ad gallicae vero profectionis laborem, nulla excusatione praemissa, non vocatus accessit. Verae quidem obedientiae ista sunt documenta salubria, ut et dignitatis obedientiam invitus aliquis subeat, et vilis obedientiae pondus libens suscipiat. Istius namque viri discreta obedientia duorum caelestis curiae militum facta procul dubio imitatur. Moyses quippe ut israëlitico prodesset populo est iussus a Domino; Paulus vero ut Hierosolymam pergeret divinitus est admonitus: illi ut dignitatis honorem susciperet imperatur; iste ut adversitatis sarcinam acciperet admonetur. Sed ille, cui dignitas imponebatur, facundae loquacitatis occasione praemissa, et impeditioris linguae allegatione deposita, tanti regiminis gloriam fugiens expavit: iste cui tanti laboris pondus praecipiebatur, non solum non respuit, sed etiam quid sibi Hierosolymis eveniret, per prophetam Agabum recognoscens, mentis puritate confisus, ita gaudens dicebat: ego autem non solum alligari, sed etiam mori paratus sum pro nomine Christi: non enim facio pretiosiorem animam meam quam me. Ecce vir iste in episcopatus fugiendo culmine novus Moyses nobis declaratur; in votivo vero labore longi itineris, alter doctor gentium Paulus ecclesiae repraesentatur.

DE INCEPTIONE ITINERIS.

6. *Interea sanctae peregrinationis labor incipitur, et via duri itineris festinatur: et quia caritas non quae sua sunt quaerit, sed quae Iesu Christi, monasteria noviter ab eo plantata irrigatori Christo committens, et omnes eremos, quas vel fecerat vel suo patrocinio gubernabat deserens; monachorum quoque agmina, quae ipse ad ingenuam Christi servitutem adduxerat derelinquens, ultramontanum iter tribus tantum discipulis comitantibus festinus arripuit. Et quia fortis est ut mors dilectio, non eum iovianae alpes, non ioviana pericula terruerunt, non etiam terrarum invia, non multa et mortifera praecipitia, non insuper cygnei capitis aspectus, non debile et macilentum corpus, non eum grandaevae senectutis pondus ab itinere removerunt. Kadaloicum etiam parvi pendit furorem, qui veluti orbata tigris eius sanguinem anxie sitiebat: contra quem Kadaloum, parmensem scilicet episcopum, qui tunc Papae nomen et eius insignia adulter usurpabat, librum praesul iste conscripserat, in quo deridendam eius vesaniam, et suam nefandam apostasiam, scripturarum testimoniis condempnavit. Ipsius quoque perversi nominis interpretationem, et quid in huius praesumptionis exitu latitabat, ita prophetico promsit elogio* (1), *quod divina inspiratione credimus conscripsisse, quia quod scripserat, postmodum vidimus evenisse* (2). *Inter cetera quoque quae de illius canina rabie luculento sermone descripserat, eximiae profunditatis et mirae pulchritudinis versus ipse composuit; quos ob istius laudem, et illius ignominiam hic exarare studuimus* (3).

(1) *In opusculo inscripto* disceptatio synodalis *T. III. p.* 34. *ait Petrus*: Cadalous a cadendo dictus, ruinam populi sonat. *Pressius*: *lib. I. ep.* 20 prima pars huius nominis manifeste denuntiat casum, secunda populum: laos siquidem populus.

(2) *Rem habes apud Petrum in opusculo XVIII. T. III. p.* 206. *Item epist. lib. I.* 20. *Invectiones autem acerbissimae Petri in Cadaloum passim in eius scriptis leguntur.*

(3) *Extant haec carmina inter cetera P. Damiani edita T. IV. p.* 23. *Itaque heic praetermittimus. Attamen v.* 5. *mendose editio* fons *pro* foris; *v.* 16. cristas *pro* chelas; *v.* 19. atra *pro* antra; *quae omnia codex corrigit. Insuper codex caret tribus postremis versibus, quos consulto fortasse noster auctor omisit ob vaticinium litteraliter non impletum, de quo disserit ipse Petrus T. III. p.* 206.

7. *His igitur verborum telis ille vulneratus, immo scripturarum aggeribus vivus humatus, compita, diverticula, itineri quaeque pervia, per suos satellites observabat, quatenus vel eum occiderent, vel suis obtutibus vivum repraesentarent. Sed ille prudens, quasi leo confidens, itineris diversa pericula, et illius furtivas insidias, sanctae superbiae pede parvi pendens calcavit. Nimirum illius fultus erat auxilio, qui suo fideli famulo sic promisit, ego ante te ibo et gloriosos terrae humiliabbo. Ipsa etiam ioviana iam dicta et saepe dicenda pericula, quae vix umquam constat fuisse pervia, quae etiam mortis ruinam transeuntibus semper minantur, nullius ut dicitur marronis* (1) *subvectus auxilio, non pedetentim ut mos est illius itineris perrexisse, sed potius vidimus cucurrisse. Sed qualiter vir iste in tam duro itinere sese habuerit, utillimum esset si eius pace potuisse fieri, quaedam de eius continentia scribere, pro illorum saltem aedificatione qui arrepta occasione alicuius itineris, statuta silentii iura confringunt, consueti ieiunii regulam deserunt, psalmodiae quoque et totius paene monasticae disciplinae censuram quasi licenter confundunt. Sed quia eius sanctitatis offensam incurrere timeo, melius est suae lucernae lumen adhuc sub silentio tegere, quam eius indignatione super candelabrum ponere. Sed oboedire oportet Deo magis quam hominibus, et eius offensam magis quam alicuius mortalis convenit perhorrescere. Veritatis enim ore ita iubetur: luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent patrem vestrum qui in caelis est. Quaedam ergo illius quasi communia, et minime abscondi debentia ita succincte scribamus, quatinus nullius rumoris naevo, nullius laudis macula, eius sanctitas obfuscetur, et audientium pia devotio melioretur, et Christus per eum glorificetur.*

QUALITER DOMNUS PETRUS SE HABUERIT IN GALLICO ITINERE.

8. *In ipso namque aestivo tempore, quo dies plus solito protelantur, et gulosis monachis quasi sine termino esse videntur, ita suae operationis ordinem retinebat, ut nec psalmodiae vel vigiliarum consuetudinem praetermitteret, nec ieiuniorum vel silentii censuram postponeret. Qualiter autem nos qui suo lateri iugiter*

(1) *Marrones alpium incolae quidam, ut docet Cangius in glossario.*

adhaeseramus, in suo ieiunio ut putabatur decepit, non possum quia nec debeo reticere. Apud Gallos namque ista universalis viget consuetudo, ut vinaria vascula intrinsecus prius pice perfundant, et servanda vina sic in ea postmodum recondant: quae illius terrae indigenae quasi quodam pigmento dicunt esse condita, sed adventantes plurimi nauseantes respuunt quasi pice corrupta. Nobis huiusmodi vinum pruritus gulae citius commendavit; ille vero fideli ut putabamus deceptione, ita exhorruit ut nec etiam convivio, in quo aderat, interesse voluerit. Sic per totam Galliam districti ieiunii tenuit censuram, quia nequaquam precibus impetrare potuimus ut vel parvam ipse huius vini sumeret sorbitiunculam. Aqua vero illius patriae vix alicubi ad bibendum habilis invenitur. Pisces quoque et accuratos cibos occasione qualibet penitus respuebat. Sic quidem et aestivi caloris ardorem sustinebat per diem, et vigiliarum per noctem non deserebat laborem. Sed non sine admiratione intueri valeo, cum vir iste ad synodale militaturus properabat proelium, et pro ereptione multorum solus pugnaturus accesserat, ut vires sibi serio subtrahebat: et ut praedicationis sibi tribueret copiam, continua macerabat corpus inedia: et ne alicuius reprehensionis notaretur macula, prius in suae operationis pagina legerat quae aliis melius quia duplicius praedicabat. Castigabat, ut apostolus, corpus servituti subdendo, ne forte ipse aliis praedicans, inveniretur reprobus.

9. *Comparetur nunc istius viri sancta militia illius victoriae pugnaeque, quae sub Gedeon fuisse describitur. Gedeon contra Madianitas dimicasse legitur, sed milites quos aquam fluminis hausisse flexis genibus conspexit, a bellorum procinctu protinus removit: quos vero recto genu aquam bibere viderat, secum ad proelium insolitis armis muniens duxit. Nam ut illic dicitur, non consueta bellicae artis munitione eos armavit, sed in dextera tubas, in sinistra contra hostium multitudinem lagenam tenuerunt: et sic Dei omnipotentis dispositione, his armorum generibus hostes territi ad fugae patrocinium se protinus converterunt. Sic vir iste bellicus, et sub ecclesiastico campi doctore nutritus, sub duce suo Iesu pergens ad proelium, aquam fluminis flexo poplite minime sumpsit, quia doctrinam sapientiae, quam de scripturarum fluvio sitibundo pectore mirabiliter hausit, recta eius operatio nobilitavit. Illorum e-*

nim militum consortium miles iste iam spreverat, quibus Paulus dicebat, dissolutas manus et genua debilia roborate. Numquam enim debilitate operum, spiritualis hausit fluenta doctrinae. Dexteram vero suam tuba, sinistram autem lagena munivit, quia praedicationis officium, quae per tubam intelligitur, fervidus exercebat; corporis vero fragilitatem, quae in lagena significatur, quasi pro nihilo ducens, parvi pendebat. In dextera igitur tubam, in sinistra ferebat lagenam, quia sinistrae vitae prosperitatem respuens, ad dexterae vitae gaudia medullitus anhelabat. Unde et huic bene congruere cernitur, quod electorum voce dicitur, laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me: quia prosperitatem laevae, quae in praesenti vita subsistit, mentis intentione calcabat: totum se in gremio aeternae beatitudinis, quae per dexteram accipitur, collocabat. Erat igitur, ut Salomon dicit, longitudo dierum in dextera eius, in sinistra vero illius divitiae et gloria. Incedebat ergo miles iste taliter armatus: erat in dextera eius ut dicitur ignea lex, erat canorus et terribilis tubae sonitus: parvi pendebat corpus, roborabat spiritum, attenuabat carnem, saginabat mentem, exteriorem hominem castigabat, interiorem viribus roborabat, nullius timoris vel amoris intuitu, suae praedicationis lucernam extinguebat, quia, ut Dominus ait, nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum. Non enim pro temporali commodo lumen praedicationis est deserendum, sed super candelabrum potius ponendum; quatenus semper supra curam corporis vigeat gratia praedicationis.

10. *His igitur virtutum telis vir iste vallatus, ubicumque se occasio praebuerat, divini verbi semen spargebat, et virtutum arbores in terra humani cordis plantabat, quas postmodum foecundis exhortationibus irrigabat. Quandocumque episcopus, abbas aut alicuius conditionis homo, debitae reverentiae causa ad eum confluebat, semper suae sapientiae recedebat sale conditus, sanctae praedicationis medicamine fotus, fraterna admonitione delinitus, atque in omnibus ita melioratus, quod valde antea non venisse tristabatur. Sic quidem fecundo labore itineris, qui ad unius monasterii salutem fervidus anhelabat, multorum infirmitatibus obiter providebat. In hoc nempe summum magistrum nobilis discipulus imitabatur. Salvator quippe mundi pro archisynagogi filiae resu-*

scitatione pergebat, sed in ipso itinere a fluxus sanguine quandam feminam suae vestis medicamine liberavit: et dum sui corporis praesentia illam suscitare dignatus est, prius istam sola fimbria liberare voluit.

DE DOMNO ADRALDO BREMETENSI ABBATE.

11. *Adhaerebat praeterea nostro comitatui quidam venerabilis abbas Adraldus nomine* (1), *qui quondam sanctae vestis habitum cluniaco sumpserat monasterio, et cuiusdam eius monasterii Paterniaci nomine prioratum aliquantum rexerat. Vir quippe valde litterarum studiis eruditus, et liberalium artium peritia exornatus, religiosus in opere, facundus mirabiliter in sermone, celebrem et regalem tunc temporis abbatiam, bremetensem scilicet, pastorali providentia gubernabat: qui quidem in primo suae cognitionis limine quasi austerus et inconveniens iudicatur; sed postquam in eius familiaritatis aula coeperis residere, tunc subito quasi alteratus, benignus, prudens, tractabilis invenitur. Sed inter plurima istius viri dona virtutum, est quaedam quae hominibus illum valde commendat, et in multorum devota dilectione validius solidat. Non enim ad instar cluniacensis munificentiae, neque alicuius suae patriae viri, sed quasi nobis natura italicus, munificus et largus semper habetur. Hoc namque nostrorum famulorum ora testantur, quos non haedinis, non ovinis, sed vulpinis pellibus texit. Quamquam mea, ut dicitur, impediente fortuna, tenacem Galliae morem in me solo servavit; sed non debeo huius viri tacere praeconia, tametsi mihi nulla contulerit praemia. Postquam vir iste nostri itineris coepit fieri particeps, et totius nostrae convenientiae commune coepit habere consortium, cuncta quae agenda erant, eius consilio credebantur, eiusque dispositioni omnia tradebantur. Ipse quoque cluniacensis abbas ita in eius viri prudentia confidebat, ut nullius rei negotium sine eius consilio agere disponeret. Tandem post aestivos sudores, post maximos et multos*

(1) *De hoc homine Petrus ipse Damianus in opusc. XXXIV. 5. sic:* Adraldi prudentis et religiosi viri, qui bremetensi praeminet monasterio, didici relatione.

labores, post multa et diversa pericula, post inmania montium et alpium praecipitia, ad expectantem nos venimus Cluniacum. De apparatu autem processionis, et summa devotione nostrae receptionis supervacuum est scribere, cum eum iam devotis manibus praesentem suscipiebant, quem pro illius monasterii libertate diu iam advenisse multis precibus flagitabant. Tunc communi consilio coepimus quaerere, quid super vocandis ad synodum episcopis statui deberet. Nam episcopus ille cuius temerario ausu istius causae negotium agebatur, prout habet saecularis astutia, postquam nostrum fama nuntiante cognovit adventum, quia non illius terrae erat indigena, quo futurum concilium occasione quadam vitare potuisset, apud suos longius properans latitabat. Sed nequivit fugae patrocinio, cabilonensi non interesse concilio. Synodalis namque terminus ita provide statuitur, quod longinqui et remotiores praesules naviter interesse potuerint. Tunc ex apostolicae sedis auctoritate commonitoriae ad episcopos diriguntur epistolae, debitam romano Pontifici obedientiam imperantes, et inobedientiae vindictam canonice intentantes, locum quoque et diem futuri concilii nuntiantes.

LAUS CLUNIACENSIS CONGREGATIONIS EIUSQUE ABBATIS.

12. *Interea octo dierum spatio mansimus Cluniaco. Veraciter ibi multos reperi Paulos, plurimos vidi Antonios, qui etsi solitudinis habitationem non incolunt, anachoritanum praemium imitatione operum non amittunt. Cum enim illius congregationis ordinem accurate coepi perspicere, et mutuae dilectionis inter eos manere benivolentiam, et monasticam omnium causarum pollere convenientiam, statim ad illius primitivae ecclesiae mens recurrit familiam, de cuius laude ita Lucas loquitur: multitudinis credentium erat cor unum, et anima una, et erant illis omnia communia. Ad instar enim illius primitivae familiae, dicam potius caelestis patriae, non est ibi alicuius metus inopiae, non pondus alicuius miseriae: ibi caritas regnat, spirituale gaudium ibi tripudiat, pax cunctos nectit, omnes patientia tolerat, longanimitas illos modificat, spes erigit, fides solidat, interius et exterius castitas mundat, devota illos obedientia purgat, san-*

ctae et monasticae consuetudinis ordo inconcusse servatur, vivida mortificatio et regularis ibi districtio semper habetur. Quid de claustri custodia vel taciturnitatis opus est censura describere? cum nec etiam, praeter alicuius rei necessitatem, infra ipsum claustrum ausus est aliquis spatiari, nec sine interrogatione os ad loquendum audet ullo modo aperire. In vestium vero vilitate atque lectulorum extremitate nullo modo patris Benedicti trasgrediuntur praeceptum. Divinae quoque servitutis officia ita apud eos provide distinguuntur atque pia ex industria protelantur, ut nec longioris diei aliquod spatium a divino vacare possit officio: ita enim in ecclesiasticis atteruntur officiis, ut vix claustrensi et honesta locutione, nisi signis, possit alter alteri aliquid intimare: quae quidem ita cauta et necessaria omnibus in locis facta deprehenduntur, ut nullius levitatis, nullius reprehensionis, valeant macula denotari. De ciborum vero vel vestium aequalitate, de pia infirmorum compassione, atque omnium causarum congrua distributione, scribere supersedeo, cum nec ipse abbas vel sospitate vigens, vel infirmitate gravatus, aliquam sibi cameram vel aliud quid praecipuum consuetus sit vindicare.

13. *O nobilis et israëlitica Christi familia, quae degenerem Aegypti deserens servitutem, et mare rubrum submersis hostibus incolumis pertransivit, et superbam Hiericho, Domini circumferens arcam, devicit! Importunum quoque Nabuzardan, intestinum scilicet hostem, ratione moderantiae stravit, et petulantem Holophernum quasi nova Iudith funditus iugulavit. Nunc cunctis regibus superatis hostibus quasi quadam repromissionis terra utitur, de qua ad veram lacte et melle manantem operibus currere festinat. Est quoque illius loci larga pauperum eleemosyna, hospitum et adventantium summa diligentia: nullus enim pauper famelicus vel immunis inde recedit: nullus supervenientium insalutatus suscipitur, vel inhonoratus abire permittitur. Sed huius sanctae operationis fluvius ex illo fonte profluit, quem in sacro pectore abbatis spiritus sancti gratia propinavit. Ex illo enim purissimo fonte hauriunt, quod sic abundanter fluunt; et in illius operis et exhortationis bibliotheca legunt qualiter monastice vivant, qualiter divinae operationis ordinem custodiant. Est enim sua humilitate amabilis, moribus cunctis tractabilis, et serena sui vultus proceritate omnibus*

notabilis: quem Deus omnipotens ita suo timore subditum, et amore fervidum, et virtutum floribus voluit esse conspicuum, ut illius ecclesiae pastorale ipsi committeret officium. Dicerem etiam adhuc de extrariae et saecularis rei huius loci abundantia, sine qua praesens vita minime quempiam transire patitur: quomodo cunctae lapideae officinae monastico dispositae sunt ordine; quomodo ecclesia maxima et arcuata, plurimis munita altaribus, sanctorum reliquiis non modice condita, thesauro plurimo et diverso ditissima; quomodo claustrum ingens, et ipsa sui pulchritudine ad inhabitandum se quasi monachos invitare videtur; quomodo sufficiens est dormitorium, et prae continuo trium lucernarum lumine, aliquid unquam nocivum in eo peragi quasi ab eo prohibetur; quomodo refectorium nulla superstitione depictum, sed sancta extremitate constructum, largum reficientibus fratribus praebet consessum; quomodo per cunctas officinas ubicumque aqua necessaria quaeritur, per occultos meatus statim mirabiliter sponte diffluit. Haec et alia de praedicto monasterio dicerem; sed quia lemovicensem laborem huius descriptionis stilus exarare festinat, laboris intuitu talia scribere devitat.

DE LEMOVICENSI LABORE.

14. *In lemovicensi namque civitate celebre devotissimum atque ditissimum in honore sancti Martialis quoddam est monasterium, quod cluniacensis abbas noviter adquisierat: sed quia illius loci monachi sibi non obtemperabant, maxima in eo tunc temporis discordia versabatur. Huius namque adquisitionis intuitu, et eiusdem abbatis odio, prout erant saeculares monachi, a monasterio recedentes, per eius cellulas hospitari coeperunt, et monasterium hostiliter impugnabant, et monachorum, quos ibi de Cluniaco posuerat, sanguinem sitiebant. Ad tantam quoque vesanae mentis audaciam monachi ipsi proruperant, ut burgum in quo monasterium est, concremarent, et cuncta quae circa monasterium fuerant, ignibus devastarent: et nisi romana auctoritas interveniret, et ex apostolica sede reverenda sibi persona succurreret, videbatur locus pessumdari. Quid super hoc negotio abbas faceret ignorabat; quo se verteret, nesciebat: huius itineris pondus nobis*

suggerere verecundans timebat, causam perfici aliter posse minime sperabat. Tandem erupit in vocem quod scatebat in mente, et quo ille doluerat, ut medicaretur oravit. Hoc ipse abbas rogabat, hoc tota congregatio precibus flagitabat.

15. *Tunc noster ostiensis episcopus hunc sibi laborem superimponere paululum haesitavit, et vix posse perficere credidit. Sed quia pro salute eius monasterii venerat, citius adquievit, et in suis membris circumquaque positis ipsi auxiliari disposuit. Sed ante ipsius profectionis initium, cunctis cum fratribus iu capitulo residens, peracto sermone, totus in terra prosternitur, et ut sibi auxiliarentur, multis requisivit precibus, gyrovagum, sarabaitam* (1), *et ut consueverat, se miserum monachum clamitabat. Inter haec tanta ipsi caelitus lacrimarum tribuitur copia, quod omnes a fundo cordis longa traxere suspiria, et unusquisque sibimet displicens, sic proclamabat: o bone Iesu, si homo iste, quem ultra homines credimus, sic ubertim lacrimans timet, quid nos faciemus aridi, et ad eius comparationem virtutibus alieni? Nam sicut abbas, me adstante, postmodum retulit, multum istae lacrimae omnibus profuerunt, audientium melioraverunt animos, et mentes prospectantium solidaverunt. Tunc abbas communi fratrum consilio statuit, ut abhinc pro eius amore semper unus pauper pasceretur et vestiretur, et unus semper pro eo psalmus in communi cantaretur: et denuntiato sibi eius obitu, semper in suo anniversario sollempnem in conventu missam celebrare, festivam corporum refectionem fratribus praeparare, et quicquid a mensa remanserit, pro eius animae salute pauperibus statuit erogare* (2). *Sic omnium fratrum societate muniti, et pacis osculo confirmati, ad sanctum devenimus Martialem. Interea nostri adventus rumor, monachorum qui monasterium infestabant corda concusserat, et eos circumquaque per diverticula fecerat latitare. Sed mox ut venimus, illis litterae destinantur, quatenus romanae sedis legato se repraesentarent, et allegationem huius negotii, si iustam sperarent, sine alicuius contrarietatis suspicione, iustitiae ratione defenderent: alioquin sub imperio abbatis deinceps viverent. Sed quia pristinae factionis vermis eorum viscera corrodebat, et clu-*

(1) *Sarabaita, monachus vagus et exlex. Vide Cangii glossarium.*

(2) *Rem hanc commemorat ipse Petrus epist. lib. VI. 2. et 4.*

niacensem ordinem omnino suscipere rennuebant, ad denuntiatum ratiocinium venire spreverunt, illum sibi praeesse abbatem penitus interdixerunt. Tunc illius civitatis episcopo comiteque consulto, ad huius definitionis calculum res ista pertrahitur. In huius namque episcopatus ecclesia, quam devota frequentia populorum repleverat, illorum contumacem absentiam coram omnibus praesul iste narraverat, qualiter apostolicae sedis legato reverentiam, et abbati debitam obedientiam recusabant. Tunc apostolica auctoritate, populo collaudante, praecepit ut nisi illa hostilis audacia a monasterii et monachorum laesione cessaret, excommunicationi procul dubio subiacerent. Super hoc vero quod abbati obedire nolebant, definitivam distulit proferre sententiam. Isto igitur negotio taliter definito, et monasterio in tranquillitate iam posito, ne a divinae servitutis officio pars nostri itineris aliqua vacaret, redeundo venimus Silvaniacum.

DE CONSECRATIONE ECCLESIAE, ET SANCTI ODILONIS CORPORE COMMUTATO.

16. *Silvaniacus nempe mercationum frequentia dives et locus est famosissimus, sanctorum vero corporibus valde devotissimus. Quoddam namque in eo constructum est monasterium, in quo beatorum Christi confessorum Maioli scilicet et Odilonis corpora conquiescunt. Quod quidem monasterium episcopali adhuc benedictione minime ad plenum confirmatum fuerat. Interim synodalis terminus imminebat. Tunc multis intervenientibus episcopis, et innumerabili populorum frequentia, magna cum veneratione ecclesia consecrata, et beati Odilonis corpore commutato, et altari suo nomini consignato, cabilonensis ecclesiae praesul summa cum devotione nos honorifice suscepit.*

DE CONGREGATA SYNODO.

17. *Interea synodus congregatur, vocati praesules adsunt, non modica turba hominum devote festinat. Matisconensis quoque episcopus non dubius aut segnis occurrit: in sua namque prudentia (est enim litteris et sermone potens) et quorumdam episcoporum*

quasi conspiratione confisus, huius causae amicabilem transactionem respuens, ad synodalem conflictum quasi triumphaturus fervidus bellator occurrit. Paene enim omnes episcopi, qui tunc aderant, praeter archiepiscopum bisuntinum venerabilem scilicet et eloquentissimum virum, cluniacensi monasterio invidebant, eiusque causam quantum caute poterant conculcabant; et ut huius negotii magis infortunium quam triumphum abbas incurreret, occultis machinationibus fabricabant. Nam unusquisque causam suam in iudicio agi credebat, cum coëpiscopi negotium romana discussio ventilabat; quia si abbati huius rei victoria proveniret, quilibet episcoporum illi amplius resistere non auderet. Huius igitur cautelae studio constipati, illum adiuvaturi ut obsisteret incitabant. Sed noster romanus belligerator horum machinatione, et non parvi pendenda conspiratione praedoctus, sic postmodum huius causae peroravit negotium, ut quos ille occultos iam tenebat adiutores, apertos postmodum suae causae habuerit contradictores. Nam in cabilonensi ecclesia cuncto residente concilio, postquam ut romanae synodi consuetudo deposcit praedicationis verbum finivit, tale rhetoricae locutionis exorsus est prohoemium, quod intentos simul et benivolos faceret auditores.

RHETORICAE LOCUTIONIS PROHOEMIUM.

18. *Ad vestrae, inquit, fraternitatis auxilium romana nos delegavit auctoritas, et quasi ad carissimos fratres nostra communis mater destinavit ecclesia. Vestra namque sibi debita sancta fidelitate confisa, quam etiam in nonnullis suis negotiis experta est profuisse, quicquid in istis partibus iniuriae patitur, vestra nos adiuvante providentia sibi ut emendetur exoptat. Per nos siquidem coram vestra sanctitate romana lamentatur ecclesia, quod multorum hominum insolentia multas inter vos cotidie patitur contumelias. Verumtamen inter cetera quae sibi evenisse considerat, unum quid novum et insperatum eam non modicum perturbavit. Cum enim huius sinistri rumoris fama totius romani concilii noviter percelleret auditus, omnes pariter in maerorem simul et admirationem conversi sunt. Cumque diu protracta deliberatione, quem qualem et quantum, pro tantae rei praesumptio-*

ne, destinare deberent, nos demum mittere decreverunt. In hoc numque quantum super hoc romana dolet ecclesia, fratres mei, perpendite, quia non subdiaconum, non diaconum, non cardinalium quemlibet (1), *mittere procuravit.*

19. *Tunc episcopi omnes ex praemissa verborum dulcedine valde benivoli, et ex causae exaggeratione non parum intenti, expectabant ut iam causa illa exponeretur, pro qua tantus et talis homo a lateranensi curia devenisset. Mox autem ut suis verbis illorum benivolam audientiam adesse conspexit, sic coepit enarrare propositum. Cluniacense monasterium romanae ecclesiae esse subditum, nullus vestrum, fratres, ignorat; et quod nulli alii personae praeter* (2) *romanum Pontificem in eodem monasterio ius aliquod pertinet, nullus addubitat: quod quidem supra omnia sibi pertinentia diligit monasteria: multis quoque apostolicae sedis privilegiis constat esse munitum. Quae omnia domnus matisconensis episcopus parvi pendens, illud subiugare, suaeque ditioni submittere quasi temerarius studet invasor Tunc ille, quia iam suae nequitiae caput attritum, et mentis rigorem iam paene sensit emortuum, coram cuncto concilio causam narraturus adsurgit. Mox ex utraque parte causa exponitur, et utriusque partis allegatio ventilatur. Romanae ecclesiae lecta sunt privilegia, contra quae episcopus egisse accusatur: causa defenditur, culpa imponitur, controversia meritis partium examinatur. Tandem post multas contentiones, post utriusque partis varias obiectiones; quia episcopus contra privilegia se non egisse, purgare non poterat, ad huius decisionis calculum res ista perducitur. Interrogantur episcopi, si apostolicae sedis rata decernerent privilegia, et in suo tenore quae lecta sunt sine laesione durantia. Omnes rata et inconcussa manere definitiva sententia decreverunt. Tunc ipse matisconensis episcopus cum quinque*

(1) *Innuit vir sanctus Alexandri papae litteras ad praesules Galliae in quibus aiebat*: talem vobis virum destinare curavimus, quo nimirum post nos maior in romana ecclesia auctoritas non habetur, Petrum videlicet Damianum ostiensem episcopum, qui nimirum et noster est oculus, et apostolicae sedis immobile firmamentum.

(2) *Hinc corrige mendum* propter *in decreto concilii cabilonensis supra citato.*

eiusdem ecclesiae clericis propria manu iuravit (1), quia quod contra monasterium se egisse recolebat, neque ad iniuriam apostolicae sedis, neque ipsius Papae fecerat, neque adhuc privilegiorum tenorem ad liquidum noverat. Tali modo inter domnum episcopum et abbatem huius causae negotium constat esse sopitum, et plenae definitioni traditum. Pacis inter eos foedera collocantur, simultatis iurgia propelluntur. In eadem quoque synodo quaedam sunt ecclesiastica censura correcta, quaedam canonicae sanctionis vigore statuta: et dum pro unius causae intuitu synodus congregata fuisse decernitur, multis postmodum causis constat fuisse proficuam.

DE REVERSIONE.

20. *Interea redeundi amor occurrit, repetendi itineris labor incumbit. Licentia petitur, sed licentia protelatur. Ipse enim abbas cum suis tractare coepit, quomodo tanti labor itineris alicuius muneris compensatione levigaretur: sciebat enim hunc hominem pecuniam non amare, munera spernere, solius pietatis intuitu tantum sumpsisse laborem. Talia igitur decrevit offerre munera, quae non ipsi, sed per eum Deo transmitteret; ut dum sibi nollet, Deo saltem tribueret. Capellam enim argenteam deauratam, cum sacris vasis et vestibus, palliis et utensilibus obtulit. Accipe inquit, magister, istam sacram vestem et sancta vasa quae Deo omnipotenti tribuimus, et divino ritu mancipanda per te tuis sanctis locis transmittimus. Tunc in prima fronte receptionis quasi palliata locutione deceptus, munera per se Deo tradita non est aspernatus. Interim dies transit: peractis necessariis, membra quieti dedimus. Interea diversarum cogitationum conflictus animum rapuere illius. Cogitabat ne sub huius receptionis specie vitium aliquod latitaret, ne quod pro futurae mercedis intuitu laboraverat, terreno munere deperiret; et fructus quos maturos manducare debuerat, obstupescentibus dentibus acerbos ipse consumeret. Cogitabat quia beatius est dare quam accipere; et beatus qui subtrahit manus suas ab omni munere. Haec et alia sancto mentis examine truti-*

(1) *Extat huius iurisiurandi formula in editione operum S. Petri D. T. III. p. 462.*

nans compensabat. Mane autem facto, me primum adesse praecepit. Tunc sibi dilecti Baruntii memoriam, prout saepius consueverat, coepit habere. O, inquit si ille karissimus frater noster adesset Baruntius (1), *salutiferi consilii nobis propinasset poculum! Numquam enim mihi ut acciperem persuasit, immo ut terrena spernerem semper suggessit. Munera ista, quae tali velamento nobis deferuntur, non esse accipienda recogito: iustitiam enim Dei occasione qualibet vendere timeo: terrenarum rerum negotiator esse non debeo: quid tibi super hoc videatur, edicito. Postquam vero huius mihi consilii ausum tribuit, non solum quia voluerat laudavi, sed ut faceret multis precibus postulavi; et quod pauperem Christum pauperes sequi debemus, sanctis eius auribus inculcavi. De quo quidem consilio suae paternitatis amor in me nasci, vel potius ut puto coepit augeri: quamquam hactenus nec ad mei vel alicuius notitiam amor ipse pervenerit; quasi enim quodam gelu adhuc in gemma constrictus, nec ad fructuum maturitatem, nec ad floris teneritudinem, nec etiam ad frondium viriditatem erupit. Tandem ne aeternae retributionis fructus aliquo nobis munere deperiret, et temporalis oblatio praemium aeternum consumeret, rennuente et contradicente abbate, praedicta munera eidem dimisimus, et huiusmodi pondere nos onerare penitus rennuimus: nihilque ab eo, praeter nobis necessaria, et quae itineris prolixitas requirebat, nos accepisse recolo. Sic officiis salutationis ex utraque parte exhibitis, levigati et alacres ad dilecti fontis solitudinem redivimus Avellani* (2).

(1) *S. Petrus D. in disputatione de variis apparitionibus et miraculis cap. I. ait*: Baruncius plane mihi frater unanimis, et in amoris praecipui dulcedine singularis etc.

(2) *Anno MLXIII. die V. ante kal. novembris. Confer Petri D. epist. lib. VI.* 5.

EXPOSITIO CANONIS MISSAE

SECUNDUM PETRUM DAMIANI * (1)

1. *Qui pridie quam pateretur.* Ecce cum nunc ad summi sacramenti virtutem accedamus, deficit lingua, sermo disparet, superatur ingenium, opprimitur intellectus. Quis enim novit ordinem caeli, et ponat rationem eius in terra? Sed pulsemus ad ostium, si forte clavis aperire dignetur, ut accommodet nobis tres panes, qui maxime nobiscum erunt in hoc convivio necessarii. Fides enim petit et accipit; spes quaerit et invenit; charitas pulsat et aperit; petit et accipit vitam; quaerit et invenit viam; pulsat et aperit veritatem: is enim via est, veritas, et vita. *Qui pridie.* XV. luna prima mensis, quae tunc extitit sexta feria, passus est Dominus: et praedicta nocte, videlicet XIIII. luna prima mensis ad vesperas, ut legis figuras impleret, post typicum pascha corporis et sanguinis sui sacramentum instituit, et calicem tradidit frequentandum. Sic enim fuerat praefiguratum in exodo: " decima die pri„ mi mensis tollat unusquisque agnum per domos et familias, et „ servabit eum usque ad XIIII. diem mensis huius, immolabitque „ eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam, et sument „ de sanguine ac ponent super utrumque postem in superliminaribus „ domorum, in quibus comedent illum, et edent carnes nocte illa „ assas igni, et azymos panes cum lactucis agrestibus. Et post pau„ ca: est enim phase, id est transitus Domini. „ Transitum istum Io-

(*) *Damiani* non *Damianum* habet codex: et quidem scimus Petrum dictum *Damiani*, in fratris benivoli gratiam. Attamen sodalis Petri in descriptione itineris gallici n. 2. aliique autores scribunt *Damianus*.

(1) Egregium hoc opusculum in editione operum S. Petri Damiani per Const. Caietanum curata desideratur, neque id Trithemius aliive seu vetustiores seu recentiores bibliographi novisse videntur. Extat tamen in vaticano regio codice 524. cum recitato a nobis titulo, qui tum initio tum etiam in fine opusculi scribitur. Unus Montfauconius biblioth. mss. p. 16. et 68. memorat hoc S. Petri D. scriptum ex indice codicum senatoris Petavii, quos plerosque omnes in reginae suecae bibliothecam, nunc vaticanam, transivisse scimus. Existimo igitur nostrum codicem 524, ipsum esse petavianum, nota tantummodo immutata numerali. Opusculum quidem commendatione mea non indiget, tum ob auctoris gloriosum nomen, tum propter reconditam theologiam, et religiosae pietatis sensus eximios.

hannes determinat dicens: ante diem paschae sciens Iesus quia venit hora ut transeant de hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Et facta caena, complevit ea quae fuerant figurata. Aegyptus est mundus; exterminator, diabolus; agnus, Christus; sanguis agni, passio Christi; domus animarum, corpora; familiae domus, cogitationes cordis. Hoc sanguine tingimus per passionis fidem; illa tingimus per passionis imitationem, signum crucis intus et foris opponentes contra adversarias potestates. Denique carnes agni comedimus cum in sacrificio corpus Christi suscipimus; et azymos panes, id est sincera opera, cum lactucis agrestibus, id est cum amaritudine.

2. *Accepit panem*. Ideo panem et vinum in sacrificium corporis et sanguinis sui Christus instituit, quod sicut prae ceteris cibis corporalibus panis et vinum reficiunt, ita corpus et sanguis Christi prae ceteris cibis et potibus spiritualibus interiorem hominem reficiunt et saginant; unde caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Quia vero Christus accepit panem et calicem in sanctas ac venerabiles manus suas; et sacerdos exemplo Christi carnem et sanguinem in manus accipiens, utrumque per se benedicit crucis signaculo. Panis fermentatus non debet offerri in sacrificium, tum ratione facti tum ratione mysterii. Sic legitur in exodo. Fermentum etiam corruptionem significat, teste apostolo, modicum fermentum totam massam corrumpit. Graeci tamen in suo pertinaces errore de fermento conficiunt. *Elevatis oculis in caelum*. Haec quidem verba nullus evangelista describit. Quis ergo tantae praesumptionis extitit aut audaciae, ut haec de se exponat? Sane istam formam ab ipso Christo acceperunt apostoli, et ab ipsis ecclesia. Multa quidem tam de verbis quam de factis praetermiserunt evangelistae, quae tamen apostoli suppleverunt; possunt tamen haec ex aliis locis evangelii comprobari. Iohannes enim Lazari suscitationem describens, testatur quod Iesus elevatis sursum oculis dixit: pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Item alibi: et sublevatis in caelum oculis dixit, pater clarifica filium tuum. Sed sicut in caelum oculos levavit ad patrem, cum animam Lazari revocaret ad corpus, quanto magis credendum est, quod tunc oculos ad patrem in caelum levaverit, cum panem et vinum in corpus proprium com-

mutabat! *Gratias agens.* Hinc quoque colligitur unde sacrificium laudis. Gratias agebat non pro se, sed pro redemptione hominum sic futura.

3. *Benedixit.* Quidam dixerunt quod Christus confecit cum benedixit, litteram construentes hoc ordine : *accepit panem et benedixit* ; subaudiendum est, *dicens hoc est corpus meum.* Prius ergo illa protulit, ut eis vim conficiendi tribueret; deinde protulit eadem, ut apostolos formam conficiendi doceret. Sane dici potest quod Christus virtute divina confecerit corpus ea forma expressa sub qua posteri benedicerent: ipse namque per se virtute propria benedixit; nos autem ex illa virtute quam edidit nobis. Cum ergo sacerdos illa Christi verba pronunciat, *hoc est corpus meum*, *hic est sanguis meus*, panis et vinum in carnem et sanguinem convertitur, illa verbi virtute qua verbum caro factum est et habitavit in nobis; qua dixit et facta sunt; qua feminam in statuam mutavit; qua virgam convertit in colubrum; qua fontes mutavit in sanguinem; qua aquam commutavit in vinum. Nam si verbum Heliae potuit ignem de caelo deponere, verbum Christi non poterit panem in carnem mutare? Quis hoc audeat putare de eo, cui nullum verbum est impossibile, per quem omnia facta sunt, sine quo factum est nihil? Certe magis est creare quod non est, quam mutare quod est; ac longe maius est quod non est de nihilo creare, quam quod est in aliud transmutare. Si dixerit aliquis, certus sum ego omnino quod valeat, non sum certus quod velit; si dubitat ergo quod cum Christus accepisset panem, benedixit, *hoc est corpus meum* veritas hoc dicit, et ideo verum est omnino. Et alibi : nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et ad maiorem veritatis expressionem adiunxit: caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

4. Ego vero qui vitam aeternam habere desidero, carnem Christi veraciter comedo, et sanguinem eius veraciter bibo ; illam utique carnem quam traxit de virgine, et illum sanguinem quem effudit in cruce. Sicut et vidua sareptana cotidie comedebat, et non diminuebatur farina de hydria, et oleum de lecytho, sic universa ecclesia cotidie sumit, et numquam consumit carnem et sanguinem domini nostri Iesu Christi. Verum an par-

tes in partes, an totum in totum transeat, novit ille qui facit: ego quod residuum est, igne comburo: nam credere iubemur, distinguere prohibemur. Sed quia instat quaerentis improbitas, salva fide concedemus quod talis panis in tale corpus commutatur, nec pars in partem. Reor tamen salva fidei maiestate, quod ubi panis et consecratus, totus est Christus in tota specie panis, totus sub singulis partibus, totus in magno, totus in parvo, totus in integro, totus in fracto. Scio tamen quod dicitur a quibusdam, quamdiu species integra est, sub totali specie totale corpus existit; ubi vero dividitur, in singulis divisionibus incipit esse totum: sicut in speculo dum est integrum, una tantum apparet inspicientis imago; sed ipso fracto, tot apparent imagines, quot sunt fracturae. Quaeritur utrum corpus dominicum sit locale, utrum faciat localem distantiam, utrum dici debeat quod iacet aut sedet aut stat; sed et alia multa circa praesentem articulum inquiri possent, quae melius intacta volo relinquere quam temere definire: nam bestia quae tetigerit montem, lapidabitur. Tutius est in talibus citra rationem subsistere, quam ultra rationem excedere; ne forte, quod absit, ossa regis Idumaeae redigantur in cinerem.

5. *Fregit.* Solet a multis inquiri sed a paucis intelligi quid frangitur ibi, quid a mure corroditur, quid inde crematur cum sacramentum concrematur. Responsio. Sicut miraculose convertitur substantia in corpus dominicum, et incipit esse sub sacramento; sic quodammodo miraculose revertitur, cum ipsum ibi desinit esse. Et non valet ibi locus a coniugatis, hic est calor, sapor, qualitas, et quantitas, cum nihil ab alterutro sit coloratum aut saporatum, quid ac quale miraculum? Quippe vincit naturam, et legi detrahit dispensatio: nec debueris quaerere naturam in gratia, nec consuetudinem in miraculo. Sane natura Dei est trinitas, videlicet pater, et filius, et spiritus sanctus. In hypostasi filii est trinitas substantiarum, videlicet deitas, corpus, et anima: in sacramento corporis Christi est trinitas specierum, videlicet panis, vinum, et aqua. In natura Dei non est accidens in substantia, nec substantia sub accidente: in hypostasi filii est accidens in substantia, et substantia sub accidente. Dicamus ergo ad primum, quod forma panis frangitur et atteritur, sed corpus Christi sumitur et come-

ditur: ea quae notant corruptionem, ad formam panis referentes; ea vero quae notant acceptionem, ad corpus Christi.

6. *Dedit.* Quaeritur utrum corpus suum in caena dederit mortale an immortale, passibile an impassibile? Sufficere credo si dicatur, tale dedit quale voluit: potest tamen concedi, salva fide, quod tale dedit quale tunc habuit, mortale videlicet et passibile: non tamen quod posset pati sub sacramento; sed quia sub sacramento poterat pati, passibilis credebatur nec laedebatur. *Discipulis.* Solet dubitari an Iudas acceperit; quod videtur, cum dicat *bibite ex hoc omnes.* Sed quaeritur qua ratione medicus salutaris medicinam dabat aegroto, quam ei sciebat mortiferam? Ad hoc scilicet dabat, ut suo doceretur exemplo, quod sacerdos non debet ulli communionem negare, cuius crimen, etsi sibi sit notum, non tamen ecclesiae, ne forte non sit corrector sed proditor. *Accipite et manducate.* Non est intelligendum quod sumptum corpus de manu Domini sibi discipuli administrarent, sed qui consecravit, idem et ministravit. Fortassis adhuc cogitatio pulsat animum, quaerens quid fiat de corpore Christi postquam fuit sumptum et comestum? Christus de ore transit ad cor: melius est ut procedat in mentem quam descendat in ventrem. Cibus hic non carnis sed animae venit ut comedatur, non ut consumatur; ut gustetur, non ut incorporetur, ore comeditur sed non in stomacho digeritur, reficit animum, non effluit in secessum. Quod si forte secessus aut vomitus post solam eucharistiae comestionem evenerit, in hoc species ad proprietatem sensui famulatur, quae quantum ad nos servat per omnia corruptibilis cibi similitudinem, sed quantum ad se non amittit inviolabilis corporis veritatem. Species quidem corroditur et maculatur, sed veritas numquam corrumpitur aut coinquinatur. Siquando tale quid videris, nihil time illi; sed esto sollicitus tibi, ne tu forte laedaris, si male credideris.

7. *Hoc est corpus meum.* Quaeritur quid demonstret sacerdos per hoc praenomen *hoc*? Si panem, pani numquam congruit esse corpus Christi. Sed demonstrat corpus Christi; sed quando profertur ipsum pronomen, nondum est transubstantiatio. Respondetur, quod sacerdos non demonstrat, cum illis verbis non utatur enunciative sed recitative; quemadmodum cum ait, ego sum vitis vera, ego lux mundi, et multa alia. *Simili modo.* Sub utraque specie sci-

licet panis et vini, utrumque id est corpus et sanguis consecratur; neutra tamen superfluit, ut ostendatur quod Christus totam humanam naturam assumpsit, ut totam redimeret: panis enim refertur ad corpus, vinum ad animam. *Postquam caenatum est.* Post caenam dedit hoc sacramentum, ut ultimum testatoris mandatum artius memoriae commendaret. Non ideo tamen est calumpniandum ecclesiae, quod a ieiunis accipitur: placuit enim spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti primum os christiani intraret. *Accipiens et hunc praeclarum calicem.* Contineus metonymice ponitur pro contento. *Hic est calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti*, id est firmatio novae aeternae promissionis. Quaeritur utrum aqua cum vino convertatur in sanguinem? Dicitur enim quod aqua significat populum, et vino miscetur, ut Christo populus admixtus significetur. Dico aquam transire in vinum, cum multo vino modicum infundatur aquae. Quaeritur an vanum sit quod geritur, si forte aqua praetermittatur? Dico, si ignorantia vel oblivione aquam praetermisit aliquis, graviter puniatur; non tamen sit etiam irritum sacramentum. Tribus ex causis sacramentum corporis et sanguinis sui sub alia specie sumendum instituit, ad augendum meritum, ad fovendum sensum, et ad vitandum ridiculum: ad augendum meritum, quia aliud ibi cernitur, et aliud creditur; ad fovendum sensum, ne abhorreret animus, quod cerneret oculus; ad vitandum ridiculum, ne insultaret paganus si id ageret christianus. *Mysterium fidei.* Mysterium dicitur, quia aliud cernitur, aliud creditur. *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Pro solis destinatis effusus est quoad efficaciam, pro omnibus quoad sufficientiam.

8. *Haec quotiescumque feceritis.* Non possumus exire de Aegypto, nisi celebrando phase: ergo ut devastante angelo protegamur, agnum edamus. Sed quotiens? Augustinus dicit, cotidie sumere nec laudo nec vitupero. De Zachaeo et centurione legimus, alter gaudens suscepit Christum in domo sua; alter, Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum. Non alter alteri se praeposuit. Faciat unusquisque quod pium crediderit esse faciendum; hortor tamen omnibus diebus dominicis esse sumendum, si tamen mens non sit in affectu peccandi. *In mei memoriam facietis.* Siquis peregre proficiscens, aliquod pignus ei

quem diligit relinquit, ut quoties illud aspexerit, illius debeat amicitias memorare, is profecto sine fletu ac desiderio nequit illud aspicere. *Unde et memores.* Quia Dominus ipse praeceperat ut hoc in sui memoriam faceremus, idcirco tria commemoranda proponit ecclesia, scilicet passionem, resurrectionem, ascensionem; quorum primum pullulat charitatem, secundum roborat fidem, tertium laetificat spem. Quid in nobis magis charitatem accendat, quam quod proprio suo filio non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum? Quid in nobis magis fidem confirmet, quam quod Christus surrexit a mortuis, primitiae dormientium et resurrectio mortuorum? sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur. Quid magis in nobis amplificet spem, quam quod Christus ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus? ut ubi est ille, illic sit et minister eius. Quia vero dicit se memorem dominicae passionis, statim acerbiorem ipsius passionis commemorat [partem], recolens in quinque crucibus quinque plagas. Deinde per tres partes dominicae passionis prosequitur, sicut subsequenter ex ipso declarabitur. Abhinc igitur usque dum corporale desuper calicem removetur, Domini passio commemoratur. Nam ut dicit sacerdos, *hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitae aeternae, et calicem salutis perpetuae*, unum crucis signaculum imprimitur super oblatam, significans illa viventis petrae foramina, in quibus residet immaculata columba fructuose nidificans. Tres autem cruces facit pariter super oblatam et calicem, quoniam in tribus verbis primis utraque species intelligitur: numquam autem in crucis signaculo panis separatur a calice, nisi cum separatim nominatur.

9. Hic oritur non praetereunda silentio quaestio, quare super hostiam benedictam et plenissime consecratam, adhuc benedictionis signum exprimitur? Immo talia sunt quaedam subiuncta in canone, quae videntur innuere, quod nondum sit consecratio consummata. In canone siquidem aliud verba significant, aliud signa portendunt. * Verba namque principaliter spectant ad eucharistiam consecrandam, signa vero principaliter pertinent ad

(*) Cod. *alia verba significant, alia verba protendunt.*

historiam recolendam. Hoc capitulum *qui pridie quam pateretur* in fine canonis subici debuisset, quoniam in eo consecratio consummatur; sed quoniam impedisset ordinem historiae, quasi quadam necessitate compulsus capitulum illud quasi cor canonis, ita in medio collocavit, ut quae sequuntur intelligantur praecedere, secundum illam figuram, quae saepe fit, ut quae ratione succedunt, intellectu praecedant. Vel potius ut tam litterae quam historiae suus ordo servetur, dicatur quod signa pertinent ad historiam recolendam, verba ad consecrata hoc modo, nos tui primi videlicet sacerdotes, sed et plebs tua sancta, scilicet populus christianus: nam populus agit voto, sacerdotes peragunt mysterio.

10. *Offerimus praeclarae maiestati tuae*, id est prae ceteris clarae: nam si iusti fulgebunt sicut sol in regno patris, quanto clarius divina maiestas praefulget? *De tuis donis*, id est de fructibus segetum, quantum ad panem qui est consecratus in carnem. *Ac datis*, id est de fructibus arborum, quantum ad vinum quod est consecratum in sanguinem. De istis, inquam, et de illis *offerimus hostiam puram*, *hostiam sanctam*, *hostiam immaculatam*, id est eucharistiam immunem ab omni culpa originali, veniali, et criminali; vel puram quantum ad cogitationem, sanctam quantum ad loqutionem, immaculatam quantum ad operationem; quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Hoc est *panem sanctum*, id est sanctificantem, datorem *vitae aeternae*, quantum ad stolam carnis; *et calicem salutis perpetuae*, quantum ad stolam animae. *Supra quae propitio ac sereno vultu*, id est respectu placabili *digneris respicere*: non quod vultus eius mutetur aliquando, sed tunc Deus vultum suum super nos illuminat et serenat cum misericordiam suam super nos exhibet et declarat(1), secundum illud psalmi, illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri. *Sicuti accepta habere dignatus es munera Abel* etc. Adverbium istud sicuti

(1) Heio S. Petrus sine dubio respicit ad Flori diaconi expositionem canonis. Videsis biblioth. PP. Lugdun. T. XV. p. 77. G. Vicissim Petrum hoc loco imitatus videtur interpres anonymus canonis missae, saeculo XV. typis impressus, quem lego in codice palatino 607. Dissidet vero ubique expositio canonis, auctore Odone cameracensi, quae impressa legitur bibl. praed. T. XXI.

similitudinem innuit, non exprimit quantitatem: multo quidem acceptius est hoc sacrificium, quam quod obtulit Abel, Abraham, Melchisedech: valet enim res plus quam umbra, veritas qnam figura. Offeramus ergo sicut Abel, qui cor suum obtulit, et se totum Deo subdidit, et ideo dicit, respexit Deus ad Abel et ad munera eius, sed prius respexit ad Abel quam ad munera. Sacrificium offeramus, arietinam proterviam, feritatem taurinam, hircinamque libidinem iugulantes, iuxta illud psalmi, holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boves cum hircis. *Sanctum sacrificium*, *immaculatam hostiam*. Hoc addidit in canone Leo papa.

11. *Supplices te rogamus.* Post caenam exiit Iesus in montem Oliveti, et progressus pusillum procidit in faciem suam orans. Ideo sacerdos inclinans se orat. Tunc accessit traditor et osculatus est eum: quod repraesentat sacerdos per osculum altaris. Et quia Iesus factus in agonia prolixius orabat, tertio dicens eundem sermonem; sacerdos facit tres cruces, primam et secundam distincte super oblatam et calicem dicens *sacrificium filii tui corpus et sanguinem sumpserimus*; tertiam se ipsum signando in facie cum dicit *omni benedictione caelesti et gratia repleamur.* Quia factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram, forte propter sudorem corporis crucem imprimit super corpus, propter guttas sanguinis crucem imprimit super sanguinem; quia procidit in faciem, crucem imprimit in faciem. Vel per duas cruces, quas facit sacerdos super corpus et sanguinem, designantur vincula et flagella, quibus elicitus est sanguis, cuius livore sanati sumus: per crucem quam facit sibi in facie, recolitur illud quod expuebant in faciem eius, et palmas in faciem dabant, et velabant faciem.

12. *Iube haec perferri.* Tantae sunt profunditatis haec verba, ut intellectus humanus vix sufficiat penetrare: nam et beatus Gregorius tanti secreti interpres (1) de hora immolationis ineffabiliter loquens, quis inquam fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem caelos aperiri, in illo mysterio choros angelorum adesse, summis ima sociari, terram caelesti-

(1) Heic quoque imitatur Florum Petrus, et interdum alibi.

bus iungi, unum et idem ex visibilibus et invisibilibus fieri? Et alibi dicit: uno eodemque tempore ac momento et in caelos rapitur ministerio angelorum consecratum corpus Christi, et ante oculos sacerdotis videtur in altari, salvo tamen occulto caelestis oraculi sacramento. Possunt verba licet simplicius tamen securius hic intelligi, *iube haec*, id est vota fidelium, videlicet supplicationes et preces, *perferri per manus sancti angeli tui*, hoc est per ministerium angelorum, secundum illud quod ait angelus ad Tobiam, qnando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tnam Domino. *In sublime altare tuum*, hoc est in conspectum divinae maiestatis tuae. Porro sicut beatus Augustinus determinat, non dicitnr angelus orationes nostras offerre Domino, quia tunc primo noverit Deus quod volumus, quia Deus novit omnia ante quam fiant, sed quia necesse habet rationalis creatura temporales causas ad aeternitatem referre, sive petendo quae gratiose fiant, sive consulendo quid faciat, ut quod Deo iubente implendum esse cognoverit, vel evidenter vel latenter reportet. Hinc etiam evidenter apparet, quod angeli in sacrificio semper assistunt.

12. *Memento Domine*. Orat pia mater ecclesia non solum pro vivis sed etiam pro defunctis, et eos sacrae intercessione oblationis commendat sanctis: sive quia sanguis iste pretiosus, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum, non solum ad salutem viventium, sed etiam ad absolutionem [valeat] defunctorum. *Qui cum signo fidei*. Non quod ibi sit fides, quia fides et spes evacuabuntur, sed signum fidei pro charactere christianitatis accipitur, quo fideles ab infidelibus discernuntur. *Et dormiunt in somno pacis*. Secundum illud, in pace in id ipsum dormiam. Sacra scriptura appellat dormientes, ut ait apostolus, nolumus vos ignorare de dormientibus. Et Dominus in evangelio, Lazarus amicus noster dormit. Propitiare, Domine, *et omnibus in Christo quiescentibus*. In hoc loco sacerdos, qnorum maluerit, debet agere memoriam specialem. *Locum refrigerii*, in quo non est ardor peccatorum. *Lucis*, in quo non est obscuritas tenebrarum. *Et pacis*, in quo non est conflictus poenarum. *Nobis quoque peccatoribus*. Nam si dixerimus quod peccatum non habemus, nosmet ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. *Cum Iohanne, Stephano, Matthia, Barnaba*. In hac secunda

commemoratione sanctorum ex magna parte supplentur quae de praemissis sanctis iubebantur. Sed quaeritur quare Iohannes repetitur, et quare Stephanus sociatur Iohanni, et quare praemittitur Matthiae et Barnabae? Sane Iohannes in prima commemoratione cum aliis disponitur propter apostolatum; in hac commemoratione repetitur et cum Stephano sociatur propter privilegium caelibatus, virgines enim sunt. Propterea ceteris praemittitur virginitas et maxime commendatur, quia Christus in cruce matrem virginem virgini commendavit. Stephani vero virginitas ex eo maxime deputatur, quod deputatus est ab apostolis ad ministerium viduarum; et ideo in hoc quod feminis est praepositus, testem meruit sincerissimae castitatis. Posset tamen non evangelista, sed Baptista Iohannes intelligi: nec obstat quod praemittitur tum apostolis tum etiam martyribus, cum Baptista merito inter martyres possit numerari. *Non aestimator meriti.* Non secundum exigentiam meritorum retribuit, sed citra condignum puniendo, et supra condignum remunerando.

14. *Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas.* Nam omnia per ipsum facta sunt; et vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona. *Creas.* Ergo condendo naturam. *Sanctificas*, consecrando naturam. *Vivificas*, transubstantiando creaturam. *Et benedicis*, accumulando gratiam. Est autem simplex providentiae demonstratio. *Haec enim omnia*, id est panem vinum et aquam, *semper bona creas*, secundum causas primordiales; *sanctificas*, secundum causas sacramentales; *vivificas*, ut transeant in carnem et sanguinem; *et benedicis*, ut conferant unitatem et caritatem; *per ipsum*, tamquam per mediatorem; *cum ipso*, tanquam coaequali; *in ipso*, tamquam consubstantiali: in patre quippe notatur auctoritas, in filio aequalitas, in spiritu sancto coaevitas: auctoritas in patre propter principium; aequalitas in in filio propter medium; coaevitas in spiritu sancto propter consortium. Sexta feria crucifixus est Dominus hora tertia linguis Iudaeorum, quod narrat Marcus; sexta manibus gentilium, quod narrat Iohannes; et circa horam nonam inclinato capite emisit spiritum. Ad recolendam ergo crucifixionem, quae hora tertia facta est linguis Iudaeorum ter clamantium crucifige, et rursus tolle tolle crucifige, sacerdos facit tres cruces super oblatam et calicem cum di-

cit *sanctificas vivificas benedicis.* Ad recolendam vero crucifixionem quae post intervallum trium horarum facta est manibus gentilium, facit item tres cruces cum hostia dicendo super calicem *per ipsum et cum ipso et in ipso.* Postmodum vero ad designandam divisionem carnis et animae Domini morientis, facit duas cruces in ore calicis, cum dicit *tibi Deo patri omnipotenti in unitate spiritus sancti Deus.* Dum enim in Christo tres sint unitae substantiae, divinitatis ad corpus, divinitatis ad animam, et animae ad corpus divisum ab anima, propterea non tribus crucibus sed duabus mors Domini designatur.

15. Sacerdos etiam super mensam altaris manus extendit, quia Christus super aram crucis manus expandit. Subtilius tamen ac profundius haec possumus figurare: tres quippe cruces significant tres cruciatus, quos Christus in cruce sustinuit, videlicet, passionem propassionem et compassionem; passionem in corpore, propassionem in mente, compassionem in corde. De passione dicit propheta, o vos qui transitis per viam, attendite et videte si est etc. Etiam, foderunt manus meas et pedes meos. De propassione mentis Dominus inquit, tristis est anima mea. Et item coepit Iesus pavere et teadere. De compassione cordis pro crucifixoribus oravit, pater ignosce illis. Ideo vero sacerdos facit has cruces cum hostia super calicem, quia Christus huiusmodi cruciatus in corpore super patibulum [pertulit]: per calicem enim passio designatur; secundum * illud, pater si fieri potest, transeat a me calix iste. Duae vero cruces, quas facit in latere calicis, designant duo sacramenta quae de latere Domini profluxerunt, videlicet aqua regenerationis et sanguis redemptionis. Corporale desuper calicem removetur, quia velum templi scissum est, secundum quod de eo scriptum erat, hactenus erat clausum; et lignum missum est in aquis Marath, et dulcoratae sunt. Tunc exaltatum parumper sacramentum de altari sacerdos deponit ipse et diaconus, quia venit Ioseph ab Arimathia, venit et Nicodemus, et impetratum a Pilato corpus Iesu sepelierunt. Et quia advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, diaconus super os calicis corporale reponit. Quia nunc factus est in pace locus eius, diaconus mensam altaris osculatur.

(*) Cod. *super*.

Quia factus est principatus super humerum eius, diaconus manum pontificis osculatnr.

16. Sacrificium igitur septem vicibus signatur in canone; prima vice ter, ubi dicitur *haec dona*, *haec munera*, *haec sancta sacrificia illibata*; propter ternam Christi traditionem, quae facta est de eo a Iuda et a Iudaeis. Secunda vice quinquies, ubi dicitur *quam oblationem tu Deus digneris facere benedictam, ascriptam et ratam, ut fiat corpus et sanguis*; propter quinque partes venditoris, sed et venditi, et emptorum, videlicet sacerdotum, scribarum, et pharisaeorum. Tertia vice bis, ubi dicitur *accipiens panem benedixit et fregit. Similiter et hunc praeclarum calicem gratias agens benedixit*, propter benedictionem panis qui transubstautiatur in carnem, et vini quod transubstantiatur in sanguinem. Quarta vice quinquies, ubi dicitur *hostiam puram*, *hostiam sanctam*, *hostiam immaculatam*, *panem sanctum vitae aeternae et calicem salutis perpetuae*, propter quinque Domini plagas. Quiuta vice bis, ubi dicitur *sacrosanctum corpus et sanguinem*, propter vincula in quibus ligatum est corpus, et flagella quibus elisus est sanguis. Sexta vice ter, ubi dicitur *sanctificas vivificas benedicis*, propter crucifixionem quae facta est hora tertia linguis Iudaeorum clamantium ter, crucifige. Septima vice quinquies, ubi dicitur *per ipsum, et cum ipso, et in ipso, tibi Deo patri omnipotenti in unitate spiritus sancti*, ter super calicem propter tres cruciatus quos Christus sustinuit, passionis, propassionis, et compassionis: et bis in latere calicis propter aquam et sanguinem qui de latere Christi profluxerunt. Inter has septem vices sacrificium signatur duabus vicibus bis, et tribus vicibus quinquies, et duabus vicibus ter; simul omnibus quinquies quinque, quae sunt simul XXV, qui numerus per se ductus semper in se ipsum reducitur: nam quinquies quinque sunt XXV; quinquies XXV. sunt CXXV; CXXV. quiuquies sunt DCXXV; et ita semper habundat quinarius numerus et in se ipsum redncitur, si ducatur in infinitum, quamlibet eum multiplices. Eucharistiae sacramentnm semper idem est sacrificium.

17. Non solum autem crucis impressio, verum etiam vocis expressio quae gesta sunt iuxta crucem insinuant. Sacerdos enim voce paululum expressa, percusso pectore, silentium interrum-

pit, repraesentans contritionem et confessionem latronis: vel etiam exaltatione vocis, et tunsione pectoris exprimitur illud quod centurio, et qui cum eo erant, visis iis quae fiebant, timuerunt valde dicentes, vere filius Dei erat iste; et percutientes pectora revertebantur. Quia vero Iesus clamans voce magna emisit spiritum, levat sacerdos vocem dicendo *per omnia saecula saeculorum.* Videlicet quia mulieres lamentabantur flentes Dominum, chorus quasi lamentando respondet *amen.* Iesus voce magna clamabat, pater in manus tuas commendo spiritum meum: et ideo sacerdos elevata voce pronunciat, *pater noster qui es in caelis.* Hanc orationem post canonem beatus Gregorius censuit recitari super hostiam: haec enim oratio ceteris omnibus multis rationibus antecellit, scilicet auctoritate doctoris, bonitate sermonis, sufficientia petitionis, fecunditate mysteriorum. Sunt hic septem petitiones quae adaptantur septem donis, septem virtutibus, septem beatitudinibus, contra septem vitia capitalia. Homo enim est aegrotus, Dominus est medicus, vitia sunt languores, petitiones sunt planctus, dona sunt antidota, virtutes sunt sanitates, beatitudines sunt gaudia felicitatis. Quod sequitur secretae silentium, quietem significat dominicae sepulturae. In sabbato Christus secundum carnem quievit in sepulchro, secundum animam descendit ad inferos, ut fortior superveniens fortem spoliaret armatum. *Libera nos quaesumus Domine.* Haec oratio dicitur embolismus (1), et est expositio novissimae petitionis orationis dominicae. Post passionis tristitiam ad resurrectionis gaudium pervenit, secundum illud, ad vesperum demorabitur fletus, ad matutinum laetitia.

18. Diaconus et subdiaconus portant patenam, quam sacerdos accipiens osculatur, et cum ea signum crucis sibi facit in faciem. Hi tam numero quam obsequio stantes illas mulieres significant, scilicet Mariam Magdalenam et Mariam Iacobi, et Salome, quae portantes patenam, id est cor patens latitudine charitatis, in obsequium sepulturae emerunt aromata. Hanc ergo patenam, id

(1) Sic et anonymus palatinus, qui addit *id est superexcrescentia, eo quod nihil in ea petitur, quod in praecedenti dominica oratione petitum non sit; nec tamen superfluit, quia est expositio et repetitio septimae petitionis.*

est cor amplum latitudine charitatis, sacerdos accipit, id est Christus acceptat. Quia vero crucifixus ardenti desiderio quaerebatur, iuxta quod inquit angelus mulieribus scio quod Iesum quaeritis crucifixum; ideo crux cum patena imprimitur in facie; statimque sacerdos osculatur patenam, ostendens quod Christus confestim implevit desiderium mulierum; mox enim occurrit eis dicens, avete. Tunc sacerdos frangit hostiam in tres partes; et duabus extra calicem reservatis, cum alia signum crucis facit super calicem; et alta voce dicendo, *pax Domini sit semper vobiscum*, particulam hostiae in calicem demittit. Sacerdos igitur hostiam frangit, ut in fractione panis Deum cognoscamus, sicut illi discipuli in Emaus. Coniunctio panis et vini significat unionem carnis et animae in resurrectione Christi denno supervenientem. Ideo ter signum producitur cum hostia super calice, quia virtus trinitatis animam crucifixi reduxit ad carnem. Ideo etiam fiunt tres cruces super os calicis, quia tres mulieres quaerebant crucifixum ad ostium monumenti: de quo diaconus removet corporale, designans quod angelus Domini revolvit lapidem ab ostio monumenti. Quid autem illae partes significent, Sergius papa determinat dicens: triforme est corpus Christi; pars oblatae in calicem missa, corpus Christi quod iam resurrexit demonstrat: pars comesta, corpus ambulans adhuc super terram: pars in altari usque ad finem missae remanens, corpus iacens in sepulchro, quia usque in finem saeculi corpora sanctorum in sepulchris erunt. *Pax Domini sit semper vobiscum.* Hoc significat quod stetit Iesus in medio discipulorum, et dixit eis, pax vobis. Quia vero statim dedit eis potestatem remittendi peccata; quorum inquit remiseritis peccata etc. idcirco chorus clamat ad ipsum, *agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis.* Et ne loquamur pacem, et non habeamus in corde, Innocentius pacis osculum dari decrevit, et omnibus datur, ut constet populum ad omnia, quae mysterio aguntur et in ecclesia celebrantur, suum praebuisse consensum.

EXPLICIT EXPOSITIO CANONIS MISSAE SECUNDUM BEATUM PETRUM DAMIANI.

TESTIMONIA NOVI TESTAMENTI

QUAE

DE OPUSCULIS BEATI PETRI DAMIANI QUIDAM EIUS DISCIPULUS EXCERPERE CURAVIT (1).

TESTIMONIA EVANGELIORUM.

Capitula secundum Matthaeum.

1. *Quod in genealogia Domini reprehensibiles solum mulieres interponuntur, et quod Matthaeus descendendo XL. generationes enumerat, cum Lucas LXXVII. ascendendo describat.*
2. *Vos estis sal terrae: si sal evanuerit, in quo condietur?*
3. *Non potest arbor mala fructus bonos facere.*
4. *Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista.*
5. *Colligite primum zizania, et alligate fasciculos ad comburendum.*

1. *In expositione eiusdem evangelii seu in sermone de sancto Luca* (2).

Illud vero quosdam movere non irrationabiliter potest, cur sanctus evangelista reprehensibiles solummodo mulieres in Christi genealogia interponere studuit, sanctas vero et absque ulla contradictione laudabiles silentio praeterivit. Sed hoc idcirco factum est, ut dum Redemptor noster de peccatoribus natus esse describitur, pro peccatoribus de caelo ad poenam descendisse credatur: descendit quippe ut peccata nostra ipse portaret; ascendit vero, ut divinitatis suae nos participes faceret, sicut per apostolum dicitur, quia mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram. Hinc est enim quod Matthaeus descendendo per Salomonem, cuius ma-

(1) In editione operum S. doctoris Petri Damiani per Const. Caietanum curata, extant quidem Collectanea testimoniorum ex vetere testamento, quamquam fine carentia; sed Collectanea ex novo desiderantur: qua super re sic loquitur praedictus editor T. IV. p. 138: *admonendum te putamus, lector optime, huiusmodi Collectanea ex operibus S. Petri Damiani excerpta, magna cum diligentia a nobis fuisse conquisita; sed tamen in vetus dumtaxat testamentum, eaque imperfecta, ut apparet, quae nunc in lucem damus, fuisse inventa. Nam expositiones novi testamenti, quas etiam (ut vetus inscriptio indicat) idem auctor, S. Doctoris discipulus, compilavit, reperiri minime potuerant.* Sed certe Caietanus diligentiam suam in hoc opere vestigando extra vaticanam bibliothecam exprompsit; nam huius vetus codex 4930. (cuius est recens apographum ottobon. 962.) utraque Collectanea tam ex vetere quam ex novo testamento continet. Placet igitur operum tanti Doctoris editionem hoc etiam scripto cumulare.

(2) Sermo de S. Luca, in quo partim leguntur sequentia, extat in ed. T. II. p. 134. Sed expositio sive in Matthaeum sive in Lucam S. Petri Damiani (si forte extitit) nulla edita habetur.

trem concupiscendo David peccavit, XL. generationes enumerat; cum Lucas ascendendo per Mathan, per cuius nominis prophetam peccatum David expiavit LXX et VII. generationes describat. Per Matthaeum quippe signatur, quia idcirco Dei filius ad nos peccatores descendit, ut mortalitatis nostrae particeps fieret; per Lucam vero innuitur, quia idcirco post resurrectionem ad patrem ascendit, ut nos divinitatis suae consortes efficeret: sicut per egregium praedicatorem dicitur, quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terrae? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos, ut adimpleret omnia. Per numerum autem, quem Matthaeus ordinat, susceptio laboriosae mortalitatis; per illum vero quem Lucas posuit, humanae exprimitur abolitio pravitatis. Per quadragenarium quippe numerum labor exprimitur, quo videlicet Christus in corpore suo, quod est ecclesia, per diversa vitae huius tempora fatigatur. Hinc est quod Moyses et Helias XL. dierum continuavere ieiunium: sed et ipse Dominus sub eodem numero abstinuit perceptione ciborum. Per Moysen itaque lex, per Heliam prophetia, per Christum vero novi testamenti patenter intelligitur gratia. Per afflictionem ergo legis, prophetiae simul et gratiae labor innuitur universalis ecclesiae per universa mortalis huius vitae saecula fatigatae. Hinc est quod filii Israel, aerumnis atque laboribus diutinae peregrinationis attriti post XL. annos terram sunt promissionis ingressi; quia videlicet omnes electi post emensum huius peregrinationis excursum, mox hereditario iure terram viventium possidebunt. Per septuagenarium vero numerum, quem Lucas posuit, remissio peccatorum exprimitur, sicut ipse Dominus in evangelio testatur. Cum enim Petrus interrogaret dicens, Domine quoties peccaverit in me frater meus, dimittam ei usque septies? Respondit, non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Congrue autem per septuagenarium numerum peccatorum remissio designatur, quia ab undenario et septenario nascitur: undecim namque si septies multiplicentur, LXX. et VII. numerum faciunt. Denarius autem numerus perfectus esse dignoscitur, per quem et decalogus designatur. Sed si denarius est perfectus, restat necessario ut sit undenarius imperfectus. Quid est autem peccatum, nisi transgressio legis? Si ergo per denarium lex intelligitur, recte per undenarium legis transgressio figuratur: septenario vero numero tota saeculi huius universitas continetur, quia septem diebus omnis decursus vitae praesentis evolvitur. Per undenarium ergo septies multiplicatum cuncta nostra peccata ad septuagesimum septimum deducuntur numerum, in quo vera omnium fit remissio peccatorum. Unde eleganter a Christo et baptismo haec secundum Lucam series inchoatur, et in Dei patris persona finitur. In baptismo enim Christi omnium nobis peccatorum remissio provenit per spiritum sanctum qui super baptizatum Dominum in specie columbae descendit. Sic per Christum redempti, et per spiritus sancti gratiam abluti, reconciliamur Deo patri. Quos utriusque evangelistae sensus bea-

tus Paulus una sententia comprehendit dicens, misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne. Cum enim dicit misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, peccatorum nostrorum susceptionem manifeste declarat, quam ostendit Matthaeus cum descendendo XL. generationes enumerat. Cum vero sequitur, et de peccato damnavit peccatum in carne, expiationem omnium nostrorum criminum indicat, quam Lucas exprimit, cum ascendendo LXXVII. generationes describit.

2. *In sermone synodali tertio* (1).

Vos estis sal terrae. Plurimus plane cibus sub una mole congeritur qui tamen exiguo sale conditur: et multus est populus christianus, ad cuius comparationem perexiguus est numerus sacerdotum: sed dum populi multitudo sacerdotalis eloquii sale conspergitur, caelestis sapientiae sapor in eorum cordibus gignitur, et gustus mentis humanae in delectatione caelestium suaviter obdulcatur. In quo cavendum est valde quod dicitur, si sal evanuerit, in quo condietur? Nam cum sacerdotis cor ab amore supernae dulcedinis evanescit, amarescit illico per salsuginem terrenae concupiscentiae, ideoque iam non poterit aliena corda salire.

3. *In epistola ad Gebizonem.*

Ed. T. I. p. 95. Non potest arbor mala fructus bonos facere. Arbor sane voluntas intelligenda est, non persona: nam eadem persona hominis et bona operari valet et mala, sicut ex eadem terra et ficus profertur et spina. Sed sicut mala arbor numquam bona germinat poma, ita de superba voluntate, quae procul dubio mala est, numquam mera vel incontaminata procedit humilitas: et sicut radice laesa, totius arboris rami consequenter arescunt; sic ex mente superba, si quid boni operis ad tempus virescere cernitur, velut humore convallis exhausto, in praerupti saxi ariditate siccatur.

4. *In sermone de sancto Iohanne Baptista.*

Ed. T. II. p. 61. Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista. Exclusit itaque maiorem, non negavit aequalem. Hinc est quod ad Zachariam angelus dicit, ipse praecedet ante illum in sapientia et virtute Heliae. Par ergo Heliae Iohannes videtur, in cuius sapientia et virtute venturus asseritur: praesertim cum et alibi ipsa veritas dicat, Helias iam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eum quodcumque voluerunt: et si vultis

(1) In editione T. II. p. 192. nihil extat, praeter fragmentum sermonis primi synodalis.

scire, Iohannes ipse est Helias. Sed occe e diverso illud occurrit, quod Helisaeus duplicem Heliae spiritum iuxta modnm suae petitionis accepit: obsecro, inquit, ut fiat spiritus tuus duplex in me. Quod si Heliam Helisaeus dupliciter antecellit, aequalem Heliae Iohannem quomodo superat, quo inter natos mulierum maior nemo surrexit? Verumtatem ut solvatur quaestio, ponderandus est sensus, ut qnod durum in verbis exterioribus sonat, de pia intentione procedero discretio sobrie sentientis intelligat. Durum quippe sonuit, quod Helisaeus duplicem magistri spiritum petiit, cum non sit discipulus super magistrum; sed ex pura mente petitio ista processit, quia non terrenum aliquid, sed spiritualem gratiam postulavit; unde et Helias quasi subindignatus, incauta discipuli verba redarguit, cum ait, rem difficilem postulasti: simplicitatem vero piae intentionis aspiciens praesto subiungit, attamen si videris me, quando tollar a te, erit quod petisti: non videlicet duplicitas, quam incautus sermo profudit, sed donum spiritus, quod humili ac sincera mens intentione quaesivit. Hoc itaque modo nequaquam Iohannem superat Helisaeus, sicut nec maior est quam Helias. Verumtamen si sacrae historiae tenorem inspicimus diligenter, uberiorem sive clariorem Helisaeum, quam Heliam in miraculorum fuisse virtutibus invenimus. Ille virum vivens defunctum puerum vitae restituit, iste iam mortuus, mortuum suscitavit. Illo prophetante hydria farinae et lecythus olei non defecit, iste obsessae et afflictae civitati protinus in diem alterum incredibiles hostilium castrorum copias obtulit. Atque ut in brevi cuncta concludam, Helias XII, Helisaeus ut scripturae veritas tradit XXIII. miraculorum signis enituit, quae videlicet quia fastidium devitamus, hic enumerare postponimus. Quomodo ergo huius me nodo quaestionis expediam, ut prolata de magnitudine Iohannis non vacillet sententia veritatis, qua dicitur in natis mulierum non esse maiorem Ioanne Baptista? Nam si maior est Helisaeus quam Helias, ergo maior est et Iohanne, quod fieri impossibile est. Sed notandum quod aliud est magnum quid agere in signis miraculorum aliud magnum esse in excellentia meritorum: nam si de miraculis agitur nullum fecisse miraculum Iohannes in scripturarum paginis invenitur. Sed numquid propter hoc infimus erit omnium sanctorum, quia nulla traditur signa fecisse virtutum? Helisaeus ergo maior est quam Helias in exhibitione signorum, quem tamen nequaquam superat in cumulo meritorum. Ita et Iohannes par quidem est Heliae, quia sicut ille praeco futurus est iudicis, ita et hic praecursor factus est Redemptoris; sed maior Helia, quia quem demonstravit, etiam baptizavit. Iohannes itaque humanorum limes est meritorum: quantumcumque enim apostolici senatus excellat auctoritas, quamtumcumque vel patriarcharum fides in divina agnitione proficiat, vel prophetarum miracula ad reseranda arcana mysteria convalescant, quantumlibet certe cumuletur triumphantium gloria martyrum, quantumvis effloreat vernans pudicitia virginum, vel in verbo vitae se exerceat lingua doctorum, citra metam Iohannis omnia cohibentur,

nihilque virtutis humanae, nihil religionis, nihil perfectionis, ultra progreditur.

5. *In sermone de sancto Stephano papa.*

Ed. T. II. p. 90. Colligite primum zizania, et alligate fasciculos ad comburendum. Pensanda sunt diligenter verba veritatis ac cum timore quibus dicitur, alligate fasciculos ad comburendum zizania: quippe fasciculi alligantur, quia in illo perpetuae damnationis incendio, homicidae cum homicidis, adulteri cum adulteris, periuri cum periuris, incestuosi cum incestuosis, non diverso poenalium tormentorum genere constringuntur: illic eos infinitae poenae patens gehennae barathrum devorat, qui his se arroganter in superbiae cornibus estollebant; illic eorum carnes atque medullas saginis irriguas crepitans flamma depascet, qui hic arsere deliciis, et aestuantis expleverunt illecebras voluptatis. Bene itaque dicuntur fasciculi alligari, quia nequaquam eos tunc separat diversitas ultionis, quos hic similitudo sociaverat pravitatis; et qui nunc eisdem criminibus sunt obnosii, eiusdem supplicii postmodum tenentur animadversione constricti. De quibus omnibus alibi sub unius personae specie dicitur, ligatis manibus et pedibus mittite illum in tenebras esteriores. Illic membra ligantur ad poenam, quae hic soluta ac libera ferebantur ad culpam; vel tunc digne constringenda sunt in suppliciis, quae nunc male ligata sunt a pietatis operibus peragendis: illic animae reproborum cum corporibus simul inextinguibili cruciantur incendio, sicut hic in essecutione pravi operis iungebantur. Unde et per prophetam dicitur, descenderunt ad infernum cum armis suis: arma quippe peccantium membra sunt corporis, quibus reprobi homines diabolo militant, et eius imperio perverse vivendo ministrant. Simul ergo cum animabus et corpora in aeterna morte damnantur, quae simul in pravi operis perpetratione viserunt; de quibus propheta dicit, ibi Assur et sepulchra eius.

EX MARCO.

1. *In sermone de sancto Marco.*

Ed. T. II. p. 32. Quisquis evangelium beati Marci subtili meditatione considerat, et sita ut dignum est indagatione pertractat, rudibus quidem et non accuratis descriptum verbis, sed uberrimis inveniet caelestis intelligentiae redundare mysteriis. Est plane stili brevitate succinctum, sed profunda mysterii spiritualis ubertate diffusum. Perscrutantes namque omnes fere paginas scripturarum, invenire vix possumus spiritum veritatis cautius vel circumspectius per alium quemlibet, quam per os beati Marci, fuisse locutum, adeo ut ipsa descriptionis series et ordo verborum magnum contineat sacramentum. Quod ut facilius elucescat, in ipso libri eius esordio nos breviter intimare non pigeat. Primum namque miraculum ponit, quo Dominus daemonem per

os hominis clamantem tacere praecepit, eumque protinus expulit; obmutesce, inquit, et exi ab homine. Secundum miraculum est quo febricitantem socrum Petri depulso typi calore sanavit. Tertium est, quo leprosum tetigit et purgavit. Quartum quoque est, quo paralyticum grabatum tollere, et abire praecepit. Qui videlicet ordo, si diligenti cura perpenditur, manifeste docet, quanta magisterii arte spiritus sanctus scribentis calamum tenuit, et ad declarandum redemptionis humanae mysterium, quasi per quandam lineam, omnia dispensavit. In deiectione namque primi hominis principio diabolus locutus est, ac pomum vetitum comedi persuasit. Deinde mulier, quia in delectationis concupiscentiam corruit, velut aestuantis ardorem febris incurrit. Adam vero postquam de fructu ligni male consentiendo gustavit, omnium mox vitiorum lepra perfusus, postremo et tamquam paralyticus a cunctis bonis operibus est interioris hominis languore constrictus. Quia ergo filius Dei, sicut Iohannes dicit apostolus, destruere venit opera diaboli, per eandem viam persecutus est mortem, qua illa ingressa fuerat in orbem terrarum: et ubi fusum est perditionis nostrae venenum, animarum medicus salutis obiecit antidotum: atque unde mortem hostis callidus introduxit, per eundem tramitem Redemptor noster redeuntis vitae primordia reformavit; quatinus et diabolum, qui in ruinam nostram locutus fuerat, iam iam tacere compelleret; et Evam a febribus aestuantis concupiscentiae liberaret; a viro non modo lepram vitiorum scelerumque detergeret, sed eundem quoque eatenus paralyticum ad exercenda pietatis opera validum liberumque laxaret. Sicut ergo in illis hominibus totum periit genus humanum, sic in istis a Salvatore curatis est superioris figurae mysterio saluti pristinae restitutum. In capitulo igitur evangelii huius libri studiosus lector addiscat, sequentis stili series quam profunda quam mystica karismatum sacramenta contineat. Nec mirum, cum liber ille non plus Marci quam Petri perhibeatur apostoli: quicquid enim iste scripsit, ex ore beati magistri callidus ut ita dixerim explorator audivit.

2. *De eo quod Marcus in quibusdam verbis ab aliis dissonat, sed intellectu spirituali consonat.*

In eodem sermone.

Porro autem nonnulla reperiuntur, quae sic sunt a beato Marco digesta, ut reliquis evangelistis videantur esse contraria: quae tamen si sagacius perscrutentur, et ceteris consona, et sincerissimae fidei reperiuntur veritate fundata. Sicut est quod ceteri hora sexta, hic asserit hora tertia Dominum crucifixum: quae profecto diversitas ita dirimitur, ut quoniam hora tertia tumultuati sunt crucifige crucifige, eadem hora Dominum lingua crucifixerit Iudaeorum, quem hora sexta corporaliter clavis confixere gentilium. Illi itaque Ed. T. II. p. 33.

iuxta corporalem, ut ita loquar, rei gestae loquuntur historiam, iste spiritualem protulit de furiosa Iudaeorum crudelitate sententiam. Illi praeterea referunt ante galli cantum ter a Petro Dominum fuisse negatum; iste qui hoc ex ore scilicet ipsius negantis audivit, non antequam gallus cantaret, sed antequam bis cantaret, negationem hanc factam esse perscripsit; quod profecto iuxta fidem rei veraciter contigisse sicut Marcus asserit, indubitanter agnoscitur. Quod autem alii evangelistae dicunt, ita debet intelligi, ut trina illa negatio ante galli quidem cantum fuerit coepta, sed postquam semel cecinit, sit expleta: ut quoniam in scripturis pars solet poni pro toto, id quod per Matthaeum dicitur antequam gallus cantet ter me negabis, sic intelligatur tamquam diceret ter me negaturus antequam gallus cantet incipies, sed eamdem negationem postquam semel cantaverit, antequam cantare bis adiciat, consummabis. Sic itaque et quod Marcus ait prius quam gallus cantet bis, et quod alii dicunt antequam gallus cantet, ter me negabis, licet verbis videantur exterioribus dissonare, congruentissima reperiuntur intentione congruere.

Capitula secundum Lucam.

1. *Quod Lucas solus inter ceteros evangelistas tria cantica describat.*

2. *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis exultavit in gaudio infans in utero meo.*

3. *Reversi sunt autem LXXII. cum gaudio dicentes, Domine, etiam daemonia subiciuntur nobis in nomine tuo.*

4. *De eo quod docente Domino nuntiatur, quia Pilatus Galilaeorum sanguinem cum sacrificiis immiscuerit.*

1. *In epistola ad Honestum monachum* (1).

Beatus Lucas qui vituli speciem repraesentat, quia videlicet vitulus in sacrificium mactari consuescat, solus inter ceteros evangelistas tria describere cantica reperitur, primum Zachariae, secundum Mariae, tertium Simeonis; et cum nullus evangelistarum alius proprio stilo canticum inseruerit, iste dumtaxat, qui formam in se legalis hostiae solus exprimit, cantica diversa describit, primo quidem sacerdotis, deinde virginis, postremo iusti senis: ut per hoc ostendatur quoniam illi prae ceteris in excellentia canendi debetur officium, qui semetipsum iam Deo veraciter obtulit holocaustum. Canat ergo siccus et aridus, non qui deliciis fluit humectus et uvidus. Ovis plane vivens balat, mortua cantat: arida chorda clarum, humida sonum red-

(1) Ad Honestum monachum epistola seu opusculum extat in ed. T. III. p. 377, sed ibi hic Petri tractus non legitur: quamquam huius argumentum ab illius opusculi proposito non abhorret.

dit obtunsum. Cavendum est ergo de saeculo venientibus, et terribiliter formidandum, ne dum mundanae conversationis laqueos fugiunt, mollis et fluxae vitae nexibus deterius innectantur, qui etsi Deo boni aliquid offerant, sacrificantis oblatio non suscipitur, nisi et ia qui offert, quibusdam, ut ita loquar, devotionis suae manibus offeratur. Hinc est quod Cain inaniter offerebat, quia semetipsum prius offerre neglexerat.

2. *In sermone de nativitate sancti Iohannis Baptistae.*

Ecce, inquit Elisabeth, ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Spiritus enim sanctus, qui eum antequam vitales auras carperet animavit, ipsum quoque materni pudoris hospitium, in quo degebat implevit, unde cum necdum posset hominibus verba depromere potuit exultando latentem in utero virginis regem caeli maternis visceribus nunciare. Ubi quaerendum est quomodo fieri potuit, ut in eum spiritus sanctus sua dona diffunderet, cum iuxta ritum conditionis humanae adhuc in iniquitatibus conceptus existeret, et necdum originalis peccati vinculum percepta legalis observantiae circumcisione solvisset; cum per Moysen divina vox dicat, masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Sed notandum est, qua spiritus sancti gratia lege non astringitur, necessitatis vinculo non tenetur; sed sicut ubi vult spirat, sic et quibus vult gratis sua dona dispensat. Nam et Cornelium centurionem, antequam baptismi susciperet lavacrum inspiravit, et in quosdam adhuc gentiles, loquente Petro, non solum, ut scriptura testatur cecidit, sed etiam ut linguis loquerentur, instruxit. Quid ergo mirum, si beatum Iohannem ante legalis mandati quodcumque remedium spiritus sanctus implevit, quem ipsius legis, et prophetarum, ac totius veteris testimonii limitem quemdam, atque ut ita loquar, intransmeabilem terminum providentia divina constituit? Lex enim et prophetae, ut veritas ait, usque ad Iohannem. Iohannes enim iste cum Domino circumcisione non eguit, sed eum supra legem, supra humanae conditionis ordinem electio divina provexit: cui etiam tanti honoris collata est gloria, ut nativitati eius ipsa dei genitrix interesset, eiusque principium latens in utero mundi conditor sua praesentia dedicaret. Testatur hoc Lucas evangelista cum dicit, mansit autem Maria cum illa, videlicet Elisabeth, quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam. A conceptione quippe Domini usque ad nativitatem beati Iohannis tres menses sunt. Nolebat itaque Maria discedere, donec grandaevae puerperae ministerium sedulitatis impenderet; et quae gestabat in aula sui corporis regem, cerneret anteire praeconem. Ed. T. II. p. 61.

3. *In epistola ad Gebizonem.*

Ed. T. I. p. 95. Reversi sunt autem LXXII. cum gaudio dicentes, Domine et daemonia subiciuntur nobis in nomine tuo. Quid ad haec ille, qui cordis attendit arcana, respondit? videbam inquit Satanam, sicut fulgur de caelo cadentem: ac si dicat, videte ne dum nequitiae spiritus vestris subduntur imperiis, mentes vestrae iugo premantur elationis: quia si Satanas per superbiam caelum perdidit, quod tenebat, homo superbiens nequaquam valet invenire quod sperat.

4. *In epistola ad Desiderium abbatem quae titulatur de quibusdam miraculis.*

Ed. T. III. p. 297. Quid prodest hostiam Deo laudis offerre, et per torporem negligentiae foedis eam cogitationibus inquinare? Hanc porro boni malique mixturam locus ille significat evangelicus ubi dicitur, quia docente Domino aderant quidam ipso in tempore nunciantes illi de Galilaeis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. Nam quia Pilatus os malleatoris interpretatur, quid per hunc nisi diabolum debemus intelligere, qui paratus est semper homines offensionum ictibus verberare? Unde et virgam super humeros hominum tenere dicitur per prophetam, virgam inquit humeri eius superasti, sicut in die Madian. Quid vero sanguis, nisi peccata? quid sacrificia, nisi rectas et acceptabiles Deo significant actiones? Pilatus ergo Galilaeorum sanguinem cum sacrificiis miscuit, quia malignus spiritus vel orationes nostras pravis cogitationibus polluit, vel opera bona peccati cuiuslibet attaminatione corrumpit; ut sanguis sacrificium polluat, dum reatus offensio oblatam Deo recti operis victimam foedat. Unde scriptum est, quia cum Abraham Deo sacrificium de pecoribus ac volucribus devotus offerret, descenderunt volucres super cadavera, et abigebat eas Abraham. Quid enim exprimunt volucres, nisi malignos spiritus per aëra volitantes? Volucres ergo a sacrificio nostro repellimus, cum operum nostrorum victimas a malignis spiritibus eas foedare tentantibus provide custodimus.

EX IOHANNIS EVANGELIO.

1. *In sermone de exaltatione sanctae Crucis.*

Ed. T. II. p. 122. Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu triduo illud reaedificas? Sex nempe diebus omnipotens Deus omnia sua opera condidit, et sexto die hominem ad suam imaginem similitudinemque formavit. Sexta quoque aetate saeculi, filius Dei factus est filius hominis, ut nos reformaret ad imaginem Dei. Sexta insuper feria ipse Dominus passus est, ut ea

nimirum die homo fieret eius morte redemptus, quo dudum fuerat ipsius operatione plasmatus. Eodem porro die de costa viri formata est Eva, quo de latere Christi per aquam et sanguinem exivit ecclesia. Videamus itaque quomodo per eundem senarium numerum dominici corporis templum divinae providentiae sit arte constructum. Templum sane illud Hierusalem per XL. et VI. annorum curricula fuerat fabricatum, unde et a Iudaeis Domino dicitur, quadraginta et sex annis, et cetera: qui videlicet numerus si per senarium ducitur, omne tempus quo Dominus in matris utero mansit impletur. Nam quadragies sexies seni CCLXXVI. dies fiunt, qui dierum numerus complet novem menses et sex dies, qui videlicet tamquam decem menses parientibus feminis imputantur: non quia omnes mulieres ad sextam diem post nonum mensem pariturae perveniant, sed quia tot diebus ad partum perducta ipsa perfectio dominici corporis comperitur, sicut a maioribus traditur, et firma auctoritate ecclesiae custoditur. Octavo namque kalendas aprilis conceptus creditur, quo et passus: eo videlicet die sepultus est in monumento novo, ubi nec ante nec post quisquam est positus mortuorum, quo conceptus est in utero virginis, ubi constat nullum seminatum fuisse mortalium: natus autem traditur octavo kalendas ianuarii. Ab ipso ergo conceptionis die usque ad diem nativitatis CCLXXVI. reperiuntur dies, qui senarium numerum quadragies sexies continent. Quo igitur numero lapideum illud templum antiquitus est aedificatum, eodem quoque numero et templum dominici corporis per senarium est perfectum, hac tantummodo discretione servata, quod in constitutione templi annorum numerus ponitur, in aedificatione vero corporis Domini dierum calculus supputatur. Annorum igitur numerus templi illius antiqui, si per senarium ducitur, omnes dies quibus mansit Dominus in virgineo ventre complentur. Coniuncto itaque numero, quo Deus opera sua fecit, cum illo quo templum est conditum, Domini corpus efficitur, ut nobis detur intelligi quia per illud divinitatis templum, quod in virginis utero constructum est, universa sunt Dei opera restaurata, sicut dicit apostolus quia proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quae in caelis et in terris sunt in ipso. Sed hoc corporis templum, quod per senarium numerum fieri divina providentia voluit, tribus horis iudaica impietate resolutum, triduo reaedificavit, sicut ipse dicit, solvite templum hoc, et post triduum reaedificabo illud. Hoc autem inquit evangelista dicebat de templo coporis sui: nec mirum, si quod per senarium numerum fieri divina providentia voluit, tribus horis iudaica impietate resolutum, triduo reaedificavit, sicut ipse dicit, solvite templum hoc, et post triduum reaedificabo illud. Hoc autem, inquit evangelista, dicebat de templo corporis sui. Nec mirum si quod per senarium factum est, per ternarium sit solutum, per ternarium quoque rursus reaedificatum, cum et ipse senarius sicut ex ternario crescit, ita nihilominus et in ternarium resolvatur: unus enim, duo, et tres, sex fiunt: et reciproce dimidium senarii, tres

sunt, tertia pars duo, sexta unum: qui videlicet numerus idcirco perfectus dicitur, quia sic ex suis partibus constat. Uno plaue die integro, et duabus noctibus, in sepulchro Dominus iacuit, quia una sui corporia morte a duabus nos, animae videlicet et corporis, mortibus liberavit. Et recte per diem mors Domini designatur, qua uos ad lucem reducimur: nostra autem mors utraque per noctem, quae nimirum nobis ex peccato debetur. Totum autem triduum in humanae salutis expenditur evidentissime sacramentum: nam sexta feria passus, sabbato in sepulchro quievit, die dominico resurrexit. Tota autem haec vita nobis sexta feria est, quia videlicet crucem post Dominum baiulare iubemur. A dic autem exitus nostri usque ad iudicium, quasi sabbatum ducitur, quia interim beata requie animae perfruuntur: in resurrectione autem corporum, paschalis nobis oritur dies, qui nulla fine concluditur, sed perpetuae iucunditate laetitiae feriatur. Ut ergo ad hanc dominicam per sabbatum valeamus congruenter attingere, necesse est uos nunc crucem post Iesum baiulantes sextam iugiter feriam celebrare. Alioquin si praepostero ordine nunc sub carnis lege viventes, quasi dominicam ducimus, procul dubio postmodum non gaudium gaudio, sed tribulatione mutamus. Hinc est enim quod Dominus sicut XL. diebus in eremo vixit, totidemque post resurrectionem cum discipulis fuit, ita etiam ab ipso suae mortis articulo usque ad diluculum resurrectionis XL. horas habuit. Sicut igitur illorum dierum numero, ita nihilominus et horarum, quas diximus totius vitae nostrae tempus exprimitur; ut sicut ille quadragenario horarum numero mortuus mansit, ita et nos illi commortui, quamdiu hic vivimus, in carnis semper mortificatione vivamus.

2. *In sermone de Virginibus.*

Ed. T. II. p. 276. Non ad mensuram dat Deus spiritum. Movere potest, cur Iohannes Baptista perhibeat, quia non ad mensuram dat Deus spiritum, cum Paulus e contrario dicat, unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Quomodo ergo non ad mensuram, et quomodo secundum mensuram? Sed quod Iohannes asserit non ad mensuram spiritum dari, de Redemptore nostro procul dubio debet intelligi, in quo videlicet habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: quod patenter agnoscitur, si ipsa textus evangelici series attendatur. Nam cum praemisisset non ad mensuram dat Deus spiritum, protinus intulit, pater diligit filium, et omnia dedit in manu eius: unde et alibi dicit, nos de plenitudine eius accepimus. Concordat ergo cum psalmista Iohannes, quia huic iste mensuram tollit, quem ille unctum prae consortibus asserit. Quod autem apostolus mensuram ponit, hoc de quibusque fidelibus vult intelligi: iuxta mensuram namque spiritus inest cuique mensura virtutis atque constantiae, ut vel vitiis attentantibus in pace resistat, vel in certamine constitutus insuperabilia tormenta percurrat. Samson quippe donec VII. crines habuit, insuperabilis fuit: et qui septiformis ha-

bet gratiae spiritum, invictum se praebet ingruente quorumlibet tempestate bellorum.

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

In epistola ad Alexandrum papam de auferenda Canonicorum pecunia.

Qui captus est amore pecuniae, nequaquam idoneus est ad ministranda verba doctrinae, quod bene in eo quod superius proposuimus apostolico declaratur exemplo. Nam cum scriptura praemittat, multitudinis credentium erat cor unum et anima una; moxque subiungat, nec quisquam eorum quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, protinus addidit, et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi domini nostri, et gratia magna erat in omnibus illis. Deinde subinfert, nec enim quisquam egens erat inter illos. Quid ergo sibi vult, quod huius sacrae scriptor historiae dum de continentia loquitur apostolica, et communi vita, repente quasi materiam interrumpit, et ad enarrandam praedicationis constantiam, tamquam mutato stilo prosilit dicens, et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis? Cur uni materiae aliam interpolat, qui coeptam persequi et continuare debuerat? nisi ut patenter ostendat, quia illi dumtaxat idonei sunt ad praedicationis officium, qui nullum terrenae facultatis possident lucrum: et dum aliquid singulare non habent, communiter omnia possident: nihil scilicet habentes et omnia possidentes. Hi nimirum dum nullis terrenarum rerum praepediuntur obstaculis, expediti stant pro dominicis castris in campo certaminis: et quia rebus exuti solis virtutum armis accincti, gladio spiritus adversus vitiorum dimicant acies, idonei bellatores sunt obluctantium hostium obtruncare cervices: cui nimirum bello impares sunt, et enerviter cedunt, qui communibus non contenti, peculii singularis ambiunt proprietate gravari. Hinc est quod in deuteronomio gradientibus ad proelium dicitur: quisquis est homo, qui plantavit vineam, et necdum fecit eam esse communem, et de qua vesci omnibus liceat, vadat, et revertatur ad domum suam, ne forte moriatur in bello, et aliùs homo eius fungatur officio. Ed. T. III. p. 247.

EX EPISTOLIS IOHANNIS.

In epistola ad Alexandrum papam, ubi conqueritur de insolentia malorum hominum.

Omne quod est in mundo concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae. Concupiscentia scilicet carnis ad corporis volupta- Ed. T. I. p. 14.

tem, concupiscentia oculorum ad visibilium rerum pertinet pulchritudinem; superbia vero vitae, terreni honoris atque fastigii exprimit sublimitatem. Per haec enim primus homo tentatus agnoscitur, sicut scriptura testatur, vidit inquit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum; ecce concupiscentia carnis: deinde sequitur, et pulchrum oculis aspectuque delectabile; ecce superbia oculorum: per oculos enim superbire convincitur, quisquis in his quae Deus prohibet, delectatur: superbia vero vitae fuit, cum mulier eadem ex ore serpentis libenter audivit, eritis sicut dii scientes bonum et malum.

EX APOCALYPSI.

1. *In sermone de nativitate sanctae Mariae.*

Ed. T. II. p. 116. Non cuiquam sufficit ad capessenda praemia solus pudor virgineus, nisi et aliis fuerit ditatus virtutibus. Iohanni quippe in apocalypsi per angelum dicitur, hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt et sequuntur agnum quocumque ierit. Agnus enim noster ille videlicet qui tollit peccata mundi, charitatem habuit, quia pro salute hominum proprium sanguinem fudit: gratia humilitatis eminuit, quia humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis: patientiam servavit, quia cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur: mundanae dignitatis altitudinem sprevit, quia sicut per Iohannem dicitur, cum vellent illum regem constituere, montis latibulum petiit: inimicos dilexit, pro quibus et in cruce positus exoravit dicens, pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Ille itaque agnum quocumque ierit sequitur, qui non sola virginitate eius vestigia, sed per omnes quoque virtutum semitas in quantum valet imitatur. Ille agnum sequitur in perventionis requie, qui illum imitari studuit in itineris adversitate. Illa namque virginitas perfecta est, quae reliquis virtutibus cingitur, quae vera mentis humilitate conditur, quae non solum illibatam se servat in carne, sed etiam pudicam custodit in ore. Unde et beata virgo Maria, audito angelicae legationis mysterio, solitum modesti silentii rigorem tenuit; et si ipsa intra se discutere posset qualis esset illa salutatio, verbum inquirere superfluum deputavit. Sed mox tacendo audire meruit, quod interrogando inquirere non praesumpsit: ait enim angelus ei, ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum: ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabitur nomen eius Iesus.

2. *In eodem sermone.*

Ed. T. II. p. 115. Habebat in vestimento et in femore suo scriptum, rex regum et dominus dominantium. Vestimentum quippe Christi nihil est aliud, nisi corpus quod sumpsit ex virgine. Per femur vero propagatio carnis fit. Qui

ergo per propagationem generis humani in mundum hunc venit ex virgine, et per incarnationis suae mysterium quia rex esset et dominus cunctis gentibus indicavit, in vestimento et in femore scriptum habuit rex regum, et dominus dominantium: unde enim mundo innotuit, ibi scientiam suae maiestatis inscripsit.

3. *In sermone de sancto Bartholomaeo.*

Singulae portae erant ex singulis margaritis. Margaritae illae pretiosae, quas beatus Iohannes se conspexisse pronunciat, ex quibus etiam caelestis Hierusalem portas perhibet esse constructas, sancti apostoli sunt; ipsi nimirum portae, ipsi nihilominus margaritae, quia dum signis atque prodigiis quosdam divini splendoris radios mittunt, ad supernae Hierusalem gloriam conversis ad fidem gentibus aditum pandunt; et quicumque salvatur, per hos quasi portas ad vitam viator ingreditur. Quorum mysticam tenuere figuram et lapides illi qui, Deo iubente Moysi, rationali summi sacerdotis leguntur impressi. Hoc itaque rationale sacerdos ferebat in pectore cum ingrederetur sanctum sanctorum. Praeceptum est ergo ut in eo ponerentur duodecim lapides, terni per quaternos angulos inclusi auro, quia nimirum sancti apostoli per quadrifidum orbem de trinitate, quae Deus est, praedicaverunt catholicae fidei veritatem. Ed. T. II. p. 101.

EX EPISTOLA PAULI AD CORINTHIOS.

1. *In sermone de sancto Barbatiano.*

Linguae in signum sunt non fidelibus sed infidelibus. Sed dum ista dicimus, quaestionem nobis oriri non sine aliqua difficultate videmus: si enim signa propter infideles data esse dicuntur, quid est hoc, quod Redemptor noster in patria sua propter incredulitatem hominum, vix paucas virtutes facere potuisse perhibetur? Sicut enim Marcus evangelista testatur, multi audientes admirabantur in doctrina eius dicentes, unde huic haec omnia? et quae est sapientia quae data est illi, et virtutes tales quae per manus eius efficiuntur? nonne hic est fabri filius et Mariae, frater Iacobi et Ioseph et Iudae et Simonis? nonne et sorores eius nobiscum sunt? et scandalizabantur in illo. Unde et paulo post subditur, et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit, et mirabatur propter incredulitatem illorum. Quid est hoc fratres? quia Paulus affirmat signa pro infidelibus data, Marcus asserit propter infideles fuisse subtracta? numquid contrarias inter se invicem proferre sententias possunt, qui uno spiritu pleni sunt? Sed notandum est, quia in ipsis infidelibus erat quidam diversitatis modus; par quidem error fuerat omnium non credentium, sed magna diver- Ed. T. II. p. 169

sitas meritorum: aliud est enim si sola quis fallatur ignorantia, aliud si adiuncta quoque esset malitia. Iguorantia Paulus peccaverat qui dicebat, qui prius fui blasphemus et persecutor et iniuriosus, sed ideo misericordiam consecutus sum quia ignorans feci: per malitiam Iudas peccavit, et ideo nequaquam venire ad indulgentiam meruit. Pro illis ergo infidelibus signa data sunt, quos divina providentia misericorditer salvare decreverat; propter illos vero subtracta sunt, quos ab electorum sorte, exigentibus eorum meritis, districtae severitatis iustitia repellebat.

2. *In epistola ad abb. Desiderium, ubi de reparatione virginis disputat.*

Ed. T. III. p. 309. Cum tradiderit regnum Deo et patri. Hoc iuxta verbi sonum, quodammodo significare videtur, tamquam regnum donec filius tenuerat pater non habebat; et cum patri tradiderit, ipse non teneat: cum tradere regnum Deo patri, nihil aliud sit iuxta sobrium intellectum, nisi perducere credentes ad contemplandam speciem Dei patris: tunc quippe Deo patri regnum a filio traditur, cum per mediatorem Dei et hominum in contemplationem divinitatis aeternae fidelium multitudo transfertur; idest ut iam necessaria non sit dispensatio similitudinum per angelos, et principatus, et potestates, et virtutes. Ex quarum persona non inconvenienter intelligitur dici in canticis canticorum ad sponsam, similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti, quoad usque rex in recubito suo est, idest quoad usque Christus in secreto suo est: quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo: cum Christus, inquit, apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria: quod antequam fiat, videmus nunc per speculum in aenigmate, hoc est in similitudinibus, tunc autem facie ad faciem. Haec nimirum nobis contemplatio promittitur, actionum omnium finis, atque aeterna perfectio gaudiorum: filii enim sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Ita quippe ait, haec est autem vita aeterna ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum. Hoc fiet cum venerit Dominus, et illuminaverit abscondita tenebrarum. Cum tenebrae mortalitatis huius corruptionisque transierint, tunc erit mane nostrum, de quo in psalmo dicitur, mane adstabo tibi et videbo. De hac contemplatione intelligitur dictum, cum tradiderit regnum Deo et patri, idest cum perduxerit iustos, in quibus nunc ex fide viventibus regnat, mediator Dei et hominum homo Christus Iesus ad contemplationem Dei patris.

3. *In epistola ad Petrum monachum.*

Ed. T. I. p. 108. Paulus gloriatur quia ter virgis caesus est, et quia quinquies quadragenas una minus accepit. Praeceperat enim Moyses ut quem iudices di-

guum viderent plagis, verberari facerent pro mensura peccati, ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excederent. Quadragenarius siquidem numerus humanae vitae significat cursum, qui videlicet numerus, dum quis vapulat excedi prohibetur, quia quisquis in hac vita perfectam egerit paenitentiam, nullam postmodum pro suis excessibus sentiet poenam. Porro ternarius propter mysterium sanctae trinitatis ad fidem; quinarius autem propter quinque sensus nostros pertinet ad operationem: quia quisquis cum peccat, vel errat in fide, vel delinquit in opere, dignum fuit ut Paulus, qui utrubique peccaverat ad perfectae purgationis officium ter virgis et quinquies ureretur verberum quadragenis. Quod autem dicitur una minus, haec est procul dubio quoniam Iudaeorum iudices unum decreverunt ictum de XL. minuere, ut dum ad legalem calculum non pertingerent (cum contra praeceptum legis excedere nullatenus possent, et dum citra persisterent) ulterius non transirent.

EX EPISTOLIS AD TIMOTHEUM.

In epistola ad Cardinales episcopos de dignitate romanae ecclesiae.

Qui episcopatum desiderat, bonum episcopus desiderat. Hic evidenter ostenditur, nihil aliud esse pontificem, quam boni operis sectatorem. Non enim dixit bonam dignitatem, vel bonum honorem desiderat, sed qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: ac si dicat, qui ad episcopatum anhelat possidendum sine opere bono, inane vult nomen induere, sine rei ipsius veritate. Non ergo constat episcopatus bractearum circumfluentium phaleris, non denique in glomeratis constipantium militum cuneis, sed in honestate morum et sanctarum exercitatione virtutum. Moxque subiungit, oportet episcopum irreprehensibilem esse. Hic tantae vult esse perfectionis episcopum, ut paene extra naturam loquatur apostolus. Quis enim in carne constitutus, tam caute vivet, tam se sollicite undique circumspiciat, ut reprehendi aliquando nequeat? Vae his qui et reprehensibiliter vivunt, et locum irreprehensibiliter vivendi adhuc reprehensibilius concupiscunt! Ex his nimirum sunt, qui obliviscentes affectum cognationis et patriae sequuntur castra regum per ignota et barbara regna terrarum, et ad hoc eos impellit perennantium ambitio dignitatum, quod extorquere non potuit caelestium promissio praemiorum. Ed. T. I. p. 26.

In epistola ad V. (1) episcopum, ubi dicitur de epistola Transmundi, quae episcopi huius fuisset sigillo signata.

Sunt quidam insipientes, qui dicunt, quia Redemptor noster nequaquam sit pro salute ac redemptione omnium hominum crucifixus: quibus nos

(1) Nonnullae extant S. Petri D. epistolae tum etiam opuscula ad V. episcopum; in quibus tamen prolixus hic tractus, nisi fallor, non legitur.

pro tempore breviter respondemus, quoniam contra vulnus originalis peccati, quo in Adam necessariae morti corrupta cunctorum hominum natura succubuit, et omnium concupiscentiarum morbus insolenter erupit, verum et potens ac singulare remedium mors nostri Salvatoris occurrit; qui nimirum liber a mortis debito, et solus absque peccato, pro peccatoribus mori voluit; et nequaquam debitor, pro nobis mortis debitum solvit. Quantum ergo ad magnitudinem et potentiam pretii, et quantum ad humani generis pertinet causam, sanguis Christi redemptio totius est mundi. Verumtamen qui saeculum hoc sine fide Christi et regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis huius participes esse non possunt. Cum itaque propter unam omnium naturam et unam omnium causam a Redemptore nostro in veritate susceptam, omnes recte dicantur esse redempti, et tamen propter improbitatem suam, non omnes a captivitate sint eruti, procul dubio redemptionis proprietas ad illos specialiter pertinet, de quibus princeps huius mundi missus est foras, ut iam non vasa diaboli, sed membra sint Christi. Nullus enim est ex omnibus hominibus, cuius natura in Domino nostro suscepta non fuerit; quamvis ille natus sit in similitudine carnis peccati, omnis autem homo nascitur in carne peccati. Deus ergo Dei filius mortalitatis humanae particeps absque peccato, hoc peccatoribus mortalibus contulit, ut qui nativitatis eius participes extitissent, vinculum peccati simul ac mortis evaderent. Sicut itaque non sufficit hominum renovationi natum fuisse hominem Christum, nisi in ipso de eodem, de quo ortus est, spiritu renascantur; ita non sufficit hominum redemptioni crucifixum esse dominum Iesum Christum, nisi commoriantur ei et consepeliantur baptismo. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit, sed si non bibitur non medetur. Qui dicit ergo, quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus, non ad sacram virtutem, sed ad insanabilem respicit infidelium ac perditorum hominum vanitatem. Quantum ergo ad hoc spectat, quod Dei filius communem nostram et naturam suscepit et causam, quantum etiam pertinet ad eiusdem pretii virtutem, atque potentiam, Salvator noster iure pro totius mundi redemptione dicitur crucifixus. Sed quia plurimis in impietate manentibus mors Christi nullatenus profuit, ab istis mundi redemptio merito dicitur aliena, quae sanctorum atque electorum Dei specialis perhibetur et propria, nec humani meriti praerogativa, sed sola Salvatoris est gratia. Apostolus enim praecepit, ut pro omnibus hominibus supplicetur, quod scilicet in cunctis ecclesiis regulariter custoditur: ex quibus utique quod multi pereunt, pereuntium procul dubio meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum. Ut enim reus damnetur, inculpabilis Dei iustitia est; ut autem reus iustificetur, incomprehensibilis divinae clementiae gratia est. Nam et quamplures extitisse noscuntur, qui dicerent, quod ideo quibusdam evangelii praedicatio subtrahatur, ne percepta Dei praedicatione salventur. Sed si probari potest quod ex quo evangelium coruscare per mundum coepit, nemo prorsus exti-

terit, cui Christi gratia nunciata non fuerit; non recte dicitur quibusdam tacitum, quod ostenditur omnibus praedicatum: alioquin si reperiri possunt homines, quibus evangelium nunciatum non fuerit, non potest dici sine iudicio Dei factum; quod tamen nefas est ideo ab homine reprehendi, quia non valet humana scientia comprehendi. Quamobrem rectum iudicii tenemus examen, si nec adversus Dei statuta conquerimur, quos deserit, meritos deseri; eiusque misericordiae gratias agimus, qua liberat immeritos liberari, qui nimirum et ipsi in impietatis suae obstinatione persisterent, nisi per propensiorem dispensationis intimae gratiam eis mediator Dei et hominum subveniret: cuius profecto sacratissimus sanguis sic in humanae salutis sacramenta profluxit, ut omnes ad gratiam festinantes ablueret, fermentum vetus in sinceritatis azyma verteret, et antiqui piaculi peste corruptum per regenerationis gratiam saeculum innovaret.

De fermentato an possit offerri. In epistola ad Heinricum ravennatem archiepiscopum. (1)

Sicut enim, nihil interest in sacrificio vinum offeramus an mustum, ita prout mihi videtur idem est vel fermentatum offerre vel azymum: panis enim ille vivus, qui de caelo descendit, sicut se per frumenti speciem, ita nihilo minus voluit etiam significare per vitem. Nisi, inquit, granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et rursius, ego sum vitis vera, sufficiat ergo mihi dumtaxat offerre, vel quod ex frumento conficitur, vel quod ex vite producitur: nec incuriosus inquiro, utrum panis in massa crudus servatus sit usque dum potuerit fermentari, vel etiam mustum eo usque sit in timna reconditum, donec in vini potuerit transire vocabulum. Sed quia nobis hic non est de his disputare propositum, haec aliis tractanda relinquimus.

BUCCONI FILIO KARISSIMO PETRUS. (2)

Consulendum me duxit dilectio tua, utrum boni an mali angeli sint per quos omnipotens Deus peccata delinquentium feriat, et sive repentinae mortis, sive cuiuslibet infortunii soleat irrogare vindictam. Ad quod profecto facilis patet et aperta responsio: nam si sacra scriptura diligenter attenditur, per utrumque diversorum spirituum genus ultio fieri, prout summus decreverit arbiter invenitur. Ut autem in re perspicua succinctus sermo non haereat, Sodoma per

(1) Non extat hic Petri locus in epistola edita ad Heinricum archiep. rav. neque in opusculo ad eumdem, nisi forte meus aberravit oculus. Sumi ergo videtur ex alia quae non extat epistola ad eundem. Quamquam vero hic locus ad collectanea ex N. T. pertinere non videtur, nihilominus a me libenter editur, tum quia in codice continenter scribitur, tum quia doctrinam de azymia continet idoneam explicandae S. Doctoris sententiae, quam in canonis expositione p. 212. dixit. ibi enim Petrus latinae ecclesiae sententiam de azymia tuetur contra Graecos, qui non dogmatis sed historici facti, ut controversistae demonstrant, errore fermentatum azymo praeferunt. Heic autem Petrus utriusque speciei valorem recte adserit.

(2) Ne haec quidem S. Petri D. ad Bucconem epistola in eius operibus editis apparere videtur.

bonos angelos est subversa; nam si fuissent contrariae fortitudines, eos beatus Loth, nec adorasset, nec reverenter, ut legitur, hospitio suscepisset. Obsecro, ait, domini declinate in domum pueri vestri, et manete ibi. Ille quoque angelus, qui septuaginta millia virorum David populum numerante percussit, procul dubio bonus fuit. De quo scriptura sic refert; angelus, inquiens, Domini praecepit Gad ut diceret David, et ascenderet, exstruerent altare Domino Deo in area Ornan iebusaei. Neque enim altare fieri reprobatus spiritus prophetae praeciperet, et ille devotus humiliter obediret. Porro autem et illi angeli sancti erant, qui sicut in secundo Machabaeorum libro dicitur, Heliodorum sacri templi molientem auferre pecunias percusserunt, eumque terribilibus plagis affectum, ac caecitate multatum, tamquam mortuum reddiderunt. De quibus nimirum, sicut scriptura prosequitur, apparuit illis inquit quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatum: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit, qui autem ei insidebat, videbatur arma habere aurea. Alii etiam apparuerunt duo iuvenes, virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu; qui circumsteterunt eum, et ex utraque parte flagellabant sine intermissione, multis plagis verberantes. Subito autem Heliodorus concidit in terram eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria impositum eiecerunt. Quod autem per reprobos etiam spiritus flagella sua Deus hominibus inferat, scriptura saepius manifestat: nam et spiritus malus regem Saul invaserat, qui vesano eum furore vexabat; et Satan beatum Iob non solum in corpore, sed et in filiorum perculit orbitate. Daemon etiam Asmodaeus, sicut sacrae historiae series astruit, septem Sarae Raguelis filiae viros occidit. Unde scriptum est, quia immisit in eos indignationem et iram et immissiones per angelos malos. Constat ergo quia per utrosque, bonos scilicet ac malos, angelos de nobis divinae iustitiae motus ulciscitur, sicut his et pluribus aliis sacri eloquii testimoniis approbatur. Sed quia omnes huiusmodi vindictae et animadversiones divinae sententiae angelicis administrantur obsequiis, in solius est Dei omnipotentis arbitrio, quando per bonos, quandove per malos angelos fiant. Nam ut non per longinqua divagemur exempla, beata Caecilia boni angeli est comminata furorem, et beata martyr Agnes mali angeli factam perhibet ultionem. Illa quippe Valeriano sponso denunciat, angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum: hic si vel leviter senserit, quod tu me polluto amore contingas, statim circa te furorem suum exagitat, et amittes florem gratissimae tuae iuventutis. Ista vero dicit praefecto de filio eius ab iniquo spiritu praefocato: ille inquit, cuius voluntatem volebat perficare, ipse in eum potestatem accepit. Manifesta igitur novi ac veteris instrumenti auctoritate colligitur, quod vindicta divinae animadversionis non modo per malos, sed per bonos etiam angelos exhibetur. Nam et paterfamilias quispiam, et feras capit, et fures expellit, aliquando per catulos, aliquando per domesticos viros.

PETRI DIACONI

DE ORTU ET OBITU IUSTORUM

COENOBII CASINENSIS

LIBER

EX CODICE VATICANO. (1)

I. BENEDICTUS signifer, institutor legislator, doctor eximius, clarus doctrina, clarus virtutibus, adhuc in pueritia positus primum in partes divisum revinxit capisterium. Vas vitreum, in quo pestifer potus habebatur, solo tantum signo crucis rupit. Aquam in aridi montis produxit vertice. Ferrum in morem Helisei de profundo abstraxit aquarum. Placidum de profundo lacus per Maurum discipulum suum abstraxit. Corvus eius obsecundat imperiis. Florentius qui eum persequebatur, ab omnipotente Deo occisus est. Indeque vir Dei egrediens coenobium Casinense construxit, ibique ingentem lapidem oratione sua levem reddidit. Falsum ignem in frugibus ostensum obtutibus oratione similiter sua extinxit. Monachum omnibus membris contritum et dissolutum, confestim sanum reddidit. Facta suorum monachorum ac cogitationes statim reserabat. Totilae tyranno ventura praedixit. Romanae urbis instabilitatem, Gregoriique romani pontificis nativitatem, ac nomen officiumque, et Casinensis coenobii destructionem praedixit. Occulta Dei iudicia cognovit. Furtum Exhilarati prodidit. Mappulas a monacho contra eius praeceptum acceptas, per spiritum agnoscens, confestim redarguit. Cogitationes sibi servientis agnovit. In famis tempore ducenta modia farinae ei omnipotens Deus transmisit, quae a quibus delata sint, usque hodie manet incognitum. Discipulis longe positis in somno apparens, quid agere deberent, ostendit. Sanctimonialium animas in illo iam invisibili iudicio constitutas ipse adhuc in corpore positus ligavit et solvit. Monachum contra eius voluntatem de monasterio egressum ac sepultum terra proiecit. Leprosum oratione sua curavit. Aether ei numismata fundit. Varietatem cutis tactu suo confestim fugavit. Vas vitreum in lapidem proiectum incolume mansit. Dolium aridum oratione sua oleo implevit. Monachum a daemonio vexatum alapa percussit, et immundum ab eo spiritum expulit. Rusticum vinctum solo suo intuitu solvit. Mortuum vitae restituit. Sororis suae animam in columbae specie caelum penetrare conspexit. Germani episcopi animam in sphaera ignea ab angelis ferri in caelum vidit. Totus mundus velut sub uno solis radio collectus ante oculos eius adductus est. Mulierem cum filio suo a daemonio vexatam oratione sua curavit. Scripsit praeterea monachorum regulam, discretione praecipuam, sermone luculentam, in qua omnes illius actus inveniuntur. Duabus vicibus in hebdomada minimum potius praegustabat quam sumebat cibum, saccoque tantum induebatur cilicino. In huius transitu viderunt discipuli eius viam stratam palliis atque innumeris coruscam lampadibus, recto orientis tramite ab eius cella in caelum usque ten-

(1) *Praecedit in codice vat. Petri diaconi opusculum de viris ill. Casinensibus a I. B. Maro olim editum ex barberinio codice. Sequitur Ludovici Barbi historia congregationis benedictinae s. Iustinae quam edidit Pezius. Medium Petri diaconi de iustis Casinensibus librum adhuc ineditum ego demum, ob ss. virorum biographium historiamque ecclesiasticam amplificandam, in lucem profero. Neque vero importune sub saecularis criticae regulam narrationes has revocabo, quae simplicitate sua, pio et candido scribentis ingenio, docilique suorum temporum indole satis commendantur.*

deutem : eisque dictum ab angelo est , haec est via qua dilectus Domino caelum Benedictus ascendit. Sepultus vero est in Casino , in templo ante altare beati Baptistae Iohannis. Tantis autem usque nunc fulget virtutibus , ut nec lingua explicare , aut auris audire , vel manus sufficiat scribere.

II. MAURUS Casinensis praepositus , natione romanus ex patre Acquitio , vir celeberrimus et famosissimus , ac post Benedictum legislatorem primus , iuxta illud apostoli Petri supra aquas pedibus ambulavit. In Casinensi coenobio claudum et mutum curavit. Arderardus toto corpore confractus ab eo statim sanatus est. Famulum suum Sergium similiter sanavit. Caecum ex utero matris illuminavit. Eligium corpore exutum ac locis poenalibus deputatum ad vitam reduxit. Magistri sui Benedicti obitum spiritu sancto sibi revelante agnovit. Clericum omnibus membris contritum ac dissolutum sanitati restituit. Ei detrahentes a diabolo vexantur , atque ab eo sanantur. Illi vero , cui diabolus animam extorserat , vitam reddidit. Ex parvissimo vini vasculo sexaginta et eo amplius homines abundantissime satiavit tribus vicibus , et vasculum plenum reddidit. Labrum et nares cuiusdam hominis a morbo canceris comestas signo crucis statim curavit. Secreta Dei iudicia agnovit pandentibus angelis. Septuagesimo vero ac secundo aetatis suae anno dolore lateris tactus spiritum reddidit. Sepultus vero est ad dexteram partem altaris beati Martini in Glannofolio. Nullus umquam corpus suum plus edomuit squaloribus , ieiuniis , abstinentia, ac vigiliis frigoribusque. In diebus autem sanctae quadragesimae nec tunica nec cuculla , nisi solummodo sacro cilicino , induebatur : et bis in hebdomada parvissimum cibum potius praegustabat quam sumebat. Asperrima autem a scapulis usque ad renes indutus est tregulo. Quiescebat vero in strato super aggestum calcis et sabuli , excepto quadragesimali tempore : tunc enim cum nimium eum lassitudo compulisset , stando aut sedendo somnum capiebat. Numquam de lecto cum ceteris surrexit fratribus , sed semper nocturnos vigilando praeveniebat hymnos. Plerumque quinquagenos et centenos , nonnumquam vero totum ante nocturnalem synaxim psalterium complebat , exceptis horarum spatiis , quibus orationi ac lacrimis insistebat. Silentio vero ac lectioni ita vacabat , ut pro hoc ipsi etiam sanctissimo Benedicto admirabilis haberetur.

III. SCHOLASTICA Benedicti patris sanctissimi soror , eique tam carnis propinquitate quam etiam sanctitate coniuncta , moribus et pedibus eum secuta , ex eius voluntate in confinio Casini montis stationem fixit , ubi felicem vitam felicissimo exitu consummavit. Haec igitur , ut olim Iosue ac Samuel , caeli serenitatem in pluviam ac tonitrua vertit. Huius animam Benedictus pater sanctissimus in columbae specie caeli alta petere vidit. Sepulta est in Casino una cum fratre suo ante altare sancti Baptistae Iohannis.

IV. MARTINUS vir egregius miraculorumque patrator magnificus , in Casino prius , ac postea in monte Marrico degens , cum serpente per multum tempus habitavit. Aquam de lapide speluncae suae ei omnipotens Deus ad bibendum concessit. Mulierem ad obscena eum provocantem opera omnipotens Deus terribiliter occidit. Puerum e summo montis vertice usque ad ima ruentem oratione sua illaesum servavit. Lapidem magnum speluncae suae imminentem de loco ad locum mutavit. Sepultus vero est ibidem in monte Marsico.

V. FELICISSIMUS beati Benedicti discipulus , natione romanus , felicissimus nomine , felicissimus opere , sanctissimi Mauri consobrinus extitit. Hic puer beato Benedicto traditus , magistri sui in omnibus viam usque ad mortem secutus est.

VI. FAUSTUS septennis in Casino beato Benedicto oblatus , atque ab eo in Galliam ad monasterium construendum cum beato Mauro transmissus , stetit ibi annis quadraginta. Indeque post obitum beati Mauri Romam reversus , plenus dierum obiit. Sepultus vero est in monasterio lateranensi.

VII. CONSTANTINIANUS similiter cum beato Mauro in Gallias missus , quadragesimo anno adventus sui in Gallias , obiit. Sepultus vero est in ecclesia beati Martini.

VIII. ANTONIUS cum eodem similiter missus, eo anno eodemque loco , ubi et Constantinianus , defunctus est ac sepultus.

IX. PROLOGUS IN VITAM ET OBITUM SANCTI PLACIDI MARTYRIS.

Gymnosophistarum morem ferunt esse doctores, ut cum ad laticis haustum Gangen ad fluvium venerunt, fulvum metallum despicientes suis sub pedibus calcent. Quod ego Petrus Casinensis archisterii indignus diaconus advertens, ita te Gregori praesul verende iubente, Placidi exaravi sanctissimi gesta, ut eius nihil desit ex vita, quum aliquid desit ex virtute signorum. Enim vero quum hoc opus vestra mihi iniungere vellet paternitas, nostraque exiguitas propter tanti coenobii perturbationem, nostrique exilii aerumnas id aggredi recusaret, vobisque hoc opus, qui in dictandi scientia splendetis, imponere vellem, vestra sagacitas tali me responsione obstruere coepit: cur inani taedio de Casinatis coenobii oppressione afficeris? Numquidnam nescis quia

Si cecidit Sinai mons qui legem dedit olim,
Quod periisse tamen sua munia credere nolim:
Regula namque manet digitis descripta sacratis
Tradita discipulis Mauro Placidoque beatis.
Si rex Antiochus ex aere vendidit aram,
Lege labore novam Machabaeus restruet aram.
Lator ait legis, vobis praesentior adsum
Post mortem quam nunc, dicam clamantibus adsum.

Et si tantus pater se praesentiorem post suum e mundo recessum promisit futurum, cur de talibus perturbationibus tristia incedis? An iam oblivioni dedisti quibus angustiis quibusve persecutionum generibus affecti sunt omnes veritatis praecones? An mente cessit a tua, quia levitas Iesus Christus dominus noster segregavit ad annuntiandum toti orbi evangelium suum? Hi enim sunt septem stellae in dextera Dei, septem tubas tenentes, missi in omnem terram. Numquidnam ignoras, quia servus de absconso talento torqueri iubetur? Tantis igitur, praesul amande, assertionibus victus, imperio succubui vestro, et ad beatissimi vitam exarandam animum erigere coepi. Unde reor non sine superni regis nutu animo hoc haesisse in tuo, ut tanti patris passio a Gordiano descripta transferretur. Nam quum ab ipsis beati Benedicti temporibus in Casinensi gymnasio sapientes quam plurimi fuerint, istius passio de graeco in latinum a nullo translata fuisset, hoc omnipotens Deus per nos tempore vestro implere dignatus est. Disponebam praeterea opusculum istud ad Ptolemaeum Romanorum consulem dirigere; sed prius censui illud tuo renitenti cothurno elimare. Vestri tamen erit operis, Pater reverende, ut si aliqua non aequa ordinis lance protulero, a vobis emendentur. Nam vigesimum tertium aetatis agens annum, discipulum non magistrum esse decebat. Superni igitur regis munimine fultus, tanti patris vitam scribere ordiar.

VITA ET OBITUS SANCTI PLACIDI MARTYRIS.

Postquam summi regis divinitas lucis suae radio idolorum tenebras pepulit ac procul fugavit, multos per orbem ecclesiae suae donavit viros, qui ceu sidera caelum, ita et hi eius ecclesiam vita ac miraculis adornarent. Ex quorum renitenti collegio, tempore Iustini senioris, sole splendidius claruit [Benedictus] cuius vitam ecclesiae Dei speculum et doctor egregius beatus Gregorius stilo deprompsit suavissimo. Sed qualiter idem pater sanctissimus perfectioris vitae normam arripuit, ac monasterium sublacense condidit, qualiter beatissimus Placidus ad eum venerit, vel quo ordine locoque recesserit, coenobiumque in Varronis antiquissima schola aedificaverit, in propatulo declarandum est. Hic igitur dum relictis saeculi strophis petere deserta decrevisset, Romanos eum pater sanctissimus repperit, quo tenderet requisivit: cuius quum desiderium comperisset, et secretum tenuit, et adiutorium impendit, eique sanctae conversationis habitum tradidit, et in quantum licuit ministravit: tribusque annis, excepto Romano monacho, hominibus incognitus mansit. Quum vero cunctorum opifex Deus Benedictum patrem mortalibus declarare censuisset, multi ab eo in eadem regione ad Dei sunt servitium condonati; ita ut illic duodecim monasteria construeret; in quibus substitutis praepositis duodenos monachos deputavit: nonnullos vero secum retinuit, quos adhuc in sua praesentia aptius erudiri iudicavit. Coeperunt etiam tunc romanae urbis nobiles ac religiosi concurrere, suosque ei filios omnipotenti

Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonae spei suas soboles Aequitius Maurum, Tertullus vero patricius Placidum puerum tradidit. Ab ipso enim pueritiae suae Placidus tempore abstinentiam, silentium, vigilias, castitatem, omnesque sanctas virtutes est secutus: obedientiae vero callem sibi vindicavit.

Quadam igitur die quum aqua in cellario deesset, patris imperio ad hauriendam de lacu aquam Placidus est sanctus egressus: ad quem quum venisset, vasque quod tenebat incaute in aquam misisset, ipse quoque cadendo secutus est: quem continuo unda rapuit, et paene in unius sagittae cursu a terra introrsum traxit. Sed quid praevalet contra tonantis potentiam antiqui hostis versutia? Nam mox ut sanctus in aquam Placidus cecidit, eventum rei spiritus sanctus, qui in electorum cordibus principalem obtinet thronum, Benedicto patri sanctissimo revelavit: qui e vestigio beatum Maurum coepit sub magna celeritate vocare, dicens, frater Maure curre velociter, quia puer Placidus qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit, eumque unda iam longius trahit. Res mira! et post Petrum apostolum omnibus retro saeculis inaudita! Benedictione postulata et accepta, patris ad imperium concite Maurus perrexit, atque ad locum quo sanctus ab unda Placidus trahebatur, per terram se ire existimans, super undas rapidissimas cucurrit, Placidumque beatum per capillos tenuit, rapidoque cursu rediit. Reversus autem ad patrem, rem gestam in se per ordinem pandit. Pater vero sanctissimus Benedictus hoc non suis meritis, sed Mauri coepit deputare obedientiae. At contra Maurus pro solo imperio Benedicti factum dicebat, seque conscium in illa virtute non esse, quam nesciens fecisset. Sed in hac humilitatis mutuae amica contentione accessit arbiter sanctus qui ereptus est Placidus puer. Dicebat enim: ego quum ex aqua traherer, super caput meum abbatis melotem videbam, ipsumque me ex aquis educere considerabam.

Comes etiam fuit Benedicto patri Placidus sanctus, quum nocte quadam cum eo montis rupem aridam ascendit: ubi oratione facta, idem pater Benedictus tres petras pro signo posuit, atque ad suum monasterium una cum Placido cunctis illis nescientibus rediit. Quumque die altero pro necessitate aquae fratres, qui in illa rupe habitabant, ad eum venissent; dixit pater, ite et rupem illam in qua tres super invicem petras inveneritis, in modico cavate. Qui euntes rupem montis iam sudantem invenerunt: quumque in ea concavum locum fecissent, statim aqua repletus est, quae nunc usque ubertim defluit, atque ab illo montis cacumine usque ad inferiora descendit. Nemo ergo dubitet beatissimum Placidum tanti miraculi participem non extitisse, quem beatissimus magister suus solum huius signi voluit habere conscium. Iamvero qualiter ad Casinense coenobium Benedictus pater sanctissimus venerit, pandendum est.

Quidam itaque presbyter Florentius nomine antiqui hostis veneno inebriatus, sanctissimi patris coepit studiis aemulari; sicque panem veneno infectum pro benedictione transmisit. Quod quum vir Dei per spiritum declinasset, scelestus Florentius, quia Benedicti corpus veneno necare non potuit, se ad discipulorum animas extinguendas accendit; ita ut in hortum cellae, cui Benedictus inerat, nudas septem puellas mitteret, quae mentes illorum ad perversitatem libidinis inflammarent. Quod Benedictus pater conspiciens, lapsumque adhuc teneris discipulis pertimescens, eos custodiri praecepit, dareque invidiae locum disponit.

Haec dum sollicita secum mente tractaret, revelatio caelestis tali illum adhortari est dignata oraculo. Ut quid, dulcissime Benedicte, tristaris? Numquidnam non reminisceris illud quod ego deprompsi dicens, si me persecuti sunt, et vos persequentur? Te namque elegi ex omnibus incolentibus orbem; tu evangelii mei tuba caelestis existes; spiritus es meo repletus. Surge iam, vade ad castrum Casinum, et populum eiusdem provinciae qui adhuc idolorum nefandis cultibus servit, et in quorum praecordiis Satanae versutia regnat; qui nihil sciunt aut dicunt, nisi quod in cordibus eorum veternosi serpentis versutia scripsit; sermone vivifico praedicans, meum ad cultum convertere stude: quia tecum ego ero, et non deseram, et confundam omnes adversarios tuos, serve meus carissime. Proficiscere idolorum ad pugnam, conforture

et esto robustus, quia castrum Casinum tibi tradam, et illic sedes nominis tui in perpetuum erit.

Haec dum sanctissimus pater audisset, omnia convocatis discipulis patefecit, et longa ad eos oratione exhortationeque ad profectum ab eo habita, tandem dixit: iussio domini nostri Iesu Christi imminet; parere debemus, eundum est: vos autem state et permanete in conversatione et gratia sanctae religionis. Haec quum dixisset, anno dominicae incarnationis quingentesimo vigesimo nono, temporibus Iustiniani imperatoris, oratoria cuncta quae construxerat, adiunctis fratribus sub statutis praepositis, ordinavit; statimque absque cuiuslibet comitis adminiculo ad Casinum castrum pergere coepit. Sed quum per ignota loca solus viator incederet, duo confestim in figura iuvenum aderant angeli, qui tanto patri per montium deserta quo gressum dirigere deberet indicabant. Tres etiam corvi per omnem viam individui illi facti sunt comites, eius assidue vestigia prosequentes. Quum ad Casinum castrum pervenisset, contrivit idolum, subvertit aram, succidit lucos qui circumquaque in daemonum cultura succreverant: atque cum Placido et Mauro religiosissimis Casinense fundavit monasterium; illudque et sua corporali requie, regulaeque descriptione, caput omnium monasteriorum constituit. Ubi autem templum Apollinis erat, ecclesiam beati Martini; ubi vero ara Apollinis, ecclesiam sancti construxit Iohannis; et circumquaque manentes populos ad Christi fidem convertit.

Eodem vero tempore supradictus Tertullus romanae urbis patricius per suggestionem Placidi filii sui praeceptum fecit Casinensi coenobio de decem et octo curtibus suis, quae erant in Sicilia, cum servis septem milibus, ac portu panormitano et messano; poena qui id removere tentasset apposita quattuordecim milium talentorum auri. Evocat interea pater sanctissimus Benedictus Placidum discipulum suum, qui ab eo sanctissime religiosissimeque nutritus fuerat, cumque ad tuitionem curtium, quas pater eius Tertullus patricius Casinensi coenobio dederat, in Siciliam mittens, dixit ad eum: ad suscipiendam militiae laborem accinge sicut vir lumbos tuos; quem tibi per me Iesus nunc dat rex omnium Christus religionis sanctae ordinem, sicut a me accepisti, usque ad finem vitae inviolabiliter tene. Perge nunc dulcissime ad Siciliam fili, imitans regem regum Iesum Christum filium Dei dominum nostrum, qui factus est obediens usque ad mortem. Reminiscere sermonis eius dicentis, non veni facere voluntatem meam sed eius qui misit me patris. Nec te longi itineris conturbet austeritas: recordare illud apostolicum, quia non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. Nam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum caelorum. Nam pro Christi nomine in hac vita decertantes aeternam remunerationem in aeterna accipient, patriam illam scilicet quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam praeparavit Deus diligentibus se. Ne timeas neque paveas, confortare et esto robustus, quia tecum celsa erit tonantis dextera Dei. Hoc pro certo sciens, quia quanto austeriora in hoc mundo pertuleris, tanto vehementiora a summo opifice accipies caelestium gaudia praemiorum. Iesus Christus autem filius Dei dominus noster semper sit tecum, perducatque te ad aeternae consortia vitae, quam daturus est his qui diligunt eum. Haec quum perorasset, benedictione super eum tradita, misit a se.

At vero dum Placidus ad Siciliam venisset, ea quae a magistro didicerat suo modis omnibus implere satagebat, et in omnibus virtutibus, quibus eum perfectissimus magister suus Benedictus ab ipsu infantiae suae tempore erudiverat, de die in diem proficiebat atque crescebat. Ecclesias etiam idem vir beatus fundavit, atque iuxta morem magistri sui sanctissimi fratres illic servituros aggregavit. De signis porro eius superfluum est quaerere; non enim signa sanctos viros faciunt, sed vita potius Deo placens et recta sanctificat hominem. Verum quia provinciam Siculorum, Ismaëlitarum est crudelitas depopulata, multa quae per eum gesta sunt, Gordianus patris Benedicti discipulus Constantinopoli positus descripta dereliquit. Is enim Gordianus a beato Benedicto cum beato Placido ad Siciliam directus, ea quae oculis suis vidit, descripsit.

Postquam autem placuit regi regum Domino ut beatissimus Placidus de praesentis vitae libe-

raretur naufragio. Mamucha dux Saracenorum in navibus, cum Saracenis sexdecim millibus septuagentis adveniens, beatum Placidum cum fratribus suis Eutychio, Victorino, et virgine Flavia, nec non et Faustum, Firmatum, Donatumque, cum monachis triginta teneri, et ante suam praesentiam exhiberi praecepit. Quos quum diversis tormentorum generibus excruciasset, sicut Gordianus in eiusdem passionis describit historia, beatum Placidum post linguae abscissionem, post arteriarum et dentium confractionem, cum omnibus sociis suis capite truncari praecepit in porto Messanae civitatis provinciae Siciliae. Tertio nonas octobris regna conscendit aeterna. Hunc igitur, fratres, flagitemus eximius, quo pro universali ecclesia orationes fundat. Sepultus vero est in eadem provincia, ubi exuberant beneficia pia prece quaerentibus; ipso adiuvante qui vivit et regnat cum patre in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

De hac vita legitur plenius alibi. (1)

X. SIMPLICIUS Benedicti patris discipulus cum beato Mauro in Gallias directus, post eius obitum Romam cum Fausto reversus, apud lateranense coenobium defunctus est ac sepultus.

XI. CONSTANTINUS nomine, Constantinus et opere, post patris Benedicti transitum abbas effectus, vir valde reverendus, in Casino defunctus, iuxtaque est corpus beati Benedicti sepultus.

XII. SIMPLICIUS nomine, et opere simplex, post Constantinum abbas effectus, ibidem defunctus in Casino, atque iuxta patrem Benedictum sepultus.

XIII. VITALIS post Simplicium Casinensis abbas factus, in Casino defunctus est atque sepultus.

XIV. BONITIUS quintus post patrem Benedictum abbas, vigesimo sexto anno post patris Benedicti transitum, destructo Casinensi coenobio, anno dominicae incarnationis quingentesimo sexagesimo octavo, secum fratres coenobii Casinensis Romam asportans, atque a Pelagio papa susceptus, coenobium lateranense construxit, quattuor vel quinque fratres Casini ob beati corpus custodiendum relinquens Benedicti legislatoris. In lateranensi coenobio defunctus est atque sepultus: ubi etiam regulam quam pater Benedictus manu sua descripserat, et saccos quibus caelitus escae ei delatae fuerant, dereliquit.

XV. PROLOGUS PETRI DIACONI IN VITAM SANCTI SEVERI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Sanctissimo ac in monastico residenti gymnasio Senioretto abbati abbatum eximio Petrus Casinensis diaconus quicquid in caelo terraque felicius. Quam vestra iussus potentia Severi pastoris egregii vitam orsus sum scribere, dilecti filii vestri Rainaldi huius archisterii subdiaconi solers exegit instantia, qui nequaquam priscorum tantum libris contentus, ceu regina Saba avidior, ita et hic a vestra eminentia desiderat aliquid novi divinique accipere. Hic nempe dum nostram exiguitatem in diversorio legislatoris fluctuantem repperisset, et coenobialibus negotiis me irretitum vidisset, agnovissetque quod assidua praeceptorum atque tomorum inquisitio nostri pectoris animum [prohiberet] libros scrutari deiloquos, coepit crebris insistere precibus, quatinus seposito cothurno, ac sedatis cogitationum turbinibus, remotisque mundi fragoribus ad theologicas inquisitiones accederem, atque Severum ab antiquis intentatum apicibus tradere non recusarem. Tandem utilis labor et eius dilectio incitavit, ut quod prohibebat litterarum inscitia, tanti viri aggeret inchoare devotio. Nam qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt, ut ait cathegeta gentium Paulus: quippe qui non sibi tantum, quantum aliis virtute et merito vigilant.

Excellentissimorum vero et clarissimorum virorum facta moresque posteris generationibus tradere, ab ipso ut ita dicam mundi est usitatum exordio: omnes enim qui ingenio celeberrimi, virtute eminentissimi, castitate pudici, armis terribiles, et solertia singulares, memoriaque erant insignes, ac sophistica sagacitate sublimes, sine invidia gratia ambitione aut odio, antiquorum gesta virorumque schedulis tradebant. Quam plures etiam ipsi sua facta narrare, accessionem potius morum, quam arrogantiam aestimabant. Unde et Paulus ait: quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam

(1) *Intellige Gordiani lucubrationem, quae extat in actis Sanctorum benedict. T. I.*

scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus. Patriarchae quoque levitici ordinis Moysi Dominus praecepit dicens: scribe librum istum, et pone illum in latere arcae foederis, ut sit in signum et monimentum filiis Israël, ne obliviscantur domini Dei sui. Et hoc cur? ut ostenderet tironibus, priscos patres strenue cursum consummasse usque ad calcem, quo instigati ardentius festinent appropinquare agoni, eorum iter carpere, ac divinis obedire mandatis. Unxit namque Deus ecclesiae filios oleo spiritus sancti, quo ad luctam experti et habiles redderentur. Nam qui luctatur, habet quod speret; ubi certamen, ibi corona: certat namque in saeculo, coronatur a Christo; e terra colligitur praemium, in caelo redditur. Tunc enim prudentia, castitas, iustitia, sapientiaque vigebant, quum celeberrimorum virtutes virorum describebantur.

Porro tanti ac talis viri vitam scripturus, veniam nostrae adolescentiae quaerere opus fuit; quam non petissem, nisi saevam nefandam cruentam et infestam historiographis aemulorum vecordiam scissem: nam multoties non solum in ipsos, sed etiam in libros eorum constat esse saevitum. Sed in hoc eximium patientiae documentum nostri demonstravere maiores, qui nec stultitiae illorum responderunt, nec ob id ab annalibus describendis cessarunt: quippe qui et annorum patris Desiderii saeculum, virtutes morum, ac excellentissima atque obstupescenda signa Casinensium monachorum elegantissime conscripserunt. Sed de his hactenus. Nunc iam ad Severi retexenda praeconia stilus sequens vertatur.

INCIPIT VITA SANCTI SEVERI AB EODEM PETRO.

Casiniensis arcis sublimitas tanto olim culmine viguit, ut romani celsitudo imperii philosophicis studiis, illam in aevum diceret. Hanc M. Terentius Varro omnium Romanorum doctissimus, consideratissimus, acutissimus, et facundissimus incoluit, et proprii iuris ditione possedit. Iste igitur tam insignis excellentisque peritiae tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacavisse nobilitas romana miretur; tam multa scripsit, quam multa vix legere quisquam possit. Scripsit praeterea antiquitatum libros ·XXXX· et unum, et hos in res humanas et divinas divisit: rebus humanis ·XXV·, divinis ·XVI· tribuit; istam in ea divisione secutus rationem, ut rerum humanarum libros senos quattuor partibus daret; in quibus disputat qui agant, ubi agant, quando agant, quid agant. In sex itaque primis de hominibus scripsit; in secundis sex de locis; sex tertios de temporibus; sex quartos eosdemque postremos de rebus absolvit. Quater autem seni, viginti et quattuor sunt. Sed unum singularem qui communiter prius de omnibus loqueretur, in capite posuit. In divinis itidem rebus eadem ab illo divisionis forma servata est. Quantum vero attinet ad ea quae diis exhibenda sunt ab hominibus, in locis, temporibus, et sacris, haec quattuor libris complexus est ternis: nam tres priores de hominibus scripsit, sequentes de locis, tertios de temporibus, quartos de sacris: etiam hi qui exhibeant, ubi exhibeant, quando exhibeant, quid exhibeant, subtilissima distinctione commendans. Alios vero tres libros conscripsit extremos etc.

Hoc in loco mutilavi; loquitur enim de reliquis eius operibus nimis diffuse (1).

De hoc siquidem Varrone Tullius ait (2): nos in nostram urbem peregrinantes errantesque, tamquam hospites, tui libri quasi domum reduxerunt, ut possemus aliquando qui et ubi essemus agnoscere. Tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam tu publicam disciplinam, tu sedium, regionum, locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina genera officia causas aperuisti.

Tali igitur auctore talibusque studiis Casinensis civitas antiquitus ab ipso suae constructionis exordio splenduit ac eminentissime viguit. Tribus namque nominibus olim dicta est, prius Heraclea, deinde Forum vetus, postremo

(1) *Nemo putet ereptam nobis in hac lacuna (quam fecit amanuensis) notitiam operum varronianorum. Etenim Petrus diaconus nihil aliud dicturus erat, quam quod est apud Augustinum de civ. Dei lib. VI. 3.*

(2) *Apud Augustinum op. cit. VI. 2.*

Samnites orti a Sabinis eundem locum a Casca appellavere Casinum: casca enim antiquitus dicebatur vetustior res. Sed quum caelestis imperatoris verbum virtus et sapientia Christus censuisset ad verae sapientiae gymnasium vertere, duos ei urbi destinat principes per quos orbis fieret speculum, aetheris dignitas, legis latio, aequitatis et religionis norma, via, templum, thronusque piorum. Per hos siquidem ab eodem loco eliminata est perversae superstitionis cultura, et spirituales nequitiae imperio herili propulsae non materialibus aut fulgentibus armis, non diversitate legionum, non rhetoricatis phaleramentis verborum, sed vita verbo signis prodigiisque tantum insignes. Sed quia legislatoris vitam plenissime Iesu Christi carbunculus chrysostomus exaravit Gregorius, summi atque venerandi Severi praesulis eximii vitam scribere exordiar.

Annorum a vivifici Verbi incarnatione quadringentesimus primus circulus volvebatur (1), quum Valentinianus tertius felicissimus ac excellentissimus romani imperii thronum suscepit regendum. Hoc itaque orbis moderante habenas, vir Domini Severus omnitenentis beneficio donatus Campaniae, ceu topacius, morum gravitate, vitae praerogative, virtutumque iubare coruscus, eo potissimum tempore Casinensis ecclesiae pontifex splenduit, quo aequitas ab iniustitia, pietas ab impietate, mansuetudo a severitate, catholicae et apostolicae ecclesiae status sub nefandissimorum Arrianorum, Nestorianorum, Manichaeorum, Circumcellionum, Priscillianistarum, ac Donatistarum fluctuabat vesania. Hic itaque teneris adhuc constitutus temporibus peritura gaudia mundi toto mentis contemnens conamine, almifico flamini templum in semetipso construere viribus satagebat omnimodis. Erat enim castitate perspicuus, sanctitate mirabilis, pauperum, viduarum, ac orphanorum tutor praecipuus. Unde his aliisque virtutibus luce clarius rutilans, usque adeo carus ac admirabilis habebatur ab omnibus, ut hunc patrem, hunc dominum, hunc post episcopi transitum sperarent habere pontificem. Inter cetera enim bonitatis insignia, quae ei divina largita fuerat gratia, sic fidei spei charitatisve fuerat munitus virtutibus, ut omnibus facile foret perspicuum quid honoris in se iam Severus portenderet. Tali igitur ordine puerili transacta aetate, ut pythagoricae litterae pervenit ad bivium, qualem quantumve divina favente clementia sese praestiterit, sequentis historiae declarabit formula. De cetero vero quo pacto quo ordine ad episcopale fastigium venerit, breviter praelibare aggrediar.

Factum est igitur ut supradictae civitatis antistes debitum naturae persolvens ad supernae beatitudinis patriam remunerandi gratia vocaretur a Domino. Sancta Casinensis ecclesia pastoris destituta solatio viduata remansit. Verum quia sine rectore Christi ecclesia diutius esse non poterat, famulorum suorum tandem dolens incommodis, consilio ad invicem habito, beatissimum Christi famulum Severum omnes unanimiter elegerunt antistitem. Quod quum vir Domini humilitatis gratia nollet suscipere, aiebat: non perspicio, dilectissimi fratres, his me virtutibus adornatum, quibus divinae clementiae florere hortatur episcopum. E contra illi ardore succensi deifico, talibus eum adoriuntur sermonibus: Christum pro certo nunc, pater, contemnis, cuius quum oves pascere renuis: in illo nempe tunc reus eris examine, quum argueris de abscondito munere: conversatio namque illorum, qui vitam sub silentio transeunt, etsi prodest exemplo, plus tamen obest silentio. Ideo tibi divini verbi semina rex omnium dedit, ut indigentibus impertires. Unde et apostolus ait: praedica verbum, insta opportune importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina. Severus autem pastor his convictus sermonibus ulterius non audet respuere, quod ad communem praecipitur subire salutem. Dilectionis Dei et proximi amictus virtutibus, gratiae regis aeterni favente, sublimatur honore sacerdotii. Ordinatus autem episcopus, tanto sollicitius super grege sibi commisso curam gerebat, quanto super omnes exaltatum se esse noverat. Non enim ignorabat, in futuro terribilis illius diei examine pro ovibus sibi creditis se redditurum Domino rationem.

(1) *Immo vero Valentinianus tertius imperium adiit anno Christi 424.*

Igitur omnibus dulcis, omnibus benignus et mitis, pluribus acer aliquando atque tranquillus aderat.

Eodem vero tempore apud Constantinopolim pestilentissimus et ultra omnes haereticos impiissimus surrexit falsus patriarcha Nestorius, pelago falsitatis demersus, minister diaboli, vas totius perversitatis et nequitiae, inauditae temeritatis et superstitionis inventor; qui in tantam una cum scelestissimo Eutyche prorumpere est ausus stultitiam, ut affirmaret Deum verbum incarnatum non esse, et sanctam ac gloriosam virginem Dei genitricem Mariam Deum non genuisse, sed tantum hominem. Ex hac vero radice pestilentissima nefandissimi surrexere haeretici Acacius, Petrus alexandrinus, ac perversus Dioscorus, quos numquam ad matris ecclesiae gremium romani valuerunt revocare Pontifices; sed deteriora in dies agentes, per totum orientem Christi sciderunt ecclesiam. Cunctis enim orbis terrae sacerdotibus chalcedonensem synodum recipientibus, isti sibilo veternosi serpentis infecti, iniuriis appetebant. Verum orientalium aliqui munimine divino circumdati, quum obscenorum serpentium foetorem non possent extinguere, ultimum omnium insedit consilium ut a romanae sedis Pontifice defensionis expectarent praesidium. Nam hi qui in nova Roma ac per orientem morabantur, ad seniorem Romam venientes deprecati sunt Felicem romanum pontificem, ut tantis malis finem dignaretur imponere. Inter quos et Iohannes patriarcha alexandrinus eadem dicens Romam venit. Felix autem sanctissimus pontifex, synodo in ecclesia beati Petri apostolorum principis facta, duos episcopos et ecclesiae defensorem Constantinopolim misit, scribens Acacio, ut ad matris ecclesiae gremium rediret. Qui dum Constantinopolim pervenissent, Acacii voluntate retenti, litterisque ablatis, in carcerem trusi sunt: comminansque se interficere illos, nisi sibi communicarent, suppliciis diversis affecit. Statuto autem die Acacius scelestissimus haereticorum ad se collegium convocans, muneribusque apostolicae sedis apocrisiarios decipiens, sibi communicare coëgit; quamquam e contra contestarentur et repugnarent orthodoxi episcopi qui tunc aderant: ex quibus nonnulli apud Constantinopolim persecutionem gravissimam pertulerunt: sublatisque chartis, primum quidem *protestationis libellum*, hamo circumponentes funem, *uni ex legatis suspenderunt* (1); secundum in librum immiserunt; tertium vero in cophinum olerum imposuerunt.

Felix autem sanctissimus papa, compertis quae ab apocrisiariis gesta sunt, deposuit eos, synodaleque episcoporum celebrare concilium statuit. Confluit itaque ex omni fere Italia Romam sacerdotale collegium: advenit illuc et sanctissimus Severus Casinensis episcopus. Residente vero in ecclesia Petri apostoli eodem sanctissimo Papa, facta est synodus in urbe Roma, in qua interfuerunt una cum sancto Severo episcopi sexaginta et septem. Ibi namque spiritus sancti gladio confodere et damnavere Nestorium, Eutychen, Acacium, Dioscorum, Petrum antiochenum, ac Iohannem sceleratissimum patriarcham alexandrinum: facientesque exemplaria, per orientem et occidentem per manus orthodoxorum fidelium disseminaverunt. Ad clerum autem et populum constantinopolitanum de hac re epistolam direxerunt. Pari etiam modo Acacio depositionis et excommunicationis epistolam transmisere. Quumque hi qui apostolicos apices deferebant Constantinopolim advenissent, pervenere ad monasterium Dii. Monachi vero Dii dominico die in sacrario porrexerunt epistolam Acacio. Ast hi qui erant ex parte Acacii occiderunt quosdam ex monachis qui epistolam dederant, quosdam autem carceris ergastulo tradiderunt. Acacius vero scelestissimus patrem suum diabolum imitans deteriora in dies agebat. Sed non in longum vigilans super eum advenit iudicium Dei: post duos enim menses a depositione sua praesentem simul et futuram vitam amisit.

Severus autem pastor almificus de virtute in virtutem succrescens, gregem sibi creditum ad altiora tendere admonebat: alios quidem bonis operibus insudantes confortabat, negligentes ad potiora agenda convertebat, immunda mundabat, arida irrigabat, et noxia quaeque radicitus

(1) *Haec ego supplementa ex Theophane apud Pagium sumo, in Baron. critic. ad an. Ch.* 484.

evellebat. Igitur coluber veternosus cernens sibi perire quos ad Dominum cotidie cunstabat redire, novas cotidie adversus ecclesiam pugnas movere non desinebat. Eodem vero tempore pestilentissima doctrina Arrianorum, Manichaeorum, Circumcellionum, Priscillianistarum, ac Donatistarum africanam foedabat ecclesiam. In tantum enim rabies eorum corda Afrorum macularit, ut episcopi, presbyteri, diaconi, ac monachi, rebaptizarentur. Ob quam rem Victor carthaginensis archiepiscopus Romam adveniens, quae in Africa evenerant, cum Donato, Rustico, et Pardulio episcopis, Felici papae notificare curavit. Tunc sanctissimus Felix mittens congregavit in urbe Roma episcopos septuaginta novem, ut fecit synodum in basilica constantiniana, in qua constituit ut episcopi, presbyteri, ac diaconi, qui rebaptizati sunt, ad mortem usque in paenitentia maneant, et in mortis articulo reconcilientur: monachos vero, clericos, atque laicos utriusque sexus, triennio in paenitentia manere, et sic demum ad societatem sacramenti recipi; et numquam ad ecclesiam permittantur accedere. Vir autem Domini Severus ab eadem synodo ad Casinatem reversus ecclesiam, tantis misericordiae coepit vacare operibus, tantumque dapsilis in largiendis eleemosynis coepit existere, ut libere iam cum beato Iob dicere posset, ab infantia crevit mecum miseratio. Quis enim pauperum, Severi non sustentatus est ope? vel quis proprio destitutus auxilio, Severi non est expertus suffragium? Faciebat siquidem iuxta Domini praeceptum sibi amicos de mammona iniquitatis, qui eum reciperent in aeterna tabernacula; ad quae ambulare cupiens, dicebat: quam amabilia sunt tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atriis tuis.

Expleto vero sui temporis cursu laudabili, quum iam terminum vitae sibi imminere cognovisset, suos ad se clericos evocans ait: ego, ut cernitis, amantissimi filii, patrum gradior viam, illudque mihi iam libet decantare apostolicum, bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, iamque dissolvi cupio et esse cum Christo. Quapropter sermonum meorum verba ad mentem reducite, Christum amate, pacem et charitatem toto ex corde diligite, mundi huius caduca calcate. Lubrica et vanissima sunt cuncta quae in hoc mundo speciosa et delectabilia videntur, fallacique voluptate genus humanum illaqueant; cum labore possidentur, cum invidia conspiciuntur; omnes faciunt suspectos, omnes pavidos, omnes in voraginem ignis aeterni demergere conantur, et pro exigui temporis felicitate, perpetuam inducunt calamitatem. Parva sunt quae hominibus necessaria sunt, quae vobis sufficere possunt. Carnis petulantiam, per quam Deus e mente excluditur, fugite: avaritiam dimittite, superbiae resistite, malitiam debellate, iram vincere festinate, vaniloquia respuite, misericordiam et iudicium diligite, a viis diaboli et haereticorum versutiis quae non ducunt ad vitam sed ad mortem, non ad caelestia regna sed ad tartara saeva, cor vestrum avertite. Nullus vos decipiat: secundum facta vestra iudicabimini: unum ex his duobus habebitis, aut poenam aut gloriam sempiternam. Christum ad dexteram patris sedentem aspicite, Christi praecepta servate, Christi regnum diligite, illuc intendite, illuc oculos cordis dirigite, illuc animum vestrum mentemque attollite; retrorsum nolite respicere; conditionis vestrae dignitatem servate; ut Deum valeatis agnoscere, vosmet ipsos prius aspicite, quales ad aeterni imperatoris conspectum veniatis, perpendite, illam gloriam corde et animo concupiscite quae aeterna est, ubi cuncta tranquilla, ubi quieta, ubi lux, ubi decus, ubi splendor, ipse Deus est, ubi nulla nox, nullae tenebrae, nulla miseria, sed gaudia felicitate sunt plena.

Haec et his similia sanctissimus Severus episcopus suos clericos alloquens, postquam sanctissime ac gloriosissime sanctam Casinatem rexit ecclesiam, reddens terrea terrae, feliciter migravit ad Dominum tertio decimo kal. augusti. Plebs autem se tanto cernens destitutam esse pastore, cum hymnis et laudibus eius sacratissimum corpus tollens, in eodem Casinensi castro honorifice sepelierunt: ubi multa mirabilia dominum Iesum Christum meritis eius intervenientibus operari nullus ambigat usque in hodiernum diem. Claruit vero beatissimus Severus episcopus temporibus Valentiniani tertii, Marciani, Leonis, ac Zenonis, imperatorum; roma-

norum autem pontificum, Leonis, Hilari, Simplicii, et tertii Felicis.

Quodam vero tempore quum quaedam mulier Alserada nomine in civitate Aquinensi gravissimo oculorum dolore laboraret, coepit omni nisu archiatrorum frequentare suffragia: sed quanto plus carnalia mortalium iuvamina oculis suis exhibebat, tanto amplius languor convalescebat. Quumque iam carnalis lux ab ea funditus esset ablata, illum secum psalmigraphi vatis tractans versiculum, invoca me in die tribulationis tuae, eripiam te, et magnificabis me, coepit intra se omnipotentis Dei clementiam magnificare, dicens: domine Deus omnipotens qui in luce incomprehensibili permanes, qui sedentes in tenebris et umbra mortis, filii tui domini nostri Iesu Christi precioso sanguine illuminasti, suppliciter tuam exoro clementiam, ut mihi miserrimae lumen reddere digneris, quod culpis meis exigentibus perdidi; ut tuum laudare, glorificare, benedicere valeam nomen nunc et in aeternum. Quumque haec in corde suo tacita volveret, sanctissimus Severus ei apparens dixit: quae res, o mulier, te ad tantam duxit maestitiam? Cui illa: en tu cernis, domine, peccatis meis exigentibus, solis lucicomam iubar, quem Deus ad orbem illuminandum creavit, cernere nullatenus possum. Ad quam sanctus Severus episcopus ait: vis sana fieri? Cui mulier, volo et vehementer exposco. Et Severus sanctus, vade ad ecclesiam meam, quae in monte Casino constructa est, et ibi te sanitati restituam. Mulier vero haec audiens ait, quo nomine pater sanctissime vocaris? Cui sanctus Severus episcopus respondit, omni ambiguitate seposita noveris me esse Severum Casinensem episcopum. Et his dictis, disparuit. Mulier autem virum suum evocans ait: caecitatem oculorum, quae nunc usque nostrum enormiter texit corpusculum, nunc abicere possum, si nostris faveris votis nostraeque voluntati non repugnaveris. Et vir, quicquid dixeris faciam, tuaeque in omnibus voluntati obtemperabo: tantum ut quo ordine haec ad tuam notitiam venerint, ocius et sub omni velocitate depromas. Tum illa, dum pro dolore oculorum Dei flagitarem clementiam, ecce quidam vir astitit qui se Severum Casinensem episcopum esse commemorans, praecepit ut si lumen recipere vellem, ecclesiam suam, quae in Casino monte constructa est, omni sub festinatione adirem. Vir autem eius ex ore coniugis talia quum verba audisset, benedixit Dominum. Statimque cum uxore consurgens ad montem Casinum pergere coepit. Sanctissimus autem Severus mulieris fidem ac devotionem advertens, non in longum passus est eius sanitatem protelari. Antequam enim ad eiusdem confessoris propinquaret ecclesiam, lumen recepit. Quod vir eius advertens, glorificare coepit et benedicere Dominum, qui tale ac tantum per beatissimum Severum episcopum in uxore sua dignatus est operari miraculum. Quumque ad eiusdem pontificis ecclesiam pervenisset, quae sibi Dominus per sanctum Severum episcopum praestiterat, palam omnibus enarrabat. Vota quoque Domino gratiarum pro sui corporis sanitate inibi mulier reddens, domum reversa est laudans et benedicens Iesum; cui est cum patre et flamine sancto una deitas, una maiestas, par gloria, virtus, potestas, et magnificentia nunc et semper et in aeterna saeculorum saecula. Amen.

XVI. VALENTINIANUS patris Benedicti discipulus, nobilis carne sed nobilior spiritu, post sanctissimum Benedictum quintus in lateranensi coenobio, quod Bonitus abbas decessor suus ex concessione Pelagii papae construxerat, primus ibidem Casinensem congregationem rexit. Ibidem sepultus quievit.

XVII THEODORUS post Valentinianum tertius ibidem abbas effectus, vita sanctitateque praeclarus ibidem quievit.

XVIII. GREGORIUS et ipse patris Benedicti discipulus sanctitate perspicuus in monasterio sancti Stephani apud Terracinam et vixit et obiit.

XIX. SPECIOSUS huius Gregorii germanus, nobilis carne, exterioribusque una cum fratre suo studiis eruditus, a beato Benedicto una cum fratre suo (ut sanctus refert in quarto dialogorum libro Gregorius) monachus factus, atque ab eo monasterium sancti Stephani iuxta Terracinam est ad habitandum directus. Qui multas una cum fratre pecunias in hoc mundo possedit, sed cuncta pauperibus pro animarum suarum redemptione largiti sunt, et in eodem mo-

nasterio permanserunt. Speciosus autem dum pro utilitate monasterii Capuanam ad urbem missus fuisset, die quadam frater eius Gregorius cum fratribus ad mensam sedens atque convescens, per spiritum sublevatus aspexit et vidit Speciosi germani sui animam tam longe a se positi de corpore exire: quod mox fratribus indicavit, atque festinans cucurrit, iamque eundem fratrem suum sepultum repperit: quem tamen ea hora, qua viderat, de corpore invenit exisse. In quo miraculo Gregorius beatissimo Benedicto magistro suo similis fuit, qui Scholasticae sororis suae animam caeli alta petentem aspexit.

XX. PAULINUS patris Benedicti discipulus, vita religioneque perspicuus in Casino usque ad suum obitum est conversatus. Sepultus vero est ibi in ipso loco, ubi postea ecclesia sancti Stephani constructa est. Huius igitur corpus Oderisii abbatis in tempore quum inventum fuisset, daemoniacus quidam ibidem veniens sanatus est. Tunc abbas cum fratribus sancti Paulini corpus elevans, in muro ecclesiae sancti Andreae apostoli reverenter locavit.

XXI. AUGUSTINUS beati Benedicti discipulus, sanctitate probatus, ibidem in Casino conversatus est, atque iuxta corpus sancti Paulini cum aliis duobus sepultus. Sed quum sanctorum corpora inventa fuissent, daemoniacus quidam ibidem veniens clamare coepit dicens: Paulinus et Augustinus discipuli Benedicti cum duobus sociis suis me eiciunt. Haec dum crebro per os illius diabolus diceret, cum sanguine immundus spiritus egressus est. Oderisius autem abbas sanctorum corpora inde elevans, cum corpore beati Paulini iuxta ecclesiam sancti Andreae apostoli sepelivit.

XXII. PETRONAX Casinensis abbas dum causa salutis Hierosolymam pergere vellet, a Zacharia papa monitus Casinum advenit, eundemque locum restaurans, usque ad finem vitae, sanctissime et religiosissime ibi conversatus est.

XXIII. CAROLUS rex Francorum ac patricius Romanorum Casinum veniens, deposito diademate capitis ac purpura, monachus factus est, ibique cum omni humilitate sedulum fratribus exhibebat servitium: et qui ante purpuratus contextisque vestibus ex auro ac gemmis incedebat, post vili tectus tegmine pauper ipse pauperibus ministrabat: erat enim humilitate summus, innocentia magnus. Abbas vero ut experimento eius eius cordis arcana cognosceret, paucas oves ei ad pascendum tradidit: quumque ad pastum per multos dies illas duceret ac reduceret, quadam die incidit in latronem: qui quum super eum irruisset, sanctus Carolus dixit, fac quod vis; tantum ne oves mihi commissas tollere quaeras. Latro autem Carolum sanctum sine mora funditus expoliavit. Carolus vero sui corporis nuditatem non ferens, super latronem irruit, eumque in terram protinus stravit, et femoralia abstulit, cetera vero vestimenta ei reliquit. Igitur quum Casinum cum ovibus venisset Carolus nudus, abbatique rem quae acciderat indicasset, increpare eum abbas vehementissime coepit; quum Carolus nihil aliud, nisi se peccasse, responderet. Iubetur ergo vestiri, et ad obedientiam remitti. Quadam vero die dum ad monasterium cum ovibus redire satageret, una earum claudicare aegerrime coepit. Videns igitur Carolus se ad monasterium non posse reverti, ovem in humeris suis imponens, eam usque ad Casinense coenobium reduxit. Sed antequam rediret, perfundi eum ovis lotio contigit: quam rem Carolus adeo patientissime tulit, ut nec oviculam ob hoc de collo deposuerit, aut alicui ex hoc verbum aliquod dixerit. Quod quum abbati ab his qui viderant nuntiatum fuisset, vereque Dei spiritum in eo esse perpendens, praecepit eum ab obedientia quiescere, atque iuxta quod sciret hortum excolere. Demum vero ad fratrem suum Pipinum in Franciam missus, ibidem defunctus est: cuius corpus frater eius Pipinus in locello aureo gemmatoque recondens ad monasterium Casinense remisit. Ibi iuxta corpus beati Benedicti sepultus est.

XXIV. RADCHIS rex Longobardorum cum uxore et filia Casinum adveniens, deposito diademate ac purpura, una cum filiis suis monachus factus est. Extat usque in hodiernum vinea satis monasterio vicina, quam idem rex plantavit, quae usque nunc ex nomine eius appellatur. Uxor vero eius et filia de propriis sumptibus monasterium in Plumbarola construentes, sub

districta satis vita ibidem diem clauserunt extremum.

XXV. PAULUS diaconus et Casinensis monachus innocentiae humilitati silentioque ultra humanum modum operam dabat; ibique usque ad finem vitae ardue satis ac districtissime vixit. Sepultus vero est in Casino ante capitulum.

XXVI. PROLOGUS PETRI DIACONI CASINENSIS IN VITAM SANCTI APOLLINARIS ABBATIS.

Reverendissimo academicisque floribus adornato Rainaldo Casinensis coenobii condiscono, Petrus ultimus eiusdem coenobii filius bravium perennis victoriae. Enixius admiranda omnibusque laudibus virorum sollicitudo est attollenda sanctorum, qui perituri mundi exagitari quatique dum videntur quisquiliis, nec prosperis cupiunt extolli, nec adversitatibus frangi verentur; et ad immutabilis fastigii sceptra anhelantes, aeternaeque victoriae lauream praestolantes, non inter illos, quorum Deus venter est, sed inter summi imperatoris milites aequa ascribendi sunt lance. In quorum ostreato turma sophorum te frater videns verende locatum, in augmentum fidei laudemque Iesu Christi novis expositionibus, ceu alter pacificus, novum opifici celso conaris construere templum. Ob quam vel maxime rem sensus parvitatem exiguum mei dignatus es impellere, ac post mei reversionem perpetuam Casini montis ad arcem, e qua per tempus tempora et dimidium temporis absens fueram(1), otioso inerti lethargeoque somno sopitum evigilare, proculque nosium silentii somnum pellere, Apollinaris exarare vitam eximii, crebris postulationibus assiduisque exhortationibus flagitare non desinis; illud deiloquum ante mentis obtutum saepius replicans reducensque praeceptum, qui non doxologice sed simpliciter in tetro horrore labyrintheoque antro degentes, ad splendidissimi luminis gratiam reducens agalma illos in aevum beavit. Postulationibus itaque, frater carissime, vestris neque cupiens reniti nec valens, fluccigenus incedebam et anceps. Igitur quum marinis fluctuarem in scopulis, tetroque horrore quaterentur nostri corporis ima, diu haud passus oriens omnem qui illuminat mundum me noxiis latere in tenebris, illud divinum nostro in corde revocavit oraculum, siquis indiget sapientia, postulet a Deo, et dabit ei. Et rursum, omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum. Ergo principium lucis aeternaeque sapientiae fontem et originem Iesum Christum filium Dei invocantes, per quem accessum habemus ad principalem ac vivificum indeficiensque lumen in uno sancto spiritu; et respicientes inconvulsibilem doxologicorum auctorem, servi miracula sui prout ipse mundi plastes, sator et altor, largiflua dare dignatus fuerit clementia sua, enucleatius exarare curabo.

Quod si et nunc amici mei, qui me in tantum diligunt, ut sine me haeretici esse non possint, corrodere laniareque quieverint, et me insulsum insipientemque ad scribendum censuerint, androgynique effecti prostibula daemonum ac mortis pabulum susurrando facti fuerint, vasti censoris examini magis illos relinquere quam respondere fore censui aequum: praesertim quum in supremo audituri sint examinis die, discedite a me operarii iniquitatis, non novi vos. Enixius autem flagito omnes qui huic operi ornati inspectores accesserint, indoli ut dent veniam meae, fluctuantemque inter larvales ponti hiulcos, atlanticorumque gramina, anguis sub quae gelidus iacet, carpenti, caelestis civitatis reducant ad portum. Mei vero sermonis auctor et signifer Iesus sit rex omnipotens Christus, per quem et in quo et a quo sophiae principium constat. Tu vero in Christo, carissime frater, et nimium nimiumque ab ipsis ut ita dicam crepundiis indissolubili mihi conglutinate amore, secundum superexcellentem et supereminentem regis tubam eximii, quae nobis omni creaturae praedicare evangelium praecepit, aeternaque agalmata ob huiusce mysterium rei se daturum spopondit, opusculum istud a me simpliciter exaratum tua renitenti ancipitique elimare romphaea ne

(1) *De exilio Petri diaconi legenis additamenta ad eius libellum de viris ill. Casin. cap. 47. itemque epistolam Ptolemaei consulis Romanorum (de quo noster p. 247.) in adnotationibus ad librum IV. chronici Casinensis apud Murator. SS. RR. II. T. IV. p. 488.*

pigeat: et secundum traditum tibi acumen scientiae, infandum obstrue porcorum rugitum, larvalis pardi qui signum sequentes, et cynicorum caenosa lucra amplecti gliscentes, adversum aeterni imperatoris margaritum inconfusum lucidissimumque, Casinensis coenobii gymnasium, grunniunt. Sed his suo cum principe larvalibus ad damnandum rogis relinquens, aeternumque flamen, citharistae plectrum qui implevit, saepissime invocans, Apollinaris hierarchae eximii, rhinocerontis fregit qui cornua saevi, aggrediar exarare, prout rex regum donaverit, vitam.

INCIPIT VITA.

Igitur postquam millies ille felix laureatus pulchrisque infulis adornatus per viam palliis stratam lampadibusque coruscam ad caelestis imperatoris thronum pervenit; in Casinensi archisterio, quod idem sanctissimus pater iussu tonantis oraculum super fidei petram aedificaverat, quod etiam sua corporali requie regulaeque descriptione caput et verticem omnium coenobiorum statuerat, plurimi post eius felicem ad Christi regna ascensum extitere sanctissimi viri, qui adversus mundi principem superno freti iuvamine decertantes, infatigabili fidei anium eius protervia calcaverunt, et vita doctrinaque ad superni regis servitium praecordia suorum incitantes auditorum, apostolicis et antiquis per omnia coaequandis fulsere miraculis. E quorum sacratissimo et supra modum renitenti collegio, ceu lucifer in aethereo axe, ita vita miraculisque in eodem coenobio splendens, temporibus Caroli et Nicephori imperatorum sanctissimus Apollinaris refulsit abbas magnificus. Hic igitur iuxta illud apostolicum, ante mundi constitutionem ab omnipotenti Deo quum esset electus, tantae sanctitatis tantaeque religionis extitit, ut eius honestatis ac vitae continentia, morum gravitatis longe lateque fama volitans plurimos ad superni imperatoris servitutem attraheret. Quum autem intra annos pueritiae versaretur, ab his qui eum unico diligebant affectu, apicibus erudiendus litterarum cathegetis est traditus. Qui dum in coaevorum incederet turma, non ut illa agere tunc assolet aetas lanugineis studebat in rebus: puer namque erat, prout aetas exigebat, sed gravitate modestia incessu senex existebat. Ast ubi superni regis cauterio habilis est iudicatus, ad ecclesiastici stemmatis ordinem adsciscitur clericalique tonsura notatur. Qui in eodem gradu dum esset, ardua altioraque et quae aliis impossibilia videbantur, appetere non desinebat. Huius animum quum sui perspexissent parentes, una cum eo Casinum adeuntes, opifici summo patrique eum obtulere Benedicto. Puer autem Domini quum pubescentes pervenisset ad annos, coepit dare operam orationi lectionique, et in quantum ei sui permittebat licentia patris, arduum sumere institutum non cessabat. Gisulphus vero eiusdem coenobii abbas eiusdem adolescentis animum ubi perspexit super fidei petram esse fundatum, et ad caeleste bravium anhelantem, levitica eum deihinc sacerdotii dignitate ordinari fecit. Ordinatus autem coepit vir beatissimus omni conatu de virtute in virtutem succrescere.

Iam vero qualiter Casinensis archisterii thronum regendum suscepit, praelibare paucis aggrediar. Gisulpho igitur abbate vita decedente ut Apollinarem virum sanctissimum incessu habituque conspicuum, cuius concordaret cum regimine vita, in patrem eligerent, Benedictoque legislatori vicarium ponerent, uno omnibus voto, uno animo, imoque inspiravere consensu. Quem culminis gradum vir Domini Apollinaris gravissimum atque citra modum arduum esse perspiciens, humilitatisque callem, in qua cunctarum perfectio constat virtutum, humilitatis discipulus tenens, tanto indignum se clamitabat honore. Fratres autem eum dignum esse ut tanto gymnasio praeponeretur indicantes, ac ut Benedicti legislatoris thronum acciperet, caelestisque theoriae cathegeta hierarchaque existeret, ac ut fidelis servus sibi credita a summi regis filio cum augmentationis lucro reportaret talenta, patris Benedicti ex parte praecipiunt. Vir autem Domini omnipotentis super hoc voluntatem advertens, regiminis gradum accipere ulterius non recusavit. Ast ubi in tanto gymnasio legislatoris Apollinaris thronum pater suscepit, qualis quantusve fuerit retexere, quis doctor valebit? Vere, ut fateor, cunctorum Plato sophistarum princeps, si acheruntinis a faucibus, in quibus cruciatur, le-

talibus regis exsurgeret, Romanorumque synergus ·M· Terentius Varro, plectro suo latinos omnes qui vicit, superius redderetur, tanti talisque patris vitam scribendam ab illis non videretur indignum. Ut enim cuncta brevi sermone percurram, Benedicti patris sanctissimi erat vicarius nomine, erat et opere. Diffundebatur praeterea sanctitatis eius opinio per universam fere Italiam, multique iam mundum relinquere, et sub eius institui doctrina exoptabant. Cerneres in altero Sinai monte, novi testamenti signifer Moyses caelestis populis in quo iura dictavit, tanto caelestem chorum conversari sub patre; in terra quidem degentes, sed spiritus sancti summi regis in praesentia stantes. Felicem se tunc quisque putabat, qui vel in tanto coenobio vivere, vel suas res ibidem dare quivisset.

Quadam autem die vir Domini sanctus Apollinaris, quia res ita exigebat, ad Casinensis coenobii possessiones est egressus; quumque ad Lirim fluvium pervenisset, ad eum qui cum eo venerat proloquens sit: fluvii littora nunc carissime deambula fili, et sicubi navem inveneris qua fluvium transvadare queamus, ad me perniciter repedans nuntiare studeto. Ille autem obtemperans, quod sibi iniunctum fuerat, sine mora facessit. Ast ubi universa fluvii littora perlustravit, ad sanctum tandem Apollinarem sine effectu reversus est. Quumque venisset ad eum, interrogatus si praecepta eius implesset, respondit, universa iam, pater sanctissime, fluvii littora peragrans deambulavi, navemque invenire non potui. Apollinaris ad haec signifer tonantis eximius quid ageret, quo se conferret, quodve consilium sumeret, ignorabat. Tandem ubi vidit sibi subsidium frustratum terrenum, ad eius se convertit adminiculum qui ait, petite et accipietis, quaerite et invenietis etc. Sanctus itaque Domini Apollinaris navem qua fluvium transvaderet sibi deesse ut vidit, igne flaminis almi qui non comburit sed illuminat ardens, ad fluvii oram fide plenus accedens, salutarique crucis se signaculo muniens, indutus calciatusque in fluvium intravit, atque super aquas deambulans, ad ulteriorem fluminis partem, principis apostolorum exemplo, pedibus est siccis advectus, ut non super aquas ambulasse sed super aridam terram crederetur. Celsus es Christe, ingens virtus tua, novum qui Petrum in Casinensi coenobio dedisti, ac Benedicto legislatori vicarium posuisti! Iuxta vero eundem fluvium praesentes qui aderant, videntes sanctum Apollinarem super aquas ambulare, conturbati et conterriti, putantesque larvali praestigio deludi, labaro regis immensi se munire satagunt. Tanto itaque stupefacti miraculo ad Liris fluenta mittentes, quis vel unde esset qui super aquas pedibus ambulasset, quove nomine vocaretur, perniciter addiscere satagunt. Nuntius vero illorum, fluvii dum pervenisset ad ripam, sanctumque Apollinarem esse cognovisset, gaudio gestiens ad socios velox repedare curavit: a quo quum seriatim socii cuncta didicissent, perculsi prodigio tanto, palmasque ad sidera tollentes, celsi clementiam regis laudare coeperunt; et quantocius sanctum virum adeunt. Ast ubi ad eum venere, solo prostrati, ut pro illis pater sanctissimus Deo cuncta regenti preces funderet, flagitare coeperunt. Quos vir Domini e terra elevans, ut die ac nocte summi in iura satoris meditarentur commonuit, benedictioneque sua illos remunerans, repedare ad propria fecit. Interea volitat fama haec per rura per urbes, felicemque nimis sese tunc quisque putabat, si vel videre vel benedictionem eius accipere potuisset. Tanti igitur patris miraculum ab his qui viderant in Casinensi coenobio fratribus quum nuntiatum fuisset, et qualiter, quove loco evenisset ordine diligentius inquisissent, cunctipotenti opifici grates ferre coeperunt dicentes: gratias tibi agimus mortalium vita salusque, qui Casinense coenobium tanta sublimasti gloria, ut in speciali famulo tuo Apollinare te tota per urbem magnificet ecclesia. Sanctus autem Domini expletis his pro quibus ierat, Casinum quum reversus fuisset, in magna ex tunc veneratione a fratribus coepit haberi. Apollinaris vero pater venerandus de virtute in virtutem succrescens, non in gloriam ob hoc est elatus humanam.

Dum igitur eius fama virtutum longe lateque cunctorum spargeretur per ora, Radelchis Compsanus comes, qui interfecto Grimoald Siconem in principem substituerat, eius virtutum famam audiens, et noxium se cruore domini sui quem interfecerat esse perpendens, coepit intra se haec

tacitus volvere: vae mihi infelici qui excessi enormiter! quid agam? quodve consilium sumam? deliqui graviter qui dominum meum vita privavi. Accelera, festina, curre pro te, miser, dat tibi dum sol iustitiae lucem. Haec et plura dum intra se tacitus volveret, ut ad Apollinarem patrem visendum ad Casinense archisterium pergeret, animo deliberat suo: quumque ad eundem locum festinus venisset, sanctissimi Apollinaris obtutibus prout optaverat praesentatus est: quem quum vidisset, eius vestigiis obvolvitur; ad quem vir Dei ut surgeret quum praecepisset, cur venire ad Casinense gymnasium tantus vir voluisset, inquirit. Comes autem secretum expetens locum, rem propter quam venerat pandit. Quem vir Dei taliter alloquitur: non, fili, enormitas tuorum peccatorum te in desperationem adducat; nam idem mediator Dei et hominum homo Christus Iesus ad suos discipulos ait, non veni vocare iustos sed peccatores. Et iterum, dico vobis, magnum gaudium est angelis Dei super uno peccatore paenitentiam agente, quam supra nonaginta novem iustos qui non indigent paenitentia. Haec et plurima consolationis et vitae aeternae verba quum Radelchis percepisset, respondit: a te, pater, prolata famina nostri perforarunt praecordia pectoris ima: unde omnipotentem enixius flagito Deum, ut qui mihi tribuit velle, donet et posse: sanctoque patri se commendans Compsanam redit ad urbem.

Hi autem quorum haec consulta peregerat Comes, eum rediisse perspicientes, quid in Casino viderit, sollicitius eum interrogare coeperunt. Tum Comes ad haec: vidi plane, ut verum fatear, Casini montis in vertice caelestem in terra chorum degentem, ac caelestium more spirituum horis paene omnibus atque momentis Sabbaoth caelestia super sceptra regnantem laudantes; quibus vivere Christus est, et mori lucrum. Et quid ego vobis de eorum refero vita? Illos plane Iesus Christus dominus noster elegit ante mundi constitutionem, ut essent sancti et immaculati in conspectu eius. Nempe mihi sophistarum si suppeditaret facundia, ad Casinensium narranda praeconia fratrum non usquequaque sufficeret. Illius namque montis in vertice Iesus Christus rex regum aeternus templum sibi construxit. Haec dum Comes dixisset, reminiscens ea quae sibi Apollinaris in Casino abbas sanctissimus dixerat, mundi naenias quisquiliasque contemnens, veternosique chelydri versutias celsi regis fretus munimine calcans, fluxamque rerum copiam spernens, cervice tenus ferrea ligatus catena Casinense coenobium flens et eiulans adiit, Apollinaremque sanctum conveniens, poplitem obtutumque ad arva defocans, sic ei orsus est fari: miserere mei, pater sanctissime, recipe paenitentem et languidum, stygiaque sub lympha depressum Benedicti cauterio ure: nam non est opus sanis medicus, sed male habentibus: suscipe innoxii cruoris fusorem, reduc ad caulas ovem errantem, hydrumque larvalem sequentem, pastor honestissime. Ob id nempe te cunctorum salus decus et gloria celsa mortalibus archiatrum dedit, ut petulantes et lascivos ad viam salutis reduceres: libera perditum; per cunctorum regem te obtestor immensum. Tanti autem viri humilitatem Apollinaris aspiciens pater, quum Deum laudasset, multaque perorasset, professionis sanctae propositum eidem Comiti tradidit. Qualis vero quantusque Radelchis idem postea fuerit, vel quam strenue opifici summo placuerit, ex diaboli verbis datur intelligi: nam per multum temporis spatium cunctis audientibus flens et eiulans idem nequissimus draco per Casinensis coenobii claustrum diebus ac noctibus clamare non desistebat dicens:

Hei Benedicte mihi cur undique rodis inique?
Me prius hinc pulso, nunc mea membra rapis.

Sanctus autem Domini Apollinaris expleto sui temporis cursu laudabili, accitis fratribus, horam qua supernis inveheretur coetibus, sibi imminere praedixit. Eo ut cernitis, carissimi, patrum gradior viam, Apollinaris ait, spemque quam Iesus Christus suis promittere dignatus est fidelibus, sumere cupio. Quumque loquendi finem fecisset, vivifici corporis sanguinisque perceptione se muniens, post undecim annorum curricula, quibus sanctam Casinensem rexit ecclesiam, quinto kalendarum decembrium die feliciter migravit ad Christum. Sepultus vero est iuxta basilicam sancti Iohannis Baptistae, in qua et sanctus pater Benedictus suis cum discipulis requiescit.

Decursis autem a transitu sancti Apollinaris decem et novem annorum curriculis, tempore Leonis sanctissimi papae, innumera Ismaëlitarum, Arabum, atque Persarum multitudo a Babylonia, Africa, atque Sicilia, classe Italiam devecta suorum, Romam advenere, atque ecclesias sanctorum Petri et Pauli depraedantes, in eisdem ecclesiis innumeros peremere Christicolas. Inde igitur recedentes civitatem Fundanam succenderunt, interfectis cunctis habitantibus eius. Contra quos destinatur Romanorum, Germanorum, ac Longubardorum exercitus: sed ab Ismaëlitis victi fugae praesidium sumunt: quos Ismaëlitae instantius persequentes illorum omnia capientes, cunctamque terram igni ferroque tradentes, ad vicina tandem Casini montis venere. Evocat interea scelestissimus duo pestilentissimos signiferos turbae, qui quum venissent, exercitum in unum convenire praecepit: quumque ante eum omnes adstarent, iniquitatis censor inquit ad eos: gratulor virtuti vestrae, commilitones optimi, unum quia animum, unum quia vobis video velle: nam vatis nostri Maumeth excellentissimis intervenientibus meritis ecclesias Petri et Pauli depraedati sumus, Christianos interfecimus, Romanorumque exercitum omnibus retro saeculis inexpugnabilem superavimus, populosque Italiae una cum Germanorum caterva gladio fugavimus. Sed dum vestrarum virtutum insignia exprimere conor, mens hebet, plectrumque meum enormiter praepeditur. Ergo quia ita est, titaneumque iubar ad occasum vergens iter nostrum iam praepedire conatur, istic sistentes in loco potioris fortunae praestolemur eventum: ubi autem sol splendorem suum dederit arvis, praepete cursu praesentia rura linquentes, Casinensis montis in verticem ascendamus, coenobiumque Benedicti diruentes, depraedantes ut incendentes, eiusque discipulos trucidantes morti tradamus. Talia pestilentissimus observanda quum censuisset, eius ad imperium tentoria figunt. Tanta vero tunc erat caeli serenitas, ut nullius nubis operiretur amictu; nam per vastum iam temporis spatium tenuis vel stillicidii gutta vix arva perfuderat; Liris vero tanta siccitas erat, ut pedibus quisque volens transvadere quivisset.

Ast ubi fuscus horror incubuit terris, unus christicolarum a castris ismaëlitarum aufugiens atque ad domini Salvatoris coenobium veniens, Bassatium abbatem sanctissimum clamare omnibus modis coepit; cui dum praesentatus ipso vestis ex habitu moerentia omnique lacrimarum fonte lugentia signa obtulit, percunctans ait, cur hora eadem venire voluisset; sic orsus est fari: annuisset cuncta regentis ut dextera excelsi quo te, pater sanctissime, numquam cognovissem, numquam vidissem! Haec quum perorasset, lacrimarum rivulis genas respergens, adiunxit: eloquar, an sileam? funestumque exitium ab Ismaëlitis futurum retexam? Tamen superventuram cladis ultionem in Casinensi coenobio promam: nam si ego tacere voluero, res ipsa clamabit. Sceleribus suis Christianorum exercitus, qui ad reprimendam Ismaëlitarum saevitiam venerat, per compita fugit, per rura, per valles, campanumque solum penitus deleverunt. Fundanam urbem cremaverunt, atque ad Casinense coenobium incendendum depraedandum ac monachos interficiendos se venire professi sunt. Haec fratres sua quum aure cepissent, et tam ingens horrendumque excidium sibi imminere perspexissent, exsangues effecti sunt: mortalium ab illis praesidium recessit cunctorum, pacis osculum inter se invicem dantes, cunctipotentis enixius flagitare coeperunt clementiam, ut eorum animas benigne susciperet, quorum corpora horrendo exterminio Saracenis ad necandum tradidisset. Surgentesque citissime, cinere asperso capite, discalciatisque pedibus, montis ascenderunt verticem. Quumque ad sancti Iohannis ecclesiam pervenissent, et Ismaëlitarum adventum fratribus nuntiassent, ante corpus sanctissimi Benedicti illico ruentes clamare coeperunt dicentes: succurre nunc, adiuva pater sanctissime, qui discipulis tuis post mortem praesentiorem te promisisti futurum; adiuva et libera nos a praesenti discrimine; exora, pater beatissime patrum, pro nostra salute tuique coenobii stabilitate.

Totam igitur noctem pervigilem fratribus ducentibus, praecelsique opificis aurem cum luctu et gemitu pulsantibus, sanctumque patrem Benedictum sine intermissione rogantibus; sollicitatus, immo (ut ita dicam) stimulatus congregationis suae precibus Benedictus pater sanctissimus ad discipulos proloquens ait: fratres

vestri in supremo articulo positi sunt, et vos adamantina adversus eos praecordia fertis: sequimini me, ac pro eis Iesu Christe domino preces fundamus. Haec quum perorasset, in medio sanctorum consistens, dixit ad eos: quod vestrae nunc sanctitati surrexi promendum, vos non dubito nosse: unde vos communiter ad illorum liberationem invito, et ut pro illis aeterni regis thronum adeamus, aeque similiter peto. Statimque celsi adiit tribunal imperii; quo quum pervenisset, humiliter supplicans ait: tuam supplex, rex regum benignissime, adii rogaturus clementiam, filiorum ut mihi vitam dones meorum; tibi enim omnia parent; tu dixisti, petite et accipietis etc. Tuo enim iussu eundem adii locum, tuoque praecepto iura sancivi; et me praesentiorem illis post carnis depositionem, quam si viverem, futurum promisi. Certe vides, caelestium terrestriumque rector atque altor, afflictionem eorum; obtrita et humiliata corde praecordia cernis; chirographo promissionis meae adstrictum me tenent; et ut pastor suum gregem tueatur adiuvet, protegat, atque defendat, clamare non cessant. Ego vero, pastor aeterne, quid tunc acturus, quid ero dicturus, quum filios meos ante corporis mei praesentiam a Saracenis perspexero in frusta divisos? Me die ac nocte horis et momentis ad suam tuitionem vocare non desistunt: sperant atque confidunt, quicquid voluero, me a tua impetrare clementia posse. Haec igitur eo rogante, responsum accepit: ut quid, dulcissime Benedicte, tristaris, vel cur tantopere pro illis flagitas, quos tuis intervenientibus meritis liberasti? Scito praecognoscens quia quod petisti, datum est tibi.

Igitur quum per totam noctem aspersi capite cinere fratres vigiliis essent ac orationibus intenti, sanctus Apollinaris per visum sancto Bassatio abbati apparens, dixit ad eum: cur ita, Bassati carissime fili tristaris? Et ille, propter mortem, pater sanctissime, et propter loci sancti huius desolationem, quam ocius praestolamur. Ad quem sanctus Apollinaris respondit: confortare, dulcissime fili, in Domino; abice procul metum, procul ab animo pelle maerorem. Misit me dominus noster Iesus Christus, ut et tu indubitans esses, et fratrum omnium animos tuis debeas relationibus certos reddere, te sanctumque patrem Benedictum vestrum omnium obtinuisse liberationem a Domino, ipsumque pariter nobiscum venisse in auxilium vestrum. Unde procul omni ambiguitate remota estote certissimi, quod nullas ad praesens in perniciem vestri vires Agarenorum sit habitura ferocitas; sed illos divinae vi territos fortitudinis reditum acceleraturos in propria. Venerabilis igitur abbas expergefactus, convocatis in unum fratribus, seriatim eis quod sibi a sancto Apollinari fuerat revelatum innotuit, eosque in divinae fortitudine virtutis corroborans, ut instanter omnipotentem Dominum precarentur, admonuit: qui divinis confortationibus roborati, procidentes in faciem pro tantae dignatione consolationis creatori gratias rependerunt, atque quod reliquum erat noctis, laudum redditionibus est orationibusque consumptum.

Aëris vero tanta tunc erat serenitas, ut nulla in eo vel tenuis nebecula videretur: quum caelum subito densatur nubibus, tonitrua concrepant, coruscationes ac fulgura micant, tantusque imber effusus est terris, ut Liris fluvius redundans quasi mare videretur. Igitur illucescente diluculo surgentes e castris barbari accessere ad oram fluminis, diligentius perscrutantes siquam forte navem vademve reperire possent. Sed quum transeundi eis spes esset ablata, digitos sibi coepere manusque prae furore corrodere, cellasque coenobii Casinensis trans fluvium positas igne cremaverunt: ascendentesque naves, dantesque carbasa ventis recto cursu Siciliam quum devenissent, repente parvam cernunt naviculam huc illucque inter suas naves discurrentem celeriter, in qua clericos veneranda canitie, alter monachali habitu indutus, sedere videbantur. Et quum ab eis sollicite interrogarentur, unde tam laeti tam alacres repedarent, ab Italia se venire professi sunt, ibique omnia igni ferroque tradidisse, domos etiam Petri et Pauli ac Benedicti se expoliasse gloriati sunt. Et vos, inquit, qui estis qui tam sollicite tam diligenter nos interrogastis? Nos, inquiunt, unus Petrus alter Benedictus vocamur, quorum domos vos invasisse iactatis. Sed cuius virtutis cuiusve potentiae simus, quam citissime experiemini. Et his dictis, ab oculis eorum ablati sunt. Mox igitur furentibus ventis fluctibusque tumescentibus tanta subito tempestas exorta est, et naves om-

nes vel collisae vel impulsae scopulis confractae sint, ita ut ex omni illa Ismaelitarum copia vix pauci superfuerint, qui suis haec, a quibus missi fuerant, civibus nunciarent. Elapsis autem a transitu sancti Apollinaris annis ducentis quinquaginta tribus, vir reverendissimus Desiderius e loco primariae sepulturae sancti Apollinaris inde corpus elevans, in muro ecclesiae sancti Baptistae Iohannis iuxta altarium beati Gregorii papae humavit.

Ipse supervacuum scriptor dum vitu laborem, Quae non sunt ad rem, plurima surripui. (1)

XXVII. DEUSDEDIT abbas a beneventano principe causa pecuniae captus atque in custodiam trusus ibique interfectus est. Qui dum in monasterio beati Benedicti sepultus fuisset, quidam vir gravissimo febris ardore fluctuans, in ipso febris ardore super eius quiescens obdormivit sepulchrum: evigilans autem gratias referre coepit voce magna dicens: benedictus es domine Deus patrum nostrorum, qui me sanum fecisti meritis Deusdedit famuli tui. Dum igitur hoc ad aures populorum pervenisset, ingens ad eius sepulchrum aegrotantium turba coepit concurrere, et pro sua sospitate illic redemptori omnium supplicare: quorum vota Deus advertens, multos febre detentos diversisque languoribus oppressos ex fide poscentes pristinae ibidem sanitati restituit.

XXVIII. BERTHARIUS abbas (2), nobilis carne, nobilis spiritu, in monasterio domini Salvatoris iuxta altare sancti Martini pro fide Christi a Saracenis capite truncatus est. Sepultus vero est in monasterio Casinensi sursum. Passi sunt autem cum eo et alii multi undecimo kal. novembris.

XXIX. ALIGERIUS (3) abbas, tertius (ut ita dicam) Casinensis coenobii aedificator, totam terram hominibus replevit. Hic Parthenopensium (4) genere ortus, apud monasterium sancti Pauli Romae ab Alduino Casinensi abbate monachus factus est, ac non multo post praepositus Casinensis constitutus. Abbas dehinc Casinensis effectus Aligerius coepit monasterii possessiones solerter exquirere. Quadam vero die Adenulphus quidam pro eo quod Casinensis coenobii possessiones Aligerius requirebat, cum militibus superveniens eundem abbatem vi cepit, atque Aquinum veluti praedam maximam asportavit. Ibi vero in publico civium spectaculo, ursino illum tergo revestiens, canes ei undique sicut re vera urso ad circumlatrandum immisit, et plurimis iniuriis virum sanctissimum vir nequissimus dehonestavit. His Landolphus princeps auditis, mandat Adenulpho ut Capuam vadat, coramque se legali iudicio abbati iustitiam faciat. Ille autem perspiciens legaliter ob commissum facinus morti debere succumbere, rebellare magis elegit, et de Aquinensi satis munitione confidens, ad principis curiam ire contempsit. Quod ubi principi renuntiatum est, Aquinum mox cum exercitu venit, eiusque praetorium, in quo praefatus rebellio se muniverat, obsidione ac machinis circumdedit. Videns igitur Adenulphus aquinensis comes se non posse principis manus evadere, funem in collum suum misit, et per manus coniugis suae ad principis pedes se trahi praecepit. Quo facto, protinus eum princeps cum suis manibus ita ut erat ligatum abbati deliberavit, ut quicquid vellet tam de ipso quam de ipsius omnibus faceret (5). Sepultus vero est praedictus abbas in Casino iuxta ecclesiam sancti Benedicti. Huius igitur corpus inde Desiderius abbas elevans, in monasterio ecclesiae sancti Benedicti iuxta altarium sanctae Dei genitricis Mariae reverenter locavit.

(1) *Haec amanuensis adnotatio est, qui Petri diaconi verbositatem non patiens, permulta resecuit.*

(2) *Bertharii huius abbatis* et *martyris sunt mihi in manibus homiliae duae, de S. Mathia ap., et de S. Scholastica in pervetusto codice scriptae, quas idoneo tempore cum aliis, ut puto, Casinensium auctorum scriptis vulgabo.*

(3) *In chronico Casin. lib. II.* Aligernus.

(4) *Neapolitanorum, ut chron. et lib. cit. cap. I.*

(5) *Additur in chron. Casin. II. 2. Adenulfum captivum cuncta abbati restituisse quae interceperat, atque ita ab abbate dimissum gratis et incolumem.*

XXX. PETRI DIACONI CASINENSIS PROLOGUS IN VITAM SANCTI GUINIZONIS. (1)

GUINIZONIS eximii ortum obitumque descripturus, quem redemptor omnium ceu sidus splendidissimum istis radiare fecit temporibus, cooperatorem adiutoremque invoco spiritum sanctum, qui revelat mysteria, et reserat secreta inenarrabilia, qui eundem confessorem almificum eo potissimum tempore, quo diminutae sunt veritates a filiis hominum, sanctusque defecit, in Casinensi fulgere fecit coenobio: indignum ultra et impiissimum reputans, si tam insignis caelestis curiae senatoris gesta in Casinensi tantum occultarentur archisterio, et non potius ad laudem Iesu Christi imperatoris aeterni, qualiter contra saevissimum tyrannum infatigabili lacerta pugnaverit, eiusque proterviam calcans devicerit, ad omnium aedificationem monachorum ecclesiis Christi, quae per totum romani imperii orbem constructae sunt, destinarem.

Ad hoc nempe non meae industriae, sed Ricardi eiusdem Casinensis archisterii reverendi monachi sum provocatus adhortatusque imperio. Nam cum die quadam in eodem coenobio de sanctorum miraculis reproborumque loqueretur suppliciis, inter multa quae tunc peroravit, maerere se fatebatur, quod tanti confessoris oblitterarentur miracula; et ut nomen ita et gesta illius mirifica, quibus prae omnibus sui temporis hominibus resplenduit enixius, diuturnitate temporum in conspectu occultarentur mortalium; et eo praecipue tempore, cum grammaticorum, dialecticorum, rhetoricaeque eminentissime ibidem vigerent scientiae. Haec igitur dum perorasset, nostram exiguitatem flagitare coepit, ut, quod in beatissimo Placido et Appollinari egeram, hoc in Guinizone facere non recusarem. Tum ego: quum tanti confessoris miracula fratribus narrentur ab omnibus, ac saepius saepiusque relata sint notissima, eius exarare quid necesse est vitam? Nec me, inquit, latet, Ricardus, satis eius patere miracula: sed non te pigeat eius insignissimam apicibus mandare historiam, tam nobis quam posteris generationibus profuturam. Attendendum est enim ac sollicitius praecavendum, ne antiqui hostis versutia nos in hac parte pertentet, qui vitas eorum qui redemptori nostro in isto placuere coenobio, describere negligimus. Hinc etenim scriptura dicit: filii matris meae pugnaverunt adversus me. Tunc nempe filii sanctae ecclesiae adversus matris suae ecclesiae filios pugnant, cum eorum vitam pestifero taciturnitatis turbine tegunt. Quid ex hoc acturus eris, qui exterorum miracula descripsisti quam plurima, et nostrorum audire fastidisti? Unde et Dominus ait: nemo propheta acceptus est in patria sua. Nostrae enim taciturnitatis stoliditas sapientibus maestitiam, et insipientibus gaudium generat. Sed vereor ne illud nobis dicatur in supremo examinis die: filios genui et enutrivi, ipsi autem contemnentes spreverunt me: ille namque patrem suum spernit, qui fratrum suorum gesta mirifica apicibus mandare contemnit. Hoc autem ideo flagito, quia corpus illius sacratissimum in nostra quiescit ecclesia, et ea quae de eodem sancto viro in libris dialogorum suorum Victor sedis apostolicae pontifex retulit, nimis compendiosa, valdeque transcursim videntur esse descripta.

Haec venerandus dum vir retulisset, exiguitatem inscientiae meae postponens, ad huiusce rei negotium animum impuli: et ad nostri redemptoris gloriam, sanctissimi confessoris vitam scripturus, sensum aptavi; procul dubio sciens, in narratione

(1) *Hanc sancti Guinizonis vitam impetrarunt a Casinensi bibliotheca edideruntque Bollandiani T. VI. maii p. 450 sqq. cum prologo, quem vaticani codicis scriptor praetermisit, ego autem a Bollandianis acceptum in seriem revocavi. Nam Petri diaconi codicem Casinensem pleniorem esse vaticano, non hoc solum exemplo intelligimus, verum etiam ex amanuensis pag. 251. et 263. confessione, qui honestae brevitati consulens, partes operis exemisse dicit. Codicem autem archetypum huius commentarii de iustis Casinensibus narrant Bollandiani pag. 250. antiquis litteris langobardicis scriptum in monasterio Casinensi sub arctissima custodia adservari. Ceteroquin exemplar Bollandianis ab imperito amanuense suppeditatum et parum fidele fuit et valde mendosum, ut codex vaticanus, quo utor, mihi demonstrat.*

virtutum, et illi honorem debitum exhiberi, et audientibus plurimum utilitatis conferri. Nam (teste Deo loquor) quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Si qua vero [bono] in hoc opusculo prudens forte lector invenerit, beneficio misericordis deputet conditoris, a quo est omne datum optimum, omne donum perfectum. Lecturos interea suppliciter posco, uti pro nostris commissis Iesum Christum filium Dei dominum nostrum universalem exorent pontificem, quatenus me a latrantium rostris eripiens, ac in futuro iusti iudicii die delictorum remissione concessa, sit mihi praemium fugisse supplicium.

INCIPIT VITA.

Tempore quo serenissimus Heinricus romanum, Basilius autem constantinopolitanum feliciter gubernabant imperium, sacerrimaeque vitae Benedictus, moribus doctrinaque praecipuus, apostolicae ac universali praesidebat ecclesiae; Goiniso confessor almificus, apud Casinum coenobium sole fulgidius claruit, vir plane mirabilis, sanctitate perspicuus, humilitate praecipuus, abstinentia clarus, prophetiae spiritu splendidus, virtutum iubare coruscus, et omni bonitate redimitus. Hic ulteriore Hispania ortus, tantam in se abstinentiam, tantam sectatus est patientiam, ut liquidius iam a parentibus valeret agnosci, non ad suae hereditatis successionem, sed ad divinam potius servitutem, e pietate eum electum fuisse superna. Scintilla namque in eius pectusculo divinae iam lucis splendebat, illius utique quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quum autem puerilem transcendens, ad illam pervenisset aetatem, in qua vel maxime antiquus hostis genus humanum irretire conatur, tanta eminentius se armatura fidei, gladioque verbi Dei, loricaque bonorum operum coepit munire, quanto gravius adversum se iacula ignita videbat insurgere. Coepit igitur toto mentis desiderio ad altiora conscendere, spiritualia quaerere, labentia perituraque relinquere. Sed quanto e se conabatur mundi curas abiicere, tanto magis illius nexibus irretiebatur. Cernens itaque vir Dei, non posse se in patria ad effectum perducere, quod iam mente conceperat; levavit se super se; relictaque, ut olim Abraham, patria sua, caput monastici ordinis Casinense coenobium petiit, ibique cum servis Dei vivere coepit.

Eo autem tempore gravissima persecutionum procella eandem coepit agitare ecclesiam. Pandulphus namque Capuanus princeps, supra modum scelestis et inauditis operibus detentus, Casinensi coenobio persecutiones inferre non desinebat. Primum namque adiiciens peccatum peccato, reverendissimum abbatem ex Casinensi monasterio abstrahens, in civitate Capuana custodiae mancipavit; de Casinensi vero claustro omnes fere monachos exules fecit; paucos tantum, qui vix duodecim possent complere lectiones, ad corpus beati Benedicti dimisit. In monasterio vero eodem scelestissimum et ultra modum perversum, suae nequitiae complicem Basilium, abbatem suum potius quam monachorum, constituit, praebito suis manibus prius turpiter principi sacramento, ut ultra viginti solidos per annum, de rebus monasterii omnibus ei traditis, nihil retineret. Ad postremum autem universos monasterii homines in suam fidelitatem iurare faciens, et cuncta castella seu villas eiusdem loci Normannis, qui sibi tunc adhaerebant distribuens, Theodinum quendam de monasterii servis, suae nequitiae similem, superposuit; eumque apud sanctum Germanum, in ipsa abbatis curia manere constituit. Insuper et Roccam, quae Bantra dicitur, illi contradens, ad suam fidelitatem cunctos illic tam Normannos quam ceteros quosque parere praecepit. Iam vero quam pessimus quam impius idem Theodinus in Dei servos extiterit, in quantam eos sanctumque hunc locum penuriam dedecusque redegerit, etiamsi Varronis aut Tullii mihi inesset facundia, referre non valerem: adeo (ut ex his pauca perstringam) ut in ipsa sanctae Dei genitricis assumptione, ad ministerium altaris vinum eis defuerit; adeo nihil reliqui tunc monachis erat, quam cum Hieremia in lamentum prorumpere, servi dominati sunt nostri, nec fuit qui eriperet nos de manibus eorum.

Cumque nec ista rabidissimo sufficerent cani, post dies aliquot iubet nequissimus princeps cuidam fideli suo, nomine Aldegisin, ut quantocius ad hoc monasterium veniat, eique planetam

et calicem Heinrici imperatoris, et alia praecipua ecclesiae ornamenta, Aquini et Sexti Comitibus impignoranda, pernici ter deferat. Quumque ille veniens, rem propter quam missus fuerat indicasset, Adam reverendissimus eiusdem ecclesiae paramonarius ait: ego haec quae, vir bone, requiris, neque tibi neque alicui alii daturus aliquando sum. Verum ea super ipsum, cuius sunt, beati Benedicti altarium ponam; inde ille qui praesumpserit auferat. Quod quum fecisset, mox ille audacter accedens, quum iam iamque super beati Benedicti corpus manus nefandas extenderet, protinus in faciem corruit, et vehementissima subito paralysi correptus, distorto ore et oculo usque ad mortem permansit. Quod scelestissimus Pandulphus audiens, praefatum Basilium misit, omnemque huius loci thesaurum per illum ad se asportari praecepit, quem gloriosae memoriae Carolus, Pipinus et Carolus frater eius, Lodovicus, Lotharius, Carlittas, Otto, ac Heinricus imperatores sancto Benedicto obtulerant, atque in arce sanctae Agathae, omnia simul condens, reposuit. Tali igitur modo abrasis a nefandissimo principe funditus monasterii rebus, vir Domini Guinizo, eremiticam vitam ducturus, a fratribus licentiam petiit, atque in eodem monte non longe a monasterio sibi cellam fecit: ibique in orationibus, ieiuniis, ac vigiliis persistens, omnipotentem Deum flagitare coepit enixius, et Casinensi coenobio solita pietate succurreret; filiosque eius, a scelestissimo Pandulpho dispersos, ad eandem ecclesiam iterum revocaret.

Eo autem tempore, cum praedicti Casinensis coenobii fratres maxima stipendii premerentur inopia, almifici patris Guinizonis sanctitatem, vitam, ac mores agnoscentes esse praecipuam, eum convocantes in medium, tale ad eum habuere omnes colloquium. Quantis iam dudum, frater dulcissime, simus oppressi miseriis, quantisque tribulationibus coarctemur, vestrae dilectioni non manet incognitum. Iam enim pervenit gladius usque ad animam: iam consummatio desolationis in hoc loco a principe facta est: Iam namque totum depraedati sunt coenobium, possessionesque beati Benedicti ad suas utilitates retorserunt; nosque fames dirissima cruciat, et quale vitae capiamus remedium, penitus ignoramus. Sed Dei omnipotentis confisi clementia, vestram fraternitatem suppliciter poscimus, ut ad Theodini pestilentissimi curiam quantocius properes; confidimus enim in Domino et in potentia virtutis eius, quod nobis in tanto periculo positis concedet remedium. Haec vir Domini audiens, ait: fratres et domini mei, nostrumque unicum ac singulare remedium, cur adeo maestum animum geritis? Confidite in eo qui vicit mundum, qui percutit et sanat, vulnerat et medetur; qui ideo hic flagella irrogat, ne in aeternum puniat. Recolite quia pater sanctissimus Benedictus praesentiorem quam si viveret pollicitus est se futurum; unde in tribulatione gratias agentes, illud cum Iob decantemus canticum: si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus? Unum autem a dilectione postulo vestra, ut pro me domino Iesu Christo patrique sanctissimo Benedicto preces fundatis, quatinus Theodini miserrimi vultum mihi placabilem faciat, mentemque eius ad preces meas inclinet, quo ab eo valeam obtinere quod rogaturus sum.

His dictis, nulla interposita mora, omnium fratrum se prosternens vestigiis, sumpto baculo iter aggressus est. Mox vero ut ad Roccam crudelissimo servo praesentatus est, cur illuc tantus vir venire insolite voluisset, inquisitus est. Cui vir Dei respondit: nostrum procul dubio huius rei gratia ad hunc locum noveris extitisse adventum, ut fratribus nostris, alimentorum necessitatem patientibus, frumenti praestes auxilium. Qui inter multa verborum convicia, servilis ut est consuetudinis, respondit: cur non laboratis manibus vestris, sicut vobis regula praecepit? Tunc vir Dei, quia alii infirmi sunt, alii vero in decrepita iam aetate consistunt. Sed quum multis vir Dei instaret precibus, respondit: ne vestra demum verba parvipendere videar, hac mecum nocte si perseverare volueris, centum tibi milii modios, diei illucescente aurora, vestri gratia tribuam. Quae omnia vir Dei subdole illum retexere sentiens, regulae praecepta se nullo modo violaturum fore respondit. At Theodinus, dum in mente sua anxius quaereret, quo venena perfidiae fundere posset, diabolicis tandem instigatus stimulis, dum servum Dei orationis

gratia ecclesiam intrasse conspiceret, coepit intra se haec tacitus volvere: quia manere hodie sponte nobiscum noluit iste, persistat invitus; sicque cum summa diligentia claudi ecclesiam fecit: virgam vero, quam in manu servus Dei adduxerat, uxori suae tradidit, et eam in arca claudi praecepit. Sed humani generis conditor, qui in se sperantes non deserit, misit angelum suum, qui salvo ianuarum signaculo eum de ecclesia abstrahens, in montis peda servum Dei deposuit. Rustici vero ex more sero redeuntes a ruribus, percunctati a castri habitatoribus, si quid novi in illis partibus nuperrime gestum foret, respondere se omnino nihil aliud vidisse, nisi quemdam hominem solivagum, discalciatis pedibus cambottam in manu portantem. Theodinus vero nequissimus servus hoc audiens, evocat confestim presbyterum et Marottam uxorem suam, et quid de Dei homine actum fuisset, sollicite coepit inquirere. Qui quum in ecclesia eum permanere dixissent, ut eum ad Theodinum perducerent concito gradu perrexerunt; quem invenire non praevalentes, ei nuntiare curarunt; uxor autem eius baculum, quem in arca posuerat, similiter requirens, invenire non potuit. Qualiter autem omnipotens Deus de ecclesia ianuis clausis servum suum abstraxerit, usque hodie manet incognitum.

Sed quum idem omnipotens Deus tantis direptionibus decrevisset finem imponere; Casinensis coenobii fratres, ultra montes ad imperatorem pergentes, quae mala a Pandolpho pertulerant retulere; orantes ut ad Italiam dignaretur venire, ac Casinense coenobium, quod caput omnium monasteriorum a domino Iesu Christo per patrem Benedictum statutum fuerat, quod omnes imperatores sub sua tutela reverenter nimis habuerant, de saevissimi tyranni manibus potenter erueret. Conradus autem imperator, his auditis ira succensus, cum valido nimis totius occidentis exercitu transitis alpibus Romam advenit; ibique habito cum Romanis consilio, strenuos a latere suo principi destinat viros, mandans, ut nisi indignationem romani imperii vellet protinus experiri, monasterio Casinensi cuncta quae abstulerat, confestim restitueret. Sed cum hi, qui ab imperatore missi fuerant, nil proficissent, cernens Augustus se a Pandulpho contemni, sumpto exercitu venit Casinum. Quod cum fratribus fuisset relatum, dixerunt: tempus tacendi transiit, et loquendi tempus advenit: ecce illuxit dies redemptionis nostrae: descendamus, et imperatoris ministris omnia quae sunt necessaria praeparemus. Alia autem die imperator, Benedicto patri se commendaturus, montis ascendit verticem: quumque capitulum, una cum Heinrico rege filio suo, ingressus fuisset; surgentes monachi, omnes in terram ante faciem imperatoris se prostravere, surgentesque, ita vos, inquiunt, expectavimus, ita faciem vestram contemplari desideravimus, ac si iustorum animae in inferno redemptoris adventum expectasse noscuntur. Et iterum omnes in faciem ruentes, quae et quanta mala per duodecim annos a Pandulpho perpessi fuerant referunt. Tunc imperator in fletum erumpens, ob eam solummodo causam se ad partes istas transisse, ut sanctissimi patris Benedicti coenobium de iugo servitutis ereptum pristinae redderet libertati, iureiurando affirmabat. Ibi autem imperator aliquamdiu demoratus, Richerium in eodem Casinensi coenobio abbatem constituit: indeque recedens Capuam super principem sine mora perrexit; ibique Guaymarium principem ordinans, omnem terram sancto Benedicto restituit.

Scelestissimus autem Pandulphus, una cum Basilio suo ad imperatorem Constantinopolim abiit, a quo iusto Dei iudicio in exilium directus est. Theodinus vero, disponente Deo, a Richerio abbate captus, virgis caesus ac tonsus, nec non sacco indutus, et ad cernendam farinam more servorum in pistrino positus est. Normanni vero, qui tanti loci infestatores extiterant, centum quinquaginta intra biennium diversa morte consumpti sunt. Comes autem illorum, qui terram monasterii vastare disposuerat, eo die quo id se acturum sperabat, subitanea morte defunctus est. Siconulphus vero Aquinensis comes, et ipse ex persecutoribus, Dei iudicio percussus, una cum duobus milibus quingentis civitatis suae habitatoribus, eodem anno mortuus est. Pandulphus autem pro his, quae in Casinensi ecclesia gessit, licet in hoc saeculo poenam sustinuit, in futuro tamen poena non caruit; quod certius probabitur, si ea quae de eo visa sunt, in medium deducantur.

Sergius namque magister militum, qui Neapolitanae praeerat urbi, in ipso sancto paschali sabbatu silvam suis cum pueris venaturus ingreditur: tensisque ratibus, ad insequendos apros per silvam omnes sese cum sanibus hua illucque diffundunt. Fit autem venantibus eis aper obvius, qui priusquam fugiens retis involveretur laqueo, confossus verubus captioni cessit eorum. Quum autem ad occasum sol vergens, tardioris horae noctisque iam imminentis indicia certa referret; sumpta quam ceperant venatione, celerem cum universis domum repedationem Sergius arripuit: uno duntaxat post se puero, Pythagoras nomine, derelicto; cui, ut collectis retibus summa sese cum festinatione sequeretur, praecepit. Cum autem iussionibus parens dominicis, dominum celeri cursu sequeretur; duo repente monachi, vultus admodum reverendi, ei sese in itinere obvios obtulere. Quumque timore exterritus puer, quinam essent inquireret; illi, procul, inquiunt, ab animo omnem repelle formidinem, nosque intrepidus comitare. Cum itaque per eandem silvam simul proficiscentes aliquantulum processissent, venerunt ad lacum quendam coenosum valde aspectuque horribilem; ibique Pythagorae monachi, qui videbantur, Pandulphum principem supradictum ostendunt, ferreis nexum vinculis, atque in coeno lacus ad gulam usque demersum. Visi sunt interea duo aethiopes in restis speciem vites contorquere agrestes, quibus collum principis colligantes, missum in inferiora lacus, ad superiora trahebant; atque ad superiora pertractum, iterum in inferiora trahebant. Cumque has aethiopes puer vices alternare conspiceret, immensa licet correptus formidine, Pandulphum tamen alloquitur, tantique ab eo causam discriminis percunctatur.

Tum ille, flens et eiulans, in huius verba responsionis erumpit: licet, o Pythagora, multiplicibus et infinitis facinoribus meis multiplicia et infinita mihi sint parata supplicia; huius tamen, cuius ipse conspector es, poenae nullam aliam causam noveris esse, nisi quod aureum calicem de sancti patris Benedicti coenobio, sacrilega ductus cupiditate, abstraxi, eique moriens minime reddere procuravi. Unde obnixe deprecor te per Iesum Christum dominum, cuius infelix ego praecepta contemnens in hac sum detrusus voragine, te obtestor, ne usque Capuam itineris pigriteris fatigationem subire, eamque, quae mihi in coniugem fuit copulata adire, eique poenam meam, cuius te Deus visu ipso cognitorem voluit, intimare; poenaeque causam abstractionem esse calicis memorati, te meis eloquiis didicisse; meque rogare, et obtestari obnixe, ut pristini dilectionem amoris in memoriam revocet, ablatumque calicem sancto loco ocius et sub omni celeritate restituendum procuret. Ad haec Pythagoras, non, inquit, verbis meis, ut reor, uxor tua adhibitura est fidem; neque quod te viderim, vel quod ipse patiaris talia, creditura. Tunc princeps ait: ut uxor mea tuis debeat fidem inambiguam adhibere sermonibus, hoc illi dabis indubiae certitudinis signum, dicens, praefatum calicem Pandulphum Gualae filium habere pro pignore: rogabisque ex persona mea, ut si quae in ipsius animo coniugalis resident amoris vestigia, solidos, pro quibus calix in pignus est traditus, Gualae reddere non moretur; sanctoque calicem monasterio restituere, ut quam pro ablatione calicis poenam mereor pati, ea, calice restituto, merear liberari. Quibus dictis visio omnis illa ab oculis pueri ablata est. Qui reversus domum, gravi continuo languore corripitur, qui per singulos dies invalescens, vitam ei brevi temporis spatio terminavit. Prius vero quam decederet vita, Pandulphum, cui praefatus calix fuerat in arrhabonem commissus, contigit venire Neapolim, et ex ipsius ore Pythagorae hanc seriatim visionem audire. Qui cum reversus Capuam uxori principis cuncta intimasset, parvipendens verba mulier, nec pretium quod vir acceperat mutuo restituere, nec calicem restituendum ecclesiae curavit recipere. His taliter praelibatis ad sancti Ianuarii, Guinizonis discipuli, enarranda miracula veniamus.

XXXI. DE IANUARIO GUINIZONIS DISCIPULO.

His igitur quum in Guinizonis erudiretur doctrina, magnis abstinentiae obedientiaeque coepit pollere virtutibus. Qui quum tempore quodam a magistro, ut ferramenta, quibus erant soliti ope-

rari, reficeret, Aquinum missus fuisset; domum fabri ferrarii adiit, atque ab eo ferramenta sibi reparari data mercede poposcit. Erat autem a natura sancto Ianuario quaedam attributa corpulentia, ruborque genarum in tantum, ut mira quoque abstinentia exinanire duo ista in Ianuario non sufficeret. Faber ergo ferrarius figens obtutus in Ianuarium, coepit de eo cum adstantibus risum facere, eiusque corpulentiam et ruborem esculentioribus cibis viniquae potationibus assiduis deputare. Ad quam falsam suspicionem de eo praesumptam sanctus Ianuarius respondit: potens est Deus facere, ut de pinguedine et rubore meo falsa vos peniteat opinatos. Interim autem dum faber ferrarius, quae artis erant suae, operari non desinebat; fervens nimiique ruboris ferrum de igne extrahit, super incudem ponit, idque fortuito excussum forcipe, incude desiliens, in terram decidit; quod continuo correptum manu sanctus Ianuarius incudi restituit, sanctorumque, qui praesentes adstabant, tremore corpora, animos stupore replevit: eoque facto, neque ea edacitate se nimia corpulentum, neque ea vini potatione sedula rubescentem, evidentissime omnibus patefecit. Non enim adstantium quispiam vel tenuiter ultra potuit opinari sanctum Ianuarium edacem vel bibulum, per quem tantae virtutis in eorum oculis creator omnipotens demonstrare voluit signum. Quum autem ferramentis refectis ad cellam sanctus remeasset Ianuarius, vehementis a magistro est verbis increpationis correptus, quod insultantibus cedens, virtutis signum in eorum facere conspectibus praesumpsisset. Quumque ad haec sanctus Ianuarius stupens percunctaretur ab eo, quo revelante ista ei insinuata fuissent, Guinizo vir Dei, respondit: cuius tibi virtute signum tantum concessum est exterius facere, eodem revelante interius illud mihi concessum est scire. In quo facto Guinizo facta absentis discipuli contuitus, Elisaeo; in extinctione vero virtutis igneae, tribus pueris similis Ianuarius factus est.

Non multis dierum transactis curriculis, cum ad sancti Germani curiam, rebus monasterii expetentibus, missus fuisset, omniaque Guinizo iam perfecisset; ecce quendam perspexit hominem, qui calathum uvis refertum, quem latrocinio acquisierat, suis in humeris deferebat. Quod quum venerabilis pater Guinizo, sancto repletus spiritu, cognovisset; protinus vociferans ad se illum venire praecepit. Qui quum sceleris sui se conscium manere cognosceret, ad servum Dei ocius venit. Mox vero de perpetrato facinore illum redarguens, dixit: unde tibi hae uvae, furcifer? Unde eas adduxisti? Ad haec callidus fur sese dissimulans, eas a sua vinea se collegisse iureiurando affirmabat. Tunc vir Dei respondit: non sic, sed potius eas de tali vinea collegisti. Qui demum victum se sentiens, tanti viri admirans benignitatem, de commissis veniam postulat. Quem quum ad rectae vitae tramitem Guinizo pater sanctissimus diu monuisset, dixit: curre frater, curre velocius; et ad vineam, unde uvas rapuisti, ferre summopere satage: ecce enim super eas diabolum sedentem conspicio. Qui cursu velocissimo mandata perficiens, ad vineam, unde uvas abstulerat, easdem reportare curavit.

Guinizo autem pater almificus, expleto sui temporis cursu laudabili, perrexit ad Dominum VII. kal. iunii. Eo vero die, quo de hoc mundo recessit, quidam frater apud Beneventum positus, eius excessum per spiritum cognovit, et adstantibus ibi fratribus dixit: omni remoto scrupulo haesitationis, estote certissimi, in Casinensi monasterio magni quendam meriti hodierna die migrasse ad Dominum. Ad quae nimirum verba mentes audientium omnium in stuporem sunt versae, quod videlicet migrationem viri, per octoginta fere passuum millia separati, tanta sibi acciperent firmitatis certitudine nuntiari. Diligentiore tamen perquisitione rei veritatem discutientes, cognovere profecto, eodem die Guinizonem patrem migrasse, quo nimirum magnum quendam in Casinensi monasterio virum memoratus frater obiisse cognovit, eiusque ceteris obitum revelavit. Sepultus vero est in ecclesia sancti confessoris Christi Nicolai, in loculo plumbeo ad dexteram partem altaris, in loco qui dicitur Ciconia: in quo et sanctus Ianuarius discipulus defunctus una cum magistro suo positus est: ad quorum Christus merita declaranda, mira in dies usque in hodiernum patrare non cessat.

XXXII. LYUTIUS Casinensis monachus ab eodem coenobio egrediens Hierosolymam petiit:

indeque reversus primo apud Salernum in quadam eremo, in loco qui dicitur ad Cavam, aliquamdiu mansit: postmodum vero in monte hoc loco Albaneta vocabulo monasterium construxit, ibique cum triginta circiter fratribus conversari religiosissime coepit. Ipse autem prae ceteris omni vilitate et extremitate contentus, tam humili se officio mancipavit, ut farinam in pistrino ad panem faciendum famulorum more discerneret; quum interim de ore illius dominica cantica numquam cessarent. In cuius vitae humilitate ac nimia abstinentiae austeritate usque ad finem vitae perduravit. Sepultus vero est in monasterio Casinensi.

XXXIII. IOHANNES Apulia provincia ortus, Casinensis decanus aliquanto tempore extitit. Demum vero ad civitatem Lucensem ad construendum monasterium missus, quum ibidem instanti vigiliis orationibus maximeque eleemosynis studium indesinens adhiberet, tantarum lacrimarum ubertatem tantaeque compunctionis gratiam de supernae munificentiae largitate promeruit, ut nemo permitteretur ambigere quin ille fons oculorum, itaque tanta spiritus humilitatis contritio, multa et maxima a divinis posset auribus impetrare. Quum itaque fama sanctitatis eius ora omnium personarent, mulier quaedam quam dirus miserabiliter daemon vexabat ad eum perducta est. Et quum ab eis qui eam duxerant ut pro ea Dominum precaretur, magnis precibus fuisset adstrictus, convocatis in unum fratribus oratorium est ingressus; quumque pro ea diutius Dominum exoraret, immundum ab ea spiritum protinus expulit. In eadem civitate quaedam femina valida languoris peste laborabat, quo ingravescente ad extrema pervenit, tribusque diebus sine sensu ac voce recubans, solo pulsu vitae indicia dabat. quumque de eius vita omnes desperarent, virum Dei rogare coeperunt, ut pro ea Dominum supplicaret. Tunc sanctus Iohannes sacerdotalibus vestibus indutus sacrificium pro ea Domino offerre coepit: quumque intra missarum sollemnia nomen mulieris a viro Dei memoraretur, illa in domo propria longe a monasterio iacens paene exanimis, vocem presbyteri se memorantis audivit, eique tamquam praesenti respondit. Illi autem obstupefacti ad vocem illius, quae iam triduo quasi mortua iacuerat, cui mulier respondisset interrogant. Ad quos illa, numquidnam, inquit, huic lecto domnus Iohannes praepositus praesens non assistit? numquid non ipsi vocem eius me clamantis atque a gravi sopore excitantis audistis? Haec quum dixisset, sanitati pristinae reddita ocius est. Tunc ad monasterium quantocius mittunt nuncios, ut quid pro ea vir Dei ageret inquirerent; qui quum ecclesiam ingressi fuissent, virum Dei reperiunt sacris altaribus assistentem, atque pro eius salute Domino hostiam offerentem. Tunc sollicite inquirentes, ea hora eius sanitatis invenere extitisse principium, qua vir Dei eam intra sacra missarum sollemnia nominavit, illaque ei in lecto respondit. Alexander papa quum febre valida aegrotaret, et languor in dies ingravesceret, ei in memoriam venit quod quicumque febre detentus aquam, quae de manibus sancti Iohannis post missarum sollemnia defluebat, in potum sumeret, febris in eo dominium ulterius non exerceret. Misit igitur continuo qui ea aqua illa latenter sibi deferrent. Delata igitur aqua, statim ut eam in potum accepit, omnis ab eo infirmitas febris recessit.

XXXIV. CONSTANTIUS in Casino presbyter fuit vir egregius omnique morum probitate ornatus. Hic igitur quum Aligerii abbatis temporibus ad monasterium sancti Benedicti construendum in locum qui Pectinarius dicitur transmissus fuisset, et aquam in eodem loco non haberet, ad apostolorum Principis limina tertio discalciatus perrexit, ibique aeterni regis clementiam rogare attentius coepit, ut qui aquam in deserto ex petra produxerat, per apostolorum Principis ac Benedicti patris sanctissimi interventum aquam in loco arenti largiri dignaretur. Hoc quum tertio egisset, beatus Petrus apostolus apparens dixit ad eum: petitiones tuas exaudivit Dominus; desideria cordis tui ante eius divinitatis sacrarium admissa sunt. Nunc igitur surge, et tali in loco terram fodere incipe; ibi aquam indeficientem invenies. Surgens autem vir Domini Constantius, ad locum quem ei apostolus demonstraverat pergit; in quo quum fodisset, aquam indeficientem invenit, quae incolis potum praestat usque in diem praesentem. Postquam vero sanctus Constantius a mundo recessit, quidam vir

ditissimus e Dalmatia in medio adriatici maris naufragium sustinens, servum Dei Constantium ad suum indesinenter vocabat suffragium dicens: sancte Constanti, si vera sunt quae de te audivimus, in praesenti rogamus ut nobis subvenias, quatenus erepti de praesenti articulo, te patrem te tutorem te dominum me habere gaudeam. Haec dum assidue diceret, tranquillitas facta est magna; et ad portum veniens, viri Dei sepulchrum cum muneribus adiit, laudans et benedicens Deum.

XXXV. IOHANNES Casinensis abbas Beneventanae civitatis archidiaconus extitit, qui mundi spernens divitias Casinum adiit, ibique monachus factus est, non parvum ibidem tempus exigens. Demum vero Hierosolymam profectus, per sex continuos annos in monte Sinai vitam eremiticam duxit. Postmodum vero in Graecia in monte qui ἅγιον ὄρος dicitur aliquanto est tempore conversatus. Post multos vero dies sanctus pater Benedictus eidem Iohanni per visionem apparens, virgam pastoralem, quam manu gestare videbatur, ei contradidit, ac ut ad Casinense monasterium omni sub festinatione rediret praecepit. Surgens igitur Iohannes Casinum reversus est, atque e Iohanne abbate praepositus, demum vero abbas Casinensis constitutus est.

XXXVI. IOHANNES Casinensis abbas vir sanctissimus ac religiosissimus fuit. Hic abbatia relicta, in loco qui Piretus dicitur vitam eremiticam usque ad suum fere obitum duxit. Nocte vero qua e mundo recessit, quidam monachus Iohannes nomine in monasterio sancti Laurentii martyris, quod intra Capuam urbem constructum est, nocturnam synaxim vigilando praeveniens, respiciens subito cernit magnam claritatem lucis in aëre, et intra eandem cernit eiusdem Iohannis animam caelum penetrare. Mane autem facto, nuntium confestim ad Casinense coenobium misit, et quid in Casino actum fuisset, ut sollicite inquireret, praecepit: quo Casinum tendente, alter ei nuntius obviam factus est, qui in Capuam proficisci ob Iohannis abbatis obitum nunciandum dicebat. A quo quum de migrationis tempore sciscitaretur, ea ipsum hora invenit ex hac vita eductum, qua Iohannes monachus eius animam caeli alta penetrare respexit.

XXXVII. FELIX monachus a Casinensi abbate ut pastoribus gregique praeesset transmissus est. Ubi quum defunctus fuisset, et multa ad sepulchrum eius signa fierent, theatinus episcopus eius eamde corpus elevans in ecclesia venerabiliter collocavit, ac super illud altarium consecravit: quo loco quum quidam caecus venisset, lumen recepit.

XXXVIII. SALVIUS e Campania ortus, a Casinensi abbate ad ecclesiam sancti Clementis in Plumbata transmissus est: ubi quum defunctus fuisset, multa apud eius sepulchrum miracula divina est operata maiestas.

XXXIX. ANGELUS in Casino monachus fuit, vir reverendus et omni bonitate redimitus. Qui quum ultimum clausisset diem, daemoniacus quidam ibidem adveniens coepit clamare dicens, quid hac hora mihi Benedicte fecisti? Angeli mihi animam ob exigui gestamen cuculli auferens, tue in caelestibus gregi miscuisti. Quumque haec lugubriter diceret, repente signum quo fratrum obitus significari solet insonuit; cunctesque praefatum Angelum iam vita privatum repererunt.

XL. AZO in Casino religiosissimae vitae monachus fuit, qui ecclesiam beati Michaelis archangeli in valle regia e Saracenis destructam instauravit. Qui dum in Casino ultimum flatum traheret, monachus quidam Rainaldus nomine vidit beatum archangelum Michaelem in ea qua depingi consuevit effigie cum alio angelo per dormitorium ad domum infirmorum pergentem. Ad quem frater ait: tune es caelestis militiae princeps angelus Michaël? Et ille, ego utique. Et frater, quo tendis domine? Ad domum, inquit, proficiscor infirmorum, Azonem ad caelestem mecum curiam delaturus; tempus enim vitae eius terrenae consummatum est. Et his dictis, disparuit. Frater autem continuo surgens, domum infirmorum perrexit, iamque praefatum Azonem defunctum reperit.

XLI. IOHANNES veneticus in Casino monachus fuit, patientia obedientia humilitateque insignis. Hic quum ibidem defunctus ac sepultus fuisset, frater quidam ramicis incommodum ita patiens, ut membrane intercutanea passa diruptionem, viscera in carnem laborarent et

corium, eius sepulchrum adiit, ibique toto prostrato corpore, omnipotentis coepit rogare clementiam, ut per intercessionem servi sui Iohannis diruptionem illam in soliditatem statumque pristinum revocare dignaretur. Sed quantum apud Deum servi sui Iohannis valeret oratio, claruit; nam statim diruptio illa solidata est.

XLII. STEPHANUS veneticus in Casino monachus fuit, qui dum in eodem coenobio ultimum diem clauderet, anus quaedam Agundia nomine ante ecclesiam sanctae Dei genetricis in oratione pernoctans, quum ad montis apicem oculos deflexisset, vidit de infirmorum domo igneam columnam egressam caelorum ardua penetrare. Quo viso, nuntium statim ad monasterium mittens, ea hora Stephanum invenit animam exhalasse, qua ipsam columnam igneam caeli alta penetrare conspexit.

XLIII. PAULUS Casinensis monachus quum in capuano monasterio defunctus fuisset, ea nocte quidam episcopus orationis gratia petebat Garganum, qui quum in Capua urbe iuxta ecclesiam sancti Laurentii hospitatus fuisset, intempestae noctis medio surgens vidit ad dexteram partem solaris instar radii lucem splendidam a monasterio egressam caeli alta penetrare: quumque lucem quam cernebat attentius miraretur, campanae sonum e monasterio fratris exitum significantis audivit: statimque nuntium ad monasterium mittens, ea ipsum hora invenit de mundo migrasse, qua ipse caelorum alta claritatem lucis petere vidit.

XLIV. GREGORIUS Casinensis monachus quum ex hoc mundo migrasset, tanta odoris fragrantia de loco in quo iacebat emanavit, ut omne subito monasterium odoris suavitas resperserit: dumque omnes mirarentur, nuntius ab infirmorum domo venit, qui Gregorium monachum obiisse retulit.

XLV. RAYNERIUS Casinensis monachus, iuvenis aetate, grandaevis moribus, praecipuae humilitatis, obedientiae singularis. Hic quum ad theatinos fines pro utilitate monasterii missus fuisset, a latrunculis Oderisii comitis, omnibus quae deferebat sublatis, occisus est. Ad cuius sepulchrum multa divinitus sunt patrata miracula.

XLVI. ADAM Casinensis paramonarius, dum pro causis ecclesiae pergeret, duo iuvenes vestimentis induti monasticis ei obviam facti sunt, quos quum interrogasset qui essent, unum Protum alterum Hyacinthum se esse responderunt. Et adiunxere, venimus ut fratribus gratias referamus, quia nostrae festivitatis diem summa veneratione ac studio celebrarunt. Erat enim dies quo martyrio coronati sunt.

XLVII. BENEDICTUS. Constantinus Sardorum rex sub Oderisio abbate Casinum misit, ut ei quendam ex fratribus mitterent, qui ibi episcopatum acciperet. Tunc miserunt ei quendam monachum Benedictum nomine, virum per omnia venerabilem; qui dum satis strenue ibi episcopatus ordinem gereret, ex more solito veniens maxima multitudo passerum suo stercore foedabat omnem ecclesiam, et omnia vasa altaris, ipsum quoque altare. Tunc vir Dei quum maximam inde quotidie iniuriam sustineret, facto crucis signaculo dixit, praecipio vobis in nomine patris et filii et spiritus sancti, ut in ecclesiam amplius nec intretis nec iniuriam faciatis; quod usque in hodiernum diem ita custoditur, ut nullus passer eo intrare audeat. Quodam praeterea tempore Saraceni Sardiniam ingressi sunt; quumque ad Benedicti episcopatum intrassent, episcopum quaerere coeperunt. Tunc vir Dei ante altarium stans, omnipotenti Deo preces fundere coepit. Saraceni vero ecclesiam ingredientes in episcopum inpingebant, et eum videre non poterant. Quotquot autem invenerunt, in captivitatem duxerunt; episcopum vero solum nec videre nec tenere potuerunt.

XLVIII. BENEDICTUS Casinensis presbyter quum ad monasterium Lucense praepositus missus fuisset, quidam eiusdem civitatis nobilis graviter infestare idem coenobium coepit: quendam namque agrum de praedicto loco auferens, suo iuri vindicavit: quumque a venerabili Benedicto saepissime moneretur ut agrum sancto loco redderet, indignatione vir truculentus dixit, si vestrae iustitiae est et non meae ager, ut dicitis, ostendat nunc Deus ante quam de agro isto egrediar ultionem in me et in bestiis meis; statimque oculus eius crepuit, bos vero eius in terram corruens expiravit. Alio quoque tempore quidam nobilis non parvam pecuniam venerabili commendave-

rat Benedicto, quam quum Clericus quidam furto abstulisset, ut vir Domini unde redderet non haberet, sacerdotalibus se vestibus induit, et ut ei Dominus ostendere dignaretur quis pecuniam abstulisset, sacrificium omnipotenti Deo offerre vir reverendissimus coepit. Inter ipsa autem missarum sollemnia venit angelus Domini, et quia clericus qui cum eo ad altarium stabat praedictam pecuniam haberet, monuit.

XLIX. GUAYFERIUS in Casino admirabilis vitae monachus dictus est, qui amore caelestis regni civitatem Salernitanam, e qua oriundus erat, relinquens, Casinum advenit, atque sub sanctae religionis regula omnipotenti Deo strenue servire studuit. Quumque iam remunerationem laborum perennemque coronam aeternus dare ei arbiter decrevisset, languore deprimitur: qui in lectulo iacens extremum vitae spiritum iam ad Dominum recessurus trahebat. Nonnulli vero e fratribus circa lectum ipsius excubantes obitum eius orationum precibus munire coeperunt: quumque in huius mysterio rei diei maximam partem protraxissent, surgens in medium Albericus diaconus per Iesu Christi domini nomen obtestari eundem Guayferium coepit, ut post suum e mundo recessum qualiter susceptus quove in loco deputatus esset, eidem apparens revelare curaret. Quo dicto, praedictus frater ex hoc mundo recessit. Post non multos autem dies idem Guayferius eidem Alberico per visionem apparens, dixit ad eum: in veritate scias me ad vitam transisse aeternam.

L. THEODEMARIUS a Lemania provincia ortus, Agnetisque imperatricis capellanus fuit. Hic igitur quum relictis spretisque saeculi pompis Casinum peteret, venit ad fluvium Viridem, qui secus Ciperanum influit, quem quum transmeasset, famulum eius unda rapiens introrsum trahere coepit: quod ubi advertit, se confestim ibidem in orationem dedit; moxque ut ab oratione surrexit, famulum eius unda foras proiecit. Quum autem Casinum venisset, sanctae conversationis habitum, prout optabat, accepit. Quantae autem religionis quantaeque perfectionis eius vita extiterit, et in quantum Deo placuerit, in sequentibus declarabitur. Quadam vero die quum sacrificium omnipotenti Deo offerret, quidam claudus eleemosynam petens advenit, cuius quum vir Dei manus apprehendisset, confestim sanatus est. Nec hoc silendum videtur, quod post missae celebrationem aqua, quae de eius manibus effluebat, in potum energumenis data, sanabantur. Eodem praeterea tempore episcopus tranensis nepotem suum Phocam nomine, quem immundus acriter vexabat spiritus, ad eum mittere studuit, rogans eum ut ob eius liberationem omnipotenti Deo preces fundere dignaretur: super quem quum orationem fudisset, ab eo diabolum effugavit. Illis porro temporibus Berengarius diaconus andegavensis sui nominis haeresim condidit, dicens sacrificium, quod omnipotenti Deo offertur, esse figuram non veritatem corporis Christi. Hoc ubi romano Pontifici nuntiatum est, dominum Iesum Christum precibus pulsare admonuit, ut populum suo sanguine redemptum ad viam dignaretur reducere veritatis. Igitur dum omnes ob hoc Domini flagitarent clementiam, supradictus Theodemarius hostiam Deo oblaturus accedit; quumque ad consecrationem ventum fuisset, praedictam oblationem in carnem repente mutatam conspicit. Quod quum romano Pontifici nuntiatum fuisset, omnium bonorum reseratori gratias retulit, Berengariumque cum suis sequacibus eidem quum haeresi renuntiare coëgit. Stephanus capuanus a civitate sancti Germani Casinum venisset, ad altare beatae Mariae semper virginis Deum rogaturus perrexit. Ad idem vero altare vir Domini Theodemarius divina mysteria celebraturus accesserat. Ab oratione igitur Stephanus quum surrexisset, ad Theodemarium fortuito oculos vertens, vidit in capite eius coronam auream gemmis ac margaritis ornatam. Ad hanc visionem obstupefactus Oderisium abbatem adiit, eique cuncta quae viderat per ordinem pandit. Alio quoque tempore quum idem vir Dei sacris adstaret altaribus, vir sanctissimus Ebizo cum eo stare consueverat. Sed sicut est natura humana segnis ad Dei servitium, multoties vocatus renuebat. Illo vero die quo sacram hostiam Deo ad beatae Mariae semper virginis altare offerebat, supradictus Ebizo sopore deprimitur, videtque angelum Domini iuxta se stantem et dicentem: Ebizo, animadverte et vide, cui tu servire contemnis, quomodo ei angeli serviunt; et tu ei servitio denegato, Dominus ei angelos mi-

sit. Stabant autem iuxta eum duo angeli, unus a dextris et unus a sinistris. Alio quoque tempore dum idem Theodemarius sacris adstaret altaribus, ac se in cordis contritione domino Iesu Christo mactaret, hi qui ibidem adstabant viderunt super scapulam eius dexteram columbam nivei coloris residentem. Eo praeterea tempore quum omnis tellus aresceret, Oderisius abbas fratres ad se convocans, Deum ac Mariam virginem precibus pulsare admonuit, ut qui in deserto aquam de petra produxit; ipse arenti mundo pluviam daret. Quod quum fratribus placuisset, statuerunt ad beatae Mariae ecclesiam in eodem monte constructam discalciatis pedibus pergere, ibique Dei omnipotentis clementiam supplicare. Adveniente autem die praedicto, Theodemario abbas praecepit ut cum fratribus pergeret, ac pro terrae siccitate sacrificium Deo offerret. Igitur dum ea quae sibi iniuncta fuerant implere satagerat, cogitare intra se coepit nullum in Casino sui similem aut meliorem esse, ideoque sibi utpote meliori ac sanctiori hoc iniunctum fuisse. Peractis igitur litaniis, fratres redierunt Casinum: sed aër in ea qua fuerat serenitate permansit. Vir autem Domini hoc cernens, se in precibus strinxit, triduoque sine intermissione Deum rogare attentius coepit. Mane vero facto surgens, expansis ante altare manibus ait, non deponam ioanus meas osque quo pluviam nobis Dominus dare dignetur. Eodem vero die tanta inundatio pluviae erupit, ut tota affatim terra aqua repleretur. Quodam praeterea tempore quum Neapolim advenisset, quidam vir magnis detentus febribus, oratione eius interveniente, confestim sanatus est. In civitate Saleruitsna quid m rusticus filium claudum habebat, quem ad abbatem ferens de curte, exposcit ut aliquod remedium claudo impertiret. Abbas vero virum Dei Theodemarium ad se venientem aspiciens, puerum ante eum proiecit, eumque rogare coepit ut puerum a terra levaret: vir autem Dei quid in re esset ignarus, extendens manum apprehendit puerum dicens, surge; et confestim surrexit.

LI. EBIZO Casinensis monachus dum in vigilia natalis Domini signum ad inchoandam missam pulsaret, vidit cuiusdam ultramontani comitis animam in iumentorum morem ligatam ad supplicia trahi: quumque ad hanc visionem obtupesceret, diabolus qui eandem animam trahebat ait: animam istam quam cernis in nostra iure venisse, domini tui noveris esse, qui die hordierna mortuus est. Hoc ubi vir Dei audivit, ingemuit; et facto mane veniens in capitulum ait, dominum meum noveritis hesterno die de mundo migrasse: unde vestram sanctitatem enixius flagito, ut pro eo omnipotenti Deo preces fundatis: vidi enim in praeterito die animam eius ligatam a daemonibus ad supplicia trahi. Haec quum oarrasset, una cum fratribus pro eiusdem animae liberatione preces fundere coepit. Nocte vero adveniente diabolus adfuit, eumque ita flagellis cecidit, ut semineceın eum relinqueret, dicens: cur pro eo ausus fuisti Deum rogare, qui suis sceleribus exigentibus in nostra iura devenit? Mansionarii vero currentes, eumque a terra levantes, in lecto posuerunt. Alia etiam nocte adveniente, quum Deum pro eiusdem animae liberatione rogaret, antiquus hostis eum iterum gravissime verberavit. Tertia autem nocte tantis eum diabolus verberibus flagellavit, ut e lecto in terram decideret, eumque mansionarii semineceın invenirent. Igitur quum vir Dei ob eiusdem animae liberationem assidue Deum rogaret, Leo bibliothecarius, qui post ostiensis episcopus factus est, ab eodem viro Dei rogatus divina mysteria celebraturus accessit; quumque ad hostiae confractionem venisset, Ebizo sopore deprimitur; apparuitque ei diabolus dicens: cum tuis psalmis et orationibus animam de potestate mea abstraxisti (1). Tunc vir Dei evigilans Deo gratias retulit, et quod viderat et audierat, fratribus per ordinem paudit. Interea e Gallia Alemanni quum

(1) Diaboli testimonium nemo necessario admittet. Nam quod ipse biographus postea adfirmat, id quoque ex hoc diaboli dicto pendet. Est autem catholicae ecclesiae doctrina, sententiam damnationis post obitum esse irrevocabilem. Quominus tamen hac super re theologice heic disputem, utium ipse mihi feci, qui ad Nicephori Blemmydae a me editam orationem satis disserui de illorum opinione qui Traiani imp. animam precibus S. Gregorii PP. ab inferis liberatam autumarunt.

advenissent, vir Dei de eius obitu inquirens, ea hora illum invenit de mundo migrasse, qua ipse eius animam ad supplicia trahi prospexerat. Quodam praeterea tempore quum ab abbate Venafrum missus fuisset, constituto ei in ecclesia diabolus adfoit, eumque taliter alloqui coepit: abbas vester plus gerit sollicitudinem de rebus transitoriis et caducis quam de monachis, multaque iam mala sustinuisti. Nunc igitur tolle pallium istud, tibique panes exinde eme. Cui vir Dei respondit: pallium tuum tecum sit in perditionem. Tunc statim recessit, et e tecto duos lapides, quibus eum percutere posset, proiecit. Illo vero tempore quo de hac vita erat exiturus, beata Dei genetrix apparuit ei, eumque si in hac vita plus vivere vellet, inquirit. Cui ille non, respondit. Et Dei genitrix: veni ad me. Quo ille audito, extremum halitum fudit.

Ex vita eiusdem Ebizonis composita a Paulo monacho Casinensi.

EBIZO genere teutonicus de provincia, quae Francia teutonica dicitur, quum a parentibus et cognatis primatibusque civitatis suae impediretur longe proficisci, habitumque mutare; nactus horam, quamprimum imperatricem adivit Agnetem, eiusque consilio fultus et auxilio non solum urbem sed et gentem mutavit. Peregrinationis igitur Abrahae factus imitator, a sancto Desiderio monasterii Casinensis abbate susceptus est benigne; sub quo mirum religionis am tore telinmque adiutore, corpus suum hostiam viventem sanctam Deo placentem exhibuit. Cilicium quod asperius invenire poterat ad carnem induebatur: sic intentus erat ieiunio, ut et piscibus, qui coenobitarum cibus dici consuevit, indesinenter abstineret: non ovis vel adipe umquam usus est: carnes a nativitate sua numquam comedit: oleo quoque, nisi communiter cum ceteris, prorsus indiguit. Facta denique dicti liquoris penuria, edictum exivit a patre monasterii, necui daretur oleum, nisi sollemni cunctorum refectione. Sicque factum est ut eluis tantum leguminibus uteretur: et quod erat miserabilius, quando alii melius prandebant, ipse deterius reficiebat. Ante nonam numquam reficiebat exceptis dominicis diebus et sollemnitatibus praecipuis: tribus in hebdomada diebus pane dumtaxat et aqua contentus. Sic totum annum ex ordine continuabat. Rarissime dormiebat, ne praevaricari videretur illud, sine intermissione orate. Ita silentio deditus erat, ut via per integrum annum nisi confessionis causa loqueretur. Aulam beati Bartholomaei, quae basilicae sancti Benedicti lateralis est atque contigua, quasi consistorium fecit, ut incluso corpori negaretur horis et momentis excursus; quam nimirum pro eremo indesinenter habitans, absque mendacio psallebat, ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine. Nullo certe tempore praefata aede exibat, nisi vel obedientiae proventu, vel humanae necessitatis impulsu; ut cum beato Iob dicere videretur, in nidulo meo moriar. Unde factum est ut hominum interdicta frequentia, saepius cum angelis vel daemoniis quam cum hominibus confabularetur. Habuerat enim ante conversionem quendam familiarissimum Adonem nomine, praedivitem qui plurima beneficia sibi conferens, ad extremum quibusdam eum adfecit iniuriis. Satanae vero satellites rati hominem Dei vindicta gaudere, in vigilia natalis Domini oranti ei, et prae nimia lassitudine iam somniculanti visi sunt quodam tripudio laetabundi. Quos ita sciscitatus est: et vos unde iucundamini? At illi, quoniam aiunt, de anima illius modo triumphavimus.

De eodem Ebizone secundum Paulum monachum Casinensem.

Ductus est etiam in spiritu per amoena loca, et nominabantur ei quorum forent diversoria, et inter cetera ostensus est illi quidam deliciosus locus; et audivit, illum Eliae fuisse prophetae. Ad extremum autem poposcerat Deum, ut ante vitae occasum qualibet cruciatus aegritudine mundus exiret ad requiem. Tandem exauditus fistulam accepit in laeva parte mamillae, quae quum a fratribus et a se ipso vix tolerari posset propter incrementum liquoris atque putoris, persuasus est ab eisdem fratribus suis curationis causa pergere ad venafranum episcopum vocabulo Petrum, qui plurimis super eiusmodi morbo remedium contulerat. Ille vero nolens abiicere quod a Deo

petierat, a venerabili presbytero Gregorio tunc temporis edicto vix ire compulsus est. Quumque Venafri aliquot diebus ea de causa moraretur, non tamen opus orationis intermittens, post altare basilicae secreto sedebat. Unde communis piorum inimicus diabolus nec iam livorem sufferens, saxum deiecit; Dominique famulum, reor, opprimere cupiens, sedem ligneam ante quam sedebat comminuit. Illo autem a solitis obsecrationibus nullatenus desistente, iam populo ad divina conveniente, templique parietes constipante, malignus tunc hostis quem prius terrore permovere nequiverat, simulata benignitatis consolatione, in monachi specie Ebizonem humiliter adiens, sic exorsus est: abbas vester plus gerit sollicitudinem de rebus transitoriis et caducis quam de monachis, multaque iam mala sustinuisti. Nunc igitur exuere vili quo indutus es habitu, et decentiore quem adfero, in tanta frequentia plebis amicire: nam et ipse vilibus vestitus erat; honestius pallium monachum, qui videbatur, gerere cernebat. Quem quum diligenter attenderet, qui quasi minister adolescens venerat, nunc virilis aetatis, nunc senilis apparebat; opinor, verbis auctoritas maior inesset. Quumque personam variari prospiceret · illico quid fuerit animadvertens, semet ipsum signo crucis armavit, et mox imago illa disparuit: qua evanescente, tanto tremore tota concussa est aulae machina, ut populus et clerus qui interfuerat, fugiens exiret: pontifex etiam in episcopio prope commanens terrae motu stupefactus, aliosque palari prospectans, coepit quaerere sollicite quidnam de servo Dei factum esset, eumque ad se adduci praecepit. Quem percontatus an terrae motum sensisset, quid homo Dei vidisset, et quod gestum fuerat penitus agnovit. Hic autem praesul ob dignae religionis meritum, Deo revelante, comperit eum impotem curari, et hominem in proximo exturum. Quapropter eum ad Casinense coenobium remisit, ut in suo monasterio saeculo vale faceret. Ubi dum persisteret divinam flagitans opitulationem, cernit per visum prolixam atque iucundam dealbatorum processionem: ad quorum accedens extremum, sciscitatus est qui essent, et quare celebrarent illam? Cui respondit quem consuluit: non expedit te nunc id doceri, quia de vicino es cogniturus. Inter haec abbas eiusdem loci Desiderius visitandi gratia ad eum accedens ait: quomodo te habes, frater? Et Ebizo: orationibus, pater, intervenientibus vestris, bene. Tunc hortatus est eum, ut pro alleviatione aegritudinis piscem saltem comederet. Et Ebizo: non, pater, non: absit ut abstinentiam quam per totum vitae meae tempus servavi, nunc in mortis articulo constitutus perdam: iam enim Domini mei praesentabor conspectibus; iam cupio dissolvi et esse cum eo. Tunc Desiderius ad fratres conversus ait: iste homo lapideus est, non carneus, excellit hominum mensuram. Non enim pisces, non carnem, non caseum, non ova, nec ullum prorsus pinguedinis blandimentum in tota vita sua, ut ante iam dictum est, vir beatus comedit. O virum inter summos et antiquis patres non immerito connumerandum, qui nec in die mortis abstinentiae voluit relaxare rigorem! Dum igitur vir Dei in eadem infirmitate depressus iaceret, matrona quaedam statura admirabilis, venustate inaestimabilis, persona imperialis, fit ei obviam, et talibus dolorante angustiantem affatur eloquiis: vide ne deficias, sed confortare, meque opperire quoad redeam: videbatur enim esse in itinere. At ille quonam, inquit, pacto te praestolor, domina, qui prae ulceris aestu vix in me maneo? Tum illa, quae ipsi putabatur beata esse Maria, hoc aestuanti dedit responsum · sustine, ait, viriliter, quia per ardorem hunc momentaneum evasurus es illum intolerabilem atque perpetuum. Hac igitur consolatione suscepta stetit hilarior, et post pusillum diem clausit extremum ·XII· kal. novembris, tertio decimo die postquam Venafro redierat. Sepultus vero est iuxta ecclesiam sancti Benedicti. Postea vero Desiderius ex eodem loco corpus eius elevans, in capite graduum, qui pergunt ad refectorium, cum aliis multis locavit. Idem Paulus ait. Ebizo comparabilis est beato Gregorio, qui de suppliciis Traianum eripuit. Sane non est difficilius ethnico subvenire quam publicano. Institor enim Ado fuerat, nec absque gravi culpa nundinas frequentare poterat: et habemus scripturas satis authenticas, quae publicanos deteriores ethnicis asseverant. Non ergo mirabilius est Traianum quam Adonem liberasse:

quamquam in hoc distant, quod hic aqua et spiritu regeneratus regnum Dei credatur ingressus, ille solum de poenis ereptus.

LII. RAIDERISIUS Casinensis monachus dum quodam tempore ad sancti Apollinaris castrum venisset, maximaque siccitas esset, habitatores loci ubi eum illuc venisse agnoverunt, rogabant ut pro siccitate preces Domino fundere dignaretur. Vir autem Domini eorum humiliter postulationibus obediens, ad vivificam aram omnipotenti Deo sacrificium oblaturus accessit. Adfuit itaque confestim clementia Dei; nam statim inundatio pluviae erupit.

LIII. ALMANNUS in Casino monachus fuit, cuius profecto quantum Deo placuerit vita, exitus eius patefecit. Hic igitur e Melphia, de qua ortus fuerat, ad hoc coenobium veniens districtissime satis et continentissime vixit: omnibus enim noctibus iuxta ecclesiam sancti Andreae apostoli nudus permanens, duris scoparum ictibus psalmos canens, semet ipsum affligere non desinebat. Gerardi autem abbatis tempore, quum idem vir nocturno tempore esset defunctus, Nicolaus cellerarius extra monasterium foris manens, elevatis oculis vidit tectum coenobii desuper apertum, et ex eo maximum globum ignis egredi, atque in caeli alta deferri. Statim vero ad monasterium nuntium mittens, invenit ea hora fuisse Almanni obitum, qua globum ignis de monasterio egredi caelique alta petere vidit. Hanc autem visionem sicut cellerarius foris, ita et Carbo in monasterio positus conspexit. Hic vero, quamdiu vixit, tribus diebus in hebdomade panem comedit et aquam bibit, et numquam nisi certa solvit sollemnitate ieiunium.

LIV. FORTUNATUS Hispania provincia oriundus, ad corpus beati Benedicti causa religiosius conversandi Casinum veniens, ex concessione abbatis Richerii iuxta ecclesiam sancti Matthaei apostoli sibi habitaculum construens, omnipotenti Deo servire illic studiosius coepit. Quadam vero die ad Casinense coenobium veniens, ingressus ecclesiam, obvius ei ante crucem maiorem quidam vir factus est, quem immundus spiritus gravissime vexabat: quumque ante eum venisset, rabido ore, micantibus oculis, in eum impetum fecit. Cui vir Domini manus suas extendens ait: crudelissime latro, si hominum carnibus delectaris, hos digitos devora (quos enim homines tenebat, scindebat; alios autem dentibus vorabat.) Quum haec dixisset Fortunatus presbyter, immundus spiritus ab eo egrediens, ecclesiam fumo foetoreque replevit. Iuxta ecclesiam vero sancti Matthaei daemoniacum ad se venientem oratione curavit.

LV. ALPHANUS Casinensis monachus ante quam vita decederet vidit per visum scalam erectam ire de lectuli sui sede usque ad caelum. Quumque hac visione stuperet attonitus, quidam albati iuxta eum stantes dixerunt, ascende per scalam sursum: quumque iam ad summitatem scalae pervenisset, vidit duos gradus in ea deesse: statimque ab albatis sursum raptus, in domum ingenti lumine coruscantem inducitur. Evigilans autem quum haec fratribus retulisset, suum obitum reseravit, ac post non multos dies diem clausit extremum. Huius autem vita talis extitit: in quadragesima numquam in lecto quievit, bis in hebdomada comedit, psalmi ex ore illius non recessere.

LVI. IOHANNES sancti Romualdi discipulus, atque ab eo cum Olibano ad quendam locum inhabitandum directus, per aliquot annos ibi remoratus est. Inde igitur recedens Hierosolymam petiit. Quumque de Casinensi monte descendens iam ad campestria pervenisset, subito equus socii eius furioso rotatus impetu Iohannis tibiam calce ferrato percutiens fregit: qui ad terram nimio dolore prostratus, reduci se Casinum fecit, atque prope monasterium cellam aedificans, in ea per triginta annos in sancta conversatione permansit. Fuit namque in charitate, abstinentia ac humilitate summus ac praecipuus, ita ut nec intra claustrum quisquam sciret quomodo ieiunaret. Inter reliqua autem virtutum eius dona ita exosum habebat detractionis [vitium], quatinus mox ut quis ad detrahendum os aperiret, mox velut sagitta rigore lapidis repercussa, in dirigentem protinus redundaret. Post vero eius obitum nonnulla per eum ibi divinitus sunt facta miracula.

LVII. PETRUS Casinensis abbas fuit maximae religionis, qui pondus regiminis arduum sibi esse perspiciens, abbatia relicta, ad vallem lucis

se contulit, ibique cum fratribus religiose vivere coepit. Quadam autem die dum idem venerabilis pater una cum fratribus ad fruges incidendas esset egressus, serenitasque maxima esset, subito caelum densatur nubibus, tonitrua concrepant, coruscationesque maximae micare coeperunt. Quod ubi vir Dei advertit, fratribus praecepit dicens, nullus vestrum agrum deserat, coeptoque insistite operi, ut hodie illud valeatis explere. Haec quum dixisset, sese cum lacrimis ibidem in orationem dedit. Mirabilis Deus in sanctis suis, qui glorificantes se, suaque praecepta servantes, tam velociter exaudire dignatur! Nam quum pluvia magna descendisset, in agro in quo idem vir Domini cum fratribus stabat nec una quidem gutta pluviae cecidit. Ex vicino vero monte, qui eidem monasterio imminet, saepissime lupus venire, eique oves auferre consueverat. Quadam autem die lupus venit ex more, ovem abstulit, et recessit. Quod quum viro Dei nuntiatum fuisset, ecclesiam ingressus, sese cum lacrimis in orationem dedit. Qua completa, ad portam egressus, reperit lupum ovem in ore tenentem, et ad se deducentem: quumque ad eum lupus venisset, ovem ante pedes eius posuit, statimque recessit. Alio autem tempore latrones, eiusdem monasterii hortum ingressi sunt, ac olera furari nitebantur. Quumque iam onusti oleribus essent, tentantes fugere, per totam noctem in circuitu deambulaverunt, foras egredi non valentes. Qui sollicitius unde, qui essent, vel cur venissent, inquisiti, protinus sui sceleris furtum pandentes saluti sunt. Qui autem illos invenerat, fuit horti custos frater quidam, qui mane facto reperit eos deambulantes, et aditum nullatenus invenientes.

LVIII. STEPHANUS Casinensis abbas et sedis apostolicae pontifex, regali ortus prosapia, a pueritia liberalibus litteris eruditus ac nimis eloquentissimus, Leonis papae cancellarius fuit; a quo Constantinopolim directus, patriarcham eiusdem urbis deposuit, ac anathematis vinculo innodavit. Inde igitur rediens, in Casino monachus factus, ac post non multum abbas electus, Romam consecrationis suae gratia pergens, a Victore papa consecratus est. Sed ante quam reverteretur, romanus Pontifex obiit. Confestim a senatu, clero, populoque romano est raptus, et in apostolica sede consecratus: ubi indigladiabiliter pro (1) coniugiis clericorum, sacerdotum, nec non consanguineorum pugnavit, ac omnes clericos Romae, qui post interdictum papae Leonis incontinentes extiterant, de conventu clericorum et choro ecclesiae praecepit exire. Quidam presbyter iuxta canonicam beatae Caeciliae trans Tiberim habitabat, qui nec feminam acquiescebat abiicere, nec umquam poterat haec statuta nisi vana et frivola iudicare. Quadam autem die dum incolumis vegetus et sanus existeret, vespertinis horis ad quiescendum se in lecto composuit: sed repentina divinae ultionis animadversione percussus, subitanea morte mortuus est. Falsorum monachorum et sanctimonialium vitam idem Pontifex reprehendit et correxit: simoniacam haeresim in aeternum damnavit: atque post haec in civitate Florentia obiit; ad cuius sepulchrum suis pro meritis plurima Christus signa ostendit.

LIX. VICTOR in ipsis suis nuptiis sponsam suam relinquens, eremum petiit; ac deinde Casinum veniens, consecrationem monastici ordinis ibidem accepit. Quodam vero tempore quiescente eo, apparuit ei visio non contemnenda. Cernebat namque se in turre, quae iuxta capitulum erat consistere, in qua nimirum pater Benedictus videbatur sede decentissima residere. Quumque ad hanc visionem pavefactus stuperet, et accedere propius nequaquam praesumeret, beatus pater Benedictus ei hilariter innuebat, eumque iuxta se sedere manu porrecta iubebat. Hanc visionem rei probavit eventus, abbas dehinc factus totum monasterium sicut nunc cernitur renovavit. Praeterea quum Casinense coenobium saepissime attereretur a fulmine, quadam nocte sanctus pater Benedictus ei apparens, nihil aliud quam diabolicas insidias et antiquam pro loco ipso invidiam esse perdocuit. Defuncto interea sedis apostolicae Pontifice, ab omni clero et populo Pontifex ordinatus est. Sepultus vero est in Casino in absida capituli.

LX. RANDISIUS in Casino sub Desiderio abbate monachus fuit; cuius qualis quantaque

(1) Pro *heic significat* contra, *ut mox sub finem vitae Victoris. Alias apud infimi aevi scriptores significat* causa.

vita fuerit, in ipso mortis articulo est dignatus Dominus ostendere. Nam quum expleto vivendi tempore, mortis debitum persolveret, coeperunt fratres sicut mos est eius animam omnipotenti Domino commendare. Quum iam extremum halitum traheret, ad fratres conversus ait: tacete, tacete; numquid non auditis quantae resonent laudes in caelo? numquid pueros qui mihi laudes decantant non videtis? nam vestimenta vultusque eorum sunt ut nix. Unde per Deum obnixe vos postulo, ut sileatis, mihique tam suavissimum sonum audire sinatis. Haec dum diceret, spiritum emisit. Sepultus vero est iuxta ecclesiam beati Stephani et sancti confessoris Christi Martini. Hic quamdiu vixit, ab omnibus admirabilis atque sanctissimus habebatur.

LXI. SERGIUS Casinensis monachus, natione amalphitanus, dum Gerardi abbatis in tempore vita decederet, Gregorium eiusdem coenobii presbyterum rogavit, ut eum non dimitteret. Qui postulationi eius obtemperans, cum eo permansit. Quum vero vitae eius appropinquasset iam ultima hora, respiciens vidit beatissimam Dei genitricem Mariam ad se venientem; illicoque manus sursus erigens clamare coepit, domina mea. Quem interrogantes quid videret, ait: numquidnam beatissimam virginem Mariam non videtis? hic nempe est. Haec quum dixisset, animam exhalavit.

LXII. AZO Casinensis decanus Campania provincia oriundus fuit; qui dum a Gerardo abbate in Sardiniam missus fuisset, dum rediret ad monasterium, captus a Saracenis apud Africam provinciam ductus in captivitatem est. Hic igitur quum in eadem provincia defunctus fuisset, corpus eius in ecclesia beatae Mariae ante altare sepultum est. Factum est autem intempestae noctis silentio, Saraceni inde transeuntes, dum luna radios suos emitteret, viderunt eum foris iuxta ostium sedentem librumque in manu tenentem. Tunc illi obstupefacti alios Saracenos vocare coeperunt, dicentes: currite citius, currite; huc properare studete: nam presbyterum Christianorum qui in isto mense mortuus est, ante ostium ecclesiae sedentem conspicimus. Hoc igitur reliqui audientes, portas civitatis egressi, illuc tendere festinarunt; quumque ad eum appropinquassent, vir Domini intra limen ostiumque basilicae ingressus, nusquam comparuit. Quodam vero die mansionarius ingressus ecclesiam reperit lampadem, quae super sepulchrum aius pendebat, ardentem. Tunc iratus puerum qui ei iugiter in ecclesia serviebat vocavit, eique dixit, cur lampadem accensam reliquisti? Ad quem puer respondit: ego quando ecclesiam clausi, lucernas omnes extinxi; istam autem quis accenderit, ignoro. Animadvertens autem ille quod in re erat, lampadem extinxit, et ecclesiam clausit. Alio quoque die ingressus ecclesiam, lampadem ardentem reperit. Hoc igitur dum saepius fieret, nuntiatum est regi Saracenorum, qui in re insolita admiratus, et putans a Christianis ista confingi, destinat Saracenos qui lampadem extinguerent, oleumque exinde traherent: quod quum factum fuisset, alio die ecclesiam ingressi, lampadem lucentem atque aquam in morem olei ardentem invenerunt: qui praepete cursu inde egredientes, ad regem venerunt, et cuncta quae viderant per ordinem pandunt. Tunc rex lampadem extingui, at Saracenos die ac nocte ecclesiam custodire praecepit, nequis Christianorum eandem intraret. Nocte itaque adveniente, Saraceni qui ecclesiam observabant, oculos in caelum levantes, stellam de caelo super lampadem ecclesiae radiantem aspiciunt. Tunc obstupefacti fores ecclesiae reserant, lampademque lucentem aspiciunt. Cursu celeri ad regis tendentes palatium, seriatim quae viderant nunciare coeperunt. Rex vero suorum talia quum audisset ab ore, dictis derogans fidem, lampadem extingui, et ecclesiam sicut prius custodire praecepit; assurgensque ad domum Califae, quae ecclesiae imminebat, perrexit: quumque iam nox advenisset, elevatis in caelum oculis vidit stellam super lampadem ecclesiae radiantem, eandemque radio suo accendentem. Statim igitur Saracenos ad ecclesiam mittens, lampadem ardentem reversi nuntiaverunt. Tunc rex proponit edictum ut Christiani liberam in ecclesiam ingrediendi facultatem haberent.

LXIII. LEO quidam amalphitanus in Casino monachus fuit, qui ad finem vitae non leviter aegrotans, se custodientibus fratribus aquam petiit: quorum unus quum aliquantulum in hauriendo moratus bibendam aquam ei obtulisset,

ille renuit dicens, nolo hanc aquam, quoniam Odilo cluniacensis abbas statim huc veniens aquam mihi detulit, meque sitientem refecit. Quod audientes illi mirati sunt: statimque praedictus frater e mundo recessit.

LXIV. IOHANNES caietanus Casinensis monachus fuit, qui quum apud domum infirmorum in extremo vitae positus iaceret, Georgius mansionarius in secretario dormiens vidit magnam fratrum multitudinem quasi ad processionem euntium ab orientali parte huc ingredi monasterium: eoque ad hanc visionem mirante, unus dixit, ad suscipiendum Iohannem venimus. Hoc dicto, statim signum, quo fratrum obitus significatur, sonuit, festinansque invenit eum mortuum: intellexitque magni meriti Iohannem fuisse, ad cuius animam suscipiendam illa sanctorum congregatio advenisset.

LXV. PETRUS, cui cucullites cognomen fuit, quum gratia conversionis Casinum venisset, ad ecclesiam sancti Severi quae in huius latere montis sita est, ei diabolus obviam factus est dicens: tu quidem mea iura relinquens, ad Benedictum confugium facis: ego autem corpus tuum, sicut quondam Iob, a Deo expetens flagellandum accepi, licet animam sub tanto patrono constitutam nullo modo laedere praevaleam; quod postea liquido patuit. Nam ille huc veniens, usque in vitae terminum religiosissime vixit; corpus tamen eius crebris atque validis cruciatibus est semper depressum.

LXVI. RANDISIUS Casinensis monachus ac Burrelli comitis filius, qui per triginta annos pistrinum tenuit, quum hydropicus factus fuisset, ad mortem veniens vidit sanctum protomartyrem Stephanum cum innumerabili turba ad se venientem. Quod quum narrasset, confestim spiritum reddidit.

LXVII. IOHANNES Casinensis presbyter, natione ravennas, qualis quantusque fuerit, quantumque in vita valeret ipsius apud omnipotentem Deum oratio, est dignatus Dominus ostendere. Nam Gerardi abbatis temporibus dum Sennes capuanae ecclesiae archiepiscopus defunctus fuisset, idem archiepiscopus praedicto abbati per visionem apparuit. Cui abbas ait: quomodo te habes? Et ille, diu est quod in igne crucior; sed si Iohanni de Ravenna, et Iohanni de sancto Angelo praeceperis ut pro me redemptori omnium hostiam offerant, ab his cruciatibus liberabor.

LXVIII. BENEDICTUS sub Desiderio abbate Casinensis monachus, Capuanique coenobii praepositus veniens, quam creber fuerit in psalmodiis, quam studiosus in eleemosynis, quam sedulus in orationibus, quamque pervigil in vigiliis, luce clarius patet. Hic apud capuanum monasterium infirmitate tactus, defunctus est ·xi· kal. iulii. Sepultus vero est ante ostium eiusdem monasterii ad dexteram partem introeuntibus ecclesiam, ubi usque hodie mira virtus divina patrare non cessat.

F I N I S.

AUGUSTINI VALERII

CARDINALIS ET EPISCOPI VERONENSIS
DE OCCUPATIONIBUS
DIACONO S. R. E. CARDINALE DIGNIS
AD
FEDERICUM CARDINALEM BORROMAEUM. *

PROLOGUS.

1. ANNO millesimo quingentesimo sexagesimo primo a virginis partu Pius IV. romanus pontifex eum Cardinalium collegium augendum decrevisset, decem et octo Cardinales creavit lectissimos viros pietate, doctrina, nobilitate insignes; in quorum numerum senatores duos ex veneto senatu, quem scholam iudicii aliqui nominaverunt, adlegit, Marcum Antonium Amulium, et Bernardum Navagerium avunculum meum. Illo ipso anno cum avunculo meo Cardinale Romam veni; Carolum Cardinalem Borromaeum, Pii pontificis sororis filium, gratia et auctoritate apud avunculum pollentem inveni; eius iudicio et opera utebatur maxime in reipublicae christianae gubernatione Pontifex; ad illum regum et principum legati, episcopi, et omnium generum homines, qui negotia Romae tractabant, confluebant. Ille diligentia admirabili, et summa fide neminem decipiens, neminem inanibus pollicitationibus lactans, avunculo, imo potius sanctae ecclesiae Dei, operam suam navabat. Et in tot tamque variis negotiis aliquas sibi horas constituerat, quibus et liberalem perciperet voluptatem, et in optimis artibus, dicendi in primis facultate, proficeret. Ut inertiam, quam maxime detestatus semper est, omnibus horis, momentis potius dierum omnium fugeret, academiam instituit, in quam eum et ipse admissus fuerim, occa- Laus S. Caroli Borromaei.

* De hoc aureo opusculo tamquam adhuc inedito loquuntur Tiraboschius histor. litt. ital. ed. Rom. T. VII. part. I. p. 350; Iac. Morellius codd. nanian. p. 148; Ponzettus praef. ad Augustini Valerii commentarium de consol. Eccl. p. LXV; Ventura in vita eiusdem A. Valerii apud Calogerà T. XXV. p. 112, ex eoque Ughellius I. S. T. V. p. 996; denique ipse A. Valerius scriptum hoc suum commemorat in opella de cautione adhibenda in edendis libris p. 38. Ego vero hoc opusculum in vaticano codice lectum statim adamavi, et si typis committerem, me laudabiliter prorsus, ut Morellius ait, facturum putavi. Neque me Valerii tantummodo auctoritas impulit ad editionem, verum etiam Federici Card. Borromaei nomen, cui opus insigni cum laude inscribitur. Ego enim ambrosianam bibliothecam Mediolani a Federico munifice conditam, studiorum meorum altricem habuisse glorior, eiusque fundatori hanc gratiam referre gestio.

sionem sum nactus conciliandae mihi benevolentiae optimi et praestantissimi Cardinalis, cuius consuetudinis memoria, et plurimorum in me collatorum beneficiorum recordatione ita recreor, ut nihil mihi in mea vita iucundius, nihil honorificentius accidisse profitear. Qui academiae illius scopus fuerit, attigi in eo libello, quem de optimi Cardinalis vita scripsi. Illius academiae hoc loco brevis est facta mentio, ut initium dicam amicitiae, sive coniunctionis potius, dicam rectius, studii mei et observantiae erga gentilem tuum Cardinalem commemorarem. Ille ingenium meum, qualecumque sit, amare, laudare saepe, mea scripta libenter legere, disceptationibus delectari meis, et saepe ad prandium et ad coenam vocare, hortari semper ad studia optimarum artium, de me saepe sermonem habere apud avunculum Pontificem, mea studia, mea scripta laudare avunculo meo Cardinali, rationibus omnibus commodis et dignitati meae consulere: faciebat haec sponte naturae bonitate, nulla excellenti mea virtute adductus, Deo bonorum omnium largitore ita disponente.

Occasio scribendi huius libri.

2. Hortatore ipso avunculus meus morti proximus me Veronae episcopum in sui locum a Pio IV. creari curaverat, laicum hominem Venetiis senatus iussu nobiles venetos philosophiam publice docentem. De me in consistorio ad Pontificem retulit Borromaeus; non minimis laudibus me incredibiliter ad onus pastorale suscipiendum, et ad omnes labores subeundos, ut populo veronensi consulerem, veluti stimulis incitaverat. Episcopatus mei tempore non semel Cardinalis amplissimus, atque idem humanissimus in aedes episcopales ecclesiae veronensis divertit, conciones etiam habuit ad populum meum pastorali et paterna quadam dicendi forma. Primo episcopatus mei anno, dum Tridentum proficisceretur, Veronae fuit: aderat Caesar Comes pater tuus eius patruus, quem mirifico amore diligebat, et qui multa benevoli erga me animi illis diebus indicia dederat. Ego Mediolanum sexies ad Cardinalem optimum de me optime meritum, ad italorum pastorum (omnium potius dixerim pastorum) stimulum accessi: ad pascendum meum gregem, ad nonnullas etiam lucubrationes faciendas ab eodem Cardinale sum excitatus. Postrema mea profectione Mediolanum, cum me Cardinalem tota illa civitas humanitate incredibili excepisset, magnis etiam honoribus affecisset; aderas tu, de quo insolita quadam, et ut ita dicam, teneriore dicendi forma Cardinalis mecum est loquutus: paterno, inquit, amore velim, ut hunc iuvenem prosequaris, hortationibus et rationibus omnibus vehementer cupio iuves eius studia, et progressus in viis Domini, in quibus, ni fallor, iam ambulat: quorum verborum vim, ut vere dicam, tunc minime perpenderam, illorum tamen, ubi primum de eius morte nuntium accepi, sum recordatus, et saepe non recordari magno cum animi mei sensu non possum: mihi enim visus est

vir optimus et mei amantissimus Cardinalis postulasse a me, ut pro maximis suis in me beneficiis hac una in re rependerem gratiam, ut tibi paterna officia praestarem, adolescentiam tuam iam senex iuvarem quibuscunque rebus possem. Tua te satis virtus amabilem reddiderat et mihi et omnibus, admirabilis in primis modestia, christiana potius humilitas, ita ut sine ulla etiam Cardinalis monitione te ob ingenii praestantiam, nobilitatem generis, varias et illustres virtutes, quibus excellis, non mirifice diligere non potuissem; tamen vox viri Dei, cui omnia debebam, maximam, ut par est, vim habuit, ut te multo vehementius amarem. Cogitavi enim diu ac multum, si qua ratione officiis quibusdam in te meis grati animi significationem aliquam erga Carolum Cardinalem Borromaeum possem ostendere, et amicissimo homini obtemperare in re tam honesta, de gentilis et patruelis sui virtute promovenda, et honoribus et commodis procurandis. Vitae tuae ratio, et bonorum omnium de te concepta et iam confirmata opinio nullum hortationibus meis relinquit locum, Sixti V. romani pontificis sapientia, et de Caroli Cardinalis sanctitate et praestantibus virtutibus iudicium, qui optime te eiusdem sanctitatis et virtutum heredem agnoscit; Cardinalium item plurimorum pietate, doctrina et auctoritate praestantium de tuis virtutibus facta testimonia, mihi earundem testificandarum summo Pontifici, et aliis occasionem ademerunt.

3. Quid ergo agerem? Nihil facerem in gratiam Borromaei Cardinalis, quem omnes sciunt causa mea fecisse omnia, et magna et illustria in me contulisse beneficia? Conandum mihi esse aliquid censui, meam caniciem non dedecere eniti aliquid, quod iuventuti tuae possit prodesse. Quamquam in te iuvene senile nescio quid apparet, nec meis nec cuiusquam fortasse consiliis indigeas; faciam tamen quod decet, quod debeo, quod amor in te meus flagitat, quod Cardinalis patruelis tuus, qui in caelis, credo, habitat, flagitasse visus est. Leges libenter, certo scio, quae scripsero; novi enim modestiam tuam, et quam libenter scriptiones meas, qualescumque sint, soleas legere. Scribam amanter, scribam breviter, scribam paterne. Quicunque scriptionem hanc, aut libellum legerint, huiusmodi verbum hoc saeculo fortasse inusitatum quaeso libenter admittant et concedant; me parere potius viro, quem sanctum existimo, ita iubenti, quam huius saeculi regulis, quae huiusmodi nomina amici, fratris, patris in sermonibus, atque etiam in scriptionibus videntur inter Cardinales respuere: ita enim se res habet; quamquam ego maxime omnium tibi tuisque servire semper studebo, eoque nomine me ipse secundum morem ad te scribens subscribam, et vere; in hac ipsa tamen scriptione, in hoc libello, quod perpetuum amoris mei in te, et totam Borromaeam familiam monumentum esse volui, tu, et omnes, quicumque aliquando hunc libellum legerint (cu- Propositio operis.

pio autem esse paucissimos, aut nullos) permittant non solum uti patris nomine, sed prae me ferre etiam personam patris.

INCIPIT TRACTATUS.

Otium vitandum.

4. Cum tritae illae sint sententiae, hominem esse animal ratione praeditum, natum esse ad agendum et contemplandum; vitam hanc nostram esse peregrinationem, exilium, navigationem quandam tendentem ad portum, pugnam sive militiam; multas ob causas nihil est homine indignius inertia. Perennis animarum nostrarum hostis cum nullo genere hominum versatur libentius, quam cum otiosis. Viro nobili bene educato, in alto in primis loco constituto nihil certe est turpius, quam otio marcescere, quam oblitum se hominem natum, christianum, Dei gratia renatum ad aeternam beatitudinem possidendam, ad caelestem patriam consequendam; immemorem se militare sub rege Christo, cuius vita ad imitandum nobis proposita est, cuiusque sermones omnes plenissimi salutis, atque utilitatis sunt, nedum ex eius ore verbum ullum otiosum unquam prodierit: parum considerantem sibi in militanti ecclesia constitutam esse pugnam contra inimicos acerrimos, otio indulgere, sic vivere, ut eius vita aliis minime prosit, et nihil aliud videatur mente concipere, nisi ea quae nostris exposita sint oculis. Quamobrem omnium malorum originem otium, malitiae magistrum, honorum ingeniorum corruptorem, miseriarum veluti artificem, rectae disciplinae perturbatorem, ecclesiae Dei, imo potius totius orbis, pestem vere dixerimus. Inertia homo camelo, elephante, ape, formica ignobiliorem se efficit, de quorum animalium et aliorum industria elegantem librum scripsit Plutarchus. In hoc igitur unusquisque se ostendit hominem, cum se ipse occupat, cum ingenium exercet suum. Occupari autem est exerceri: qua in significatione sumuntur illa verba, et exercebor in mirabilibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor. Occupari dum in huius vitae peregrinatione sumus, est hominis; utiliter et liberaliter occupari, est ingenui et nobilis hominis; occupari autem ad usum christianae reipublicae, ad aliorum hominum commoda, pii et excellentis hominis est. Decet igitur maxime Cardinalem esse occupatum.

Precatio ad Deum frequentanda.

5. Sancta et digna Cardinale occupatio est saepe loqui cum Deo, audire et observare voces Dei. Admittit Deus nos ad colloquium cum oramus: delectatur etiam nostris colloquiis, quia ea ratione eius maiestatem agnoscimus, debitum ei honorem tribuimus, inopiam nostram, ne dicam miseriam, cum mortales rebus omnibus indigeamus, fatemur; ea ratione pugnamus cum Satana, et cum domesticis inimicis; vincimus quamvis omnipotentem, quia precibus nostris libenter vincitur clemen-

tissimus ille caeli et terrae Dominus. Et canonicas horas persolventes cum Deo loquimur, et Deum audimus; quae recitatio tantopere est necessaria, ut per excellentiam quandam (nimirum quia res est huiusmodi, ut ab omnibus ecclesiasticis praestari debeat) officium nominetur. Praeter canonicas horas nobis, qui in ecclesiastica hierarchia militamus, constitutas, orandi praecepta multa a piis viris excogitata, et monumentis litterarum tradita sunt. Et Carolus patruelis tuus Cardinalis orandi sive meditandi methodum quandam synopsibus quibusdam excogitabat: locos plurimos ad rem illam pertinentes unum in locum collegerat. Sanctorum patrum graecorum et latinorum de oratione et meditatione pleni sunt libri: sancti Iohannis Chrysostomi de orando Deum, S. Basilii de gratiis agendis Deo, S. Augustini confessiones, meditationes, soliloquia, item S. Bernardi meditationes. Nostra aetate, ut omittamus quamplurimos, Ludovici Granatae opuscula cum sanctorum hominum, quos nominavi, scriptis conferenda, notiora fortasse tibi erunt, quam mihi, cum optimi senis patris Philippi Nerii, qui multos in Christo genuit, et piorum illorum hominum, qui lucrandis animabus Christo maxime student, consuetudine utaris. Mendicum a rege eleemosynam non petere, stultitiae, insaniae potius, indicium est; ita hominem rebus omnibus indigentem (omnia enim quae habemus, Dei munera sunt, Dei eleemosynae iure appellandae) nihil petere a Deo, delirium videtur esse: phrenesis maxima, si clericus, si sacerdos, si episcopus, si Cardinalis tot rebus, tot adiumentis ad munus suum obeundum pertinentibus indigens, Dei auxilium numquam imploret; servus domini sui quasi oblitus colloquium domini, aspectum etiam ipsius aversetur et fugiat. Huiusmodi occupatione tantopere delectati sunt Moyses, David, et quamplurimi viri Dei, ut quamvis innumerabiles populos mira sapientia gubernaverint, septies tamen in die cum Deo loqueretur David, saepissime autem mitissimus illa omnium, qui umquam fuerunt, Moyses. Estque tanta divinae huius occupationis praestantia, ut negotiis impedimentum nullum afferat: illis potius, qui cum Deo saepe loquuntur, tanta iudicii excellentia (ut uno verbo dicam) spiritus ille disponens omnia suaviter, spiritus inquam consilii divinitus concedatur, ut boni veluti oeconomi temporis facti, ne minimum quidem temporis momentum perdant: unius horae spatio plura negotia ipsi expediant, quam ceteri unius diei.

Verbum Dei audiendum.

6. Et laudanda maxime occupatio est audire Deum. De se ipso David loquens ita dicebat, audiam quid loquatur in me dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Deus loquitur nobis in sacris libris, loquitur in concionibus, loquitur bonis inspirationibus, loquitur saepe per Vicarium suum. Ad nos igitur maxime pertinet loquentem Dominum audire, interesse concionibus, ex illis excerpere semper aliquid, et memoriae mandare, cum

praesertim Romam in hoc nobilissimum orbis theatrum praestantissimi soleant confluere homines. De illo vero sermone, sive concione, quae praesente summo Pontifice haberi consuevit, non dicam plura, nisi quod sermonibus singulis huiusmodi interesse ad diaconum Cardinalem maxime pertinere iure quispiam dixerit, nec piam illam occupationem esse intermittendam nisi iustissimis de causis. Nec in mensa decet Cardinalem aliqua ratione non occupari, praebentem aures lectioni sacrorum librorum, aut doctorum ecclesiae; qui laudabilis mos si servetur, non multorum annorum spatio etiam in mensa se multa didicisse cognoscet. Hi autem potissimum libri in mensa audiendi sunt, qui utilitatem iucundam afferunt, et ad mores informandos maxime pertinent, ut officia S. Ambrosii, libri de sacerdotio S. Chrysostomi, epistolae sanctorum doctorum, historia ecclesiastica, vitae sanctorum patrum, et moralia S. Gregorii, stimulum etiam pastorum quem semper in manibus habebat Carolus, in quo multa reperiuntur, quae ad Cardinalem valde pertinent. Decet Cardinalem maxime quotidie legere aliquid in veteri et novo testamento; verba enim illa sacra voces sunt Dei, quemadmodum spiritus Dei voces sunt illae, quae in sancto missae sacrificio a sacerdotibus proferuntur. Magna igitur devotione et attentione sacris oportet interesse; et cogitare, meo quidem iudicio, ea ratione convenit maxime diacono Cardinali, aliquando futurum, ut et ipse sacrificium illud praestantissimum sacerdos factus offerat Deo: quo sacrosancto ministerio, quo incredibiliter caelestis ille pater delectatur Deus, quo gaudent angeli, quo incredibiliter anima reficitur nostra, et a variis praeservatur peccatis, quo recreantur etiam mortui in purgatorio degentes, cum tua tulerit aetas, diu carere non poteris sub disciplina Caroli institutus, qui quotidianum sacrificium adamabat, et incredibili devotione offerebat.

Lectioni vacandum.

7. Legere aliquid oportere singulis diebus omnino arbitror: quicumque id fieri minime posse dicit, ut ego quidem existimo fallitur. Et M. Cato, et Scipio, et Cicero, et Hortensius, et Caesar etiam occupatissimi homines et legere poterant, et scribere praeclara multa, ut litterarum monumenta testantur. Et S. Ambrosius, et S. Augustinus, S. Leo, et S. Gregorius, quamvis etiam privatorum saepe causas audirent, libris quamplurimis eruditis valde et admodum utilibus ecclesiam Dei ornarunt; et S. Antoninus archiepiscopus florentinus, et recentiore memoria Laurentius Iustinianus patriarcha Venetiarum litterarum perpetuum studium cum pastorali industria coniunxit. Quid est cur veteres commemorem? Cum in Cardinalium collegio numquam defuerint viri, qui in ipso Cardinalatu lucubrationibus etiam variis se ipsos oblectantes, christianae reipublicae profuerint. Sanctissimus dominus noster Sixtus V. cum aliquot annos egregiam operam posuisset subcisivis Cardinalatus sui horis in emendandis S. Am-

brosii scriptis, ea a se edita domino papae Gregorio XIII. dicavit luculenta doctaque praefatione. Ac nostra memoria egregius theologus Cardinalis Araecaeli theologicas institutiones inscripsit: Varmiensis etiam multa adversus religionis nostrae hostes pro catholicae religionis defensione scripta reliquit. Paulo vero superiore memoria illustrissimi Cardinales Contarenus, Bembus, Sadoletus, Polus, multa praeclare scripsere: summi praeterea theologi, Iohannes de Turrecremata Cardinalis S. Sixti, cuius summam de ecclesia, quae prope interciderat, multis abhinc annis Cardinalis Vitellotius excudendam curavit, dicavitque Pio IV; item Bessarion Cardinalis nicaenus, et Thomas de Vio Caietanus, Nicolaus de Cusa, Petrus de Aliaco Cardinalis cameracensis, Fr. Petrus Aureolus B. Francisci familiae alumnus Cardinalis scripsit inter alia egregium opus, elucidationem compendiosam totius sacrae scripturae: notissimus est praeclarus doctor S. Bonaventura. Ex iurisconsultis vero Innocentius IV. multa tum ante pontificatum, tum Pontifex summa cum laude scripsit: et Cardinalis ostiensis iuris utriusque prudentiam egregiis monumentis suis illustravit, tum Zabarella, et Parisius Cardinales iurisque itidem consulti multa scripsere.

8. Sed ut virtutum omnium, ita perpetuae lectionis et assidui studii sacrarum litterarum domesticum exemplum habes Carolum Cardinalem, qui lectioni sacrorum librorum, prophetarum in primis, quos caelestes oratores nominaverimus, ita delectabatur, ut singulis diebus ea ipsa lectione se consolaretur, et caelesti veluti ambrosia nutriret. Compendiariam studiorum rationem tibi proponerem, ut perquireres quibus libris potissimum delectatus est Carolus, ut et ipse delectareris, eius synopses diligenter considerares, mandares illas memoriae, describeres etiam: in lectione sacri concilii tridentini et romani catechismi egregie versatus fuerat Carolus, qui sunt libri aurei disciplinam ecclesiasticam totam continentes: magno illo in libro, qui inscribitur acta mediolanensis ecclesiae ad usum revocata videntur decreta sacrosanti tridentini concilii ad reformationem pertinentia. Quo in nobilissimo studio his temporibus valde accommodato, si qua in re aliquando tibi dubitare contigerit, Antonii Cardinalis Carafae, qui de te plurimis in locis, in consistorio etiam magna cum laude locutus est, iudicium poteris exquirere: consulet libenter senior Cardinalis idemque pius et doctus studiis tuis. In sanctorum patrum libris diligenter versatus fuerat Carolus; de huiusmodi libris habitum inter nos sermonem memini, de apologetico S. Gregorii nazianzeni, de oratione eiusdem in pluviam grandinis, quae mirabiliter Dei prudentiam explicat, de oratione, de amore in pauperes, in qua tum singularis pietatis ac doctrinae laudes, tum omnia lumina verborum, et sententiarum extant; de S. Basilii hexamero, deque pulcherrimis illius concionibus, de gratiis Deo agendis, in avaros, in luxuriosos,

Lectiones S. Caroli familiares.

de illo sermone in illa verba attende tibi, de regulis brevioribus ex evangeliis collectis locuti sumus saepe; et de S. Chrysostomi homiliis in genesim, de illis ad populum antiochenum habitis, de commentariis eiusdem in evangelia, et praesertim in epistolas S. Pauli apostoli, moralibus illis digressionibus illustratis. De S. Augustini meditationibus, confessionibus, soliloquiis, item de commentariis in psalmos, in quibus varia eruditio cum admirabili eloquentia coniuncta est, contulimus interdum. Sed aliquanto saepius facta est a nobis mentio S. Ambrosii, quem magistrum S. Augustini et mediolanensis ecclesiae archiepiscopum doctoremque ecclesiae venerabamur; de officiis libros, quos sanctus ille vir nobis reliquit, libros de fuga saeculi, de bono mortis, de virginibus, de paradiso, magna cum animi nostri voluptate commemorabamus. Et S. Hieronymi epistolas, praesertim epistolam ad Nepotianum; item S. Augustini, et aliorum doctorum legebat libenter optimus Cardinalis, praesertim quas S. Gregorius in regestum contulit: vehementer delectabatur S. Bernardi libris, praesertim illis quinque de consideratione ad Eugenium papam, et commentariis in cantica. Commentarios S. Gregorii in Iob, qui moralia nuncupantur, laudavimus saepe; sunt libri illi pulcherrimi, et qui uberem de virtutibus doctrinam continent, allegoriis plurimis admirabile ingenium, et summam viri illius pietatem prae se ferentes. Innocentii III, qui ex diacono Cardinale trigesimum tertium annum agens romanus Pontifex declaratus est, libris de contemptu mundi; Landulphi de vita Christi; Prosperi regiensis episcopi de vita contemplativa libris delectabatur Carolus: Ludovici Granatae, quem nostrae aetatis Bernardum appellare solebamus, scripta saepissime habebat in manibus, luspano etiam sermone illa perlegit. Quid multis moror? In quibus libris versatus est maxime Cardinalis senior Borromaeus, in eisdem versetur iunior eius nominis, eiusque virtutis heres et imitator. Sed nemo facile crediderit, quantos progressus fecerit Carolus in libris S. Thomae aquinatis, atque etiam S. Bonaventurae; et quamquam nemo saepius et libentius diceret, se non esse theologum, se in doctorum numero collocari minime posse; nemo tamen de dogmatibus loqueretur maiore cautione: et verborum, ut ita dicam, castimonia, quod sibi dicendum erat, exponebat: cum re vera S. Thomas ecclesiasticus Aristoteles nuncupari possit, hoc est, vir qui cum excellenti doctrina admirabilem ordinem coniungat; et S. Bonaventura non modo doceat, verum etiam inflammet eos, qui eius libros evolvunt.

Delectus lectionum meliorum.

9. Nosti tu, qui in publicis gymnasiis versatus es, et facultatem theologicam sub optimis magistris didicisti, insignia etiam doctrinae more huius aetatis sumpsisti, ita ut scholasticos alios quamplurimos degustaveris; ita se res habet, obruimur copia librorum, meliores seligamus

oportet, in illis versemur, ut nostris ex studiis fructum aliquem percipiamus. Iuvenibus praestanti et excellenti ingenio praeditis difficile est in legendo servare modum, et se interdum ita cohibere, ne lectionis varietate solidam doctrinam non assequantur; cumque quotidie novi edantur libri a piis et praestantibus viris scripti; novitas legendi, et iudicandi desiderium parit; qua in re modus est adhibendus, ne industriam hominum, qui hac tempestate vivunt, contemnere, eorum libros negligere videamur, aut singulos avidissime legentes, utiliores libros sanctorum patrum cum detrimento studiorum nostrorum omittamus. Sed nulla iucundior aut utilior lectio a Cardinale diacono istius, qua nunc es aetatis, suscipi potest, quam ecclesiasticae historiae, conciliorum generalium et provincialium. Rerum praeterea a sanctis hominibus gestarum, et in varia volumina a piis hominibus redactarum cognitio incredibiliter prodest ad pietatem alendam et augendam, ad res externas minime admirandas, ut paucis dicam, ad ecclesiasticam disciplinam excolendam, et ad Cardinalis dignitatem sustinendam. Familiaritas hominum, qui in huiusmodi studiis versati sunt, religiosorum plurimorum, in primis Caesaris Baronii, et nostri etiam Sylvii Antoniani, quem ut Caroli observantissimum et egregium admiratorem debes agnoscere, valde proderit.

10. Piam et iucundam etiam occupationem cum admirabili animi laetitia coninnctam illam dixerim, cum in cappella pontificia dum pontificales missae celebrantur, et sacrosanctum sacrificium praesente summo Pontifice Deo offertur, et vesperis aliisque solemnibus divinis officiis intersumus; quibus in locis multo plura Christi vicario praestari solent obsequia a diaconis, quam a presbyteris; quibus in obsequiis et sacris caerimoniis observandis atque obenndis laudantur valde diaconi illi, qui studium et diligentiam adhibent. Qua in re, quoniam novi ingenium tuum, supervacanea est omnis hortatio: leges tu libros omnes de caerimoniis conscriptos; a senioribus Cardinalibus, qui eo, quo nunc fungeris, munere functi sunt, documenta aliqua elicere studebis; ab illis sacerdotibus, qui in ea re sunt versati, dabis operam ut instruaris; crebra exercitatione caerimoniis ita assuescas, ut sine ulla trepidatione, decore, et expedite, cum summo Pontifici celebranti tibi ministrandum est, diaconi munere fungaris cum laude; quod consequi non est admodum facile. Hominum natura ea est, ut non possit sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ascendere: ideo a pia matre ecclesia ritibus quibusdam humanae consultum est imbecillitati; et quemadmodum interiore cultu, qui Deo tribuitur fide, spe, et charitate exteriore cultu, hoc est caerimoniis, debitum honorem Deo exhibemus, ut caerimoniae ad cultum quendam Deo corpore exhibitum referantur. Caerimoniis autem cum protestemur veram, catholicam, et incon- Sacrae liturgiae studium.

taminatam fidem nostram in Deum, tacite docemur quae spiritus sanctus in anima operatur nostra; admonemur etiam eorum, quae officii nostri ratione nobis agenda sunt; excitamur mirabiliter ad devotionem, venerationem, admirationem, spiritualesque affectiones omnes. In recte servandis caerimoniis magnum studium adhibendum, et assidua diligentia est collocanda, eo magis quod totam hanc rituum et caerimoniarum rationem, aut qualemcunque cognitionem haeretici, qui castissimis sponsae Christi limitibus semel praeteritis, perniciosissimi ecclesiae hostes et derisores pestilentissimi facti, quaecunque ad alendam augendamque pietatem pertinent, contemnunt, caerimoniasque ecclesiasticas vetustate diuturnoque ecclesiae usu confirmatas, daemonum furiis agitati, quod in ipsis fuit, sustulerunt. Quae si pie adhibeantur, devotionis fervor excitatur, et caelestis in nobis gratia augetur. Multa, quae ad sacramentorum administrationem, pleraque quae ad decorum ecclesiasticum servandum pertinent, hac in cognitione tractantur; ut magni momenti negotium Deo acceptum, ecclesiae necessarium, tibi cum senioribus quatuor Cardinalibus a vigilantissimo pontifice Sixto sit commissum, quod accurate tractandum est. Usum tibi afferent maximum libri, quos Mediolani Carolus de ritibus edendos curavit. Interesse divinis omnibus officiis, ministrare summo Pontifici, in cappellis attente psalmos audire, devote sacrosancto sacrificio assistere, est diaconi Cardinalis, quae omnia iam tu praestas egregie.

De congregationibus et consistoriis.

11. Quae singulis in congregationibus tractanda erunt, considerabis, certo scio, attente, et numquam imparatus accedes. Iam ipse, qui eadem in congregatione sum, modestiam tuam in dicenda sententia observavi. Saepe cum congregationis consultoribus sermonem habebis, eorumque elicies sententias, rationes etiam, quibus illam in sententiam abducantur. In dicenda autem sententia in congregatione magna modestia adhibenda est, ne iunior senes docere velle profiteri videatur, aut ostentare doctrinam, quod nec laudatur in senibus. Et cavenda est maxime occulta quaedam adulatio, ne aliorum sententias nimis extollamus, cum nec boni viri laudem valde expetant, et laus amore veritatis potius quam placendi studio tribuenda sit. Nullum consistorium, si fieri potest, expedit Cardinalem intermittere, cum interesse maxime ad Cardinales pertineat; iuvenem autem inter primos adesse, si non incommode fieri possit, prudentes homines laudaverint. Eo in loco et audiendo multa discuntur, et dicendo nostrum exequimur munus; plurima etiam tractari solent inter Cardinales negotia. Fuisse Cardinales nonnullos accepimus, qui acta consistorii in commentarios redigere consueverunt, ut inde peritiam quandam ecclesiasticarum rerum sibi compararent; quem laborem si iuvenes suscipiunt, cum aetate processerint, fructuosum admodum experientur, cum illi saepe res ante gestas commemorantes quodammodo di-

acant, qua ratione res gerendae sint. Attentissime audiendi sunt sermones, quos Christi vicarius interdum habet, ut Dei voces observandi sunt, eiusque decreta, quae interdum facit, notanda, et memoriae commendanda. Si quid a Cardinalibus praeclarum, et ad utilitatem ecclesiae pertinens dicatur, illud etiam observandum est, et ad laudem ipsorum interdum etiam commemorandum: expedit enim valde virtutem extolli, et pios et sapientes viros cognosci, et in honore haberi apud omnes.

De sententia dicenda.

12. In dicendo et senibus maxime modestia opus est, nedum iuvenibus Cardinalibus: quaedam dicendi forma minime vana, minime turgida, minime fucata, ab omni ostentatione aliena, brevis, simplex, cauta, hoc est prudens et considerata, ne alios laedat, ne solus sapere videatur, adhibenda est. Verba seligenda sunt non tam ciceroniana, quam ecclesiastica, latina tamen, minime barbara, et minime vulgaria. Silentium commendat iuvenem Cardinalem; in quo tamen est modus adhibendus, ut iuvenis etiam Cardinalis episcopum promovendum sibi notum virum celebrem debita laude non defrandet: et si quidquam christianae reipublicae obfuturum arbitretur, modestia summa adhibita sibi aliter videri dicat; se tamen sapientissimum Pontificis iudicium suo anteferre. Sed hac in re Spiritus sanctus audiendus est, qui cum in consistorio dicturus est Cardinalis, et omnibus in functionibus eius exercendis, est invocandus. Et negotia tractanda sunt leniter, et sedato animo, cum nihil sancto illo in loco tractetur, nisi ad Dei gloriam, ad augendam pietatem, ad disciplinam ecclesiasticam excolendam, et ad virorum piorum commoda. Fugiendumque est iuveni Cardinali aucupandae gloriolae studium multitudine et varietate negotiorum. Virtuti semper favendum est, nulla tamen contentione, sed magna moderatione animi, ne molesti simus illis, quibuscum tractemus. Dissentire Cardinalem iuvenem, praesertim a summo Pontifice Christi vicario, quem rem, quam proponit, diligentissime considerasse rationi consentaneum est, arbitror non esse facile concedendum, nec facile decere; et iccirco caute admodum, si quid venit in mentem contra sententiam Pontificis, id explicandum est: ipse sibi potius dicat, certe fallor, sunt aliquae rationes, quae Christi vicarium impellunt, ut illud sentiat; nam ipse a Spiritu sancto gubernatur; nihil temere proponit, omnia cogitata et meditata huc affert; principum consilia non facile penetrare licet; non omnia, quae rem circumstant, sciuntur semper, ut de toto negotio possimus decernere: antecedentia, cohaerentia, consequentia rei deliberationem valde diversam reddunt: qui altissimo in loco sunt multo plura vident, quam qui in inferiori: non decet iuvenem Cardinalem sibi persuadere se solum videre, quod tot Cardinales usu, aetate, experimento, prudentia superiores non viderint, qui primo loco sententiam dixerunt. Cum igitur in consistorio plures

iam confirmasse sententiam Pontificis diaconus Cardinalis animadvertit, silentio piorum etiam virornm iudicio, muneri suo saepe potest satisfacere. Quamobrem cum is sententiam proponit, qui summam habet potestatem, et cuius auctoritas est plus quam regia (nam si regum auctoritati et sapientiae multum merito tribuitur, quanto magis Christi vicario?) non facile iniecto sibi ipsi scrupulo quispiam in consistorio debet contradicere: praesertim cum in privatis sermonibus, in quibus admirabilem humanitatem prae se fert Sixtus V, quem nunc habemus pontificem, animi sui sensa unicuique liceat libere exponere; praeter quam quod ille qui pluribus verbis Pontifici in consistorio contradicit, nescio quam popularem auram, praesertim iuvenis, aucupari videtur. Verum cum firmis rationibus ei persuasum erit, aliter pro honore Dei, et ecclesiae utilitate sentiendum esse, ne Cardinali etiam iuveni licet praeterire quae sentit, modestiae tamen et humilitatis numquam obliviscatur.

Animi proprii cura.

13. Illa quoque est vera et valde laudanda occupatio, si Cardinalis, quemadmodum scripsit Iob, visitet speciem suam: ita enim patientissimus, et sapientissimus ille vir scribit; visita speciem tuam, et non peccabis. Visitare speciem suam est frequenter et attente se ipsum videre, se ipsum cognoscere, se ipsum considerare, sibi ipsi imperare, sibi ipsi mederi, sibi attendere. Visita te ipsum, Cardinalis Borromaee; visita, ut facis, speciem tuam, hoc est pulchritudinem animae tuae Christi sanguine pretioso redemptae. Qui hoc facit, nihil vile, nihil abiectum cogitat, nihil admiratur in rebus humanis; imaginem et similitudinem Dei quotidie exornare studet; cavet maxime ne illam deformet. Nihil aliud innuit illud, nosce te ipsum, et illud attende tibi, quam visita speciem tuam, visita ut imperator, custodi arcem cordis tui, ne ingrediatur Satanas, ne vanitatibus obruatur. Qui se ipsum visitat, qui se ipsum noscit, ita secum loquitur: exercebit ne tyrannidem insidiosus amicus et inimicus blandus, corpus nimirum hoc meum, in animam meam, in sponsam Christi, cui parata est hereditas caelestis? Admirabor res externas? Ob varios eventus perturbabo me ipse? pulchritudinis oblitus meae, incuria mea, negligentia mea, Satanae et domesticorum inimicorum praeda efficiar? Et visitat vir prudens animam suam ut medicus, cum illam a gravibus morbis studet praeservare, quod fit sanctissimorum sacramentorum frequentia, et piorum librorum lectione assidua. Qui hoc facit, non peccat, non est infelix; peccare enim est infelicem esse, quod est, ut S. Anselmus scribit, honorem Deo adimere, quantum in se est, miserum esse, infernum quodammodo sibi aedificare, relicto Christi vexillo esse transfugam, sequi mendaciorum patrem Satanam. Nobilitas est quaedam pulchritudo; est enim antiqua maiorum virtus, et antiqui honoris vehemens stimulus, quo mediocria etiam ingenia solent ad

laudem excitari. Visitare, hoc est attente videre et saepe diligenter considerare nobilitatem generis sui, prodest incredibiliter ad fugiendum dedecus, et omnia vitiorum genera. Ab hac consideratione huiusmodi interdum proficiscuntur colloquia, soliloquia potius: degenerabo ne ipse, artifex ne ipse ero tantae infamiae, ut memoria domesticarum virtutum, quibus familia illustrata est mea, obsit mihi potius quam prosit, cum tam malus earum sim imitator, mihique sit potius dedecori, quam laudi? Quicunque a maiorum suorum virtutibus degenerant, ideo degenerant, ideo peccant, quia speciem domus suae non considerant. Numquam tu in talem et tantum incides errorem, qui de Carolo saepe et libenter loqueris, qui eius etiam imaginem depictam, sculptam etiam, et diligenter servas, et saepissime intueris: illam autem pii viri et Cardinalis egregii imaginem cum ad te officii causa superioribus diebus venissem, in tuo cubiculo reperi. Et prudenter facis, Borromaee, cum meum consilium sequens visites saepe non solum speciem tuam, sed speciem Caroli Cardinalis, illam potissimum interioris hominis intelligo, qua nihil pulchrius, nihil admirabilius hac nostra aetate excogitari potuit.

14. Haec ipsa crebra visitatio ad omnes Cardinales pertinet, praesertim ad diaconos, qui ab intestinis inimicis Satana, mundo, et carne acrius oppugnantur. Accipe brevi. Oppugnantur falsissimis quibusdam sententiis. Cardinales diaconos, ubi Cardinales sunt facti, beatos esse, illis non necesse esse studium aut diligentiam ponere in litteris: omnia studia et omnem industriam illuc referri, ut ad Cardinalatus dignitatem perveniant ecclesiastici homines: summa illa dignitate adepta, genio aliquantulum indulgendum esse; illo splendore, illis insignibus fruendum; opinionem sanctimoniae fugiendam; vivendum omnino aulice et valde splendide; cautionem magnam in sermonibus adhibendam, admodum tectos esse oportere; laudationum et pollicitationum esse prodigos, dignitatem in primis amplissimam taciturnitate et vultu tueri oportere, cum aequalibus Cardinalibus facetiis et iocis valde oblectari. Non verae sententiae, perniciosae potius sunt, quas enumeravi: nam beati non sunt Cardinales diaconi, nec presbyteri, nec episcopi, quamvis ditissimi sint, nisi sint boni, nisi virtutibus praediti, nisi charitate in primis, quae est omnium virtutum mater et altrix, sint accensi et inflammati: beati sunt qui timent Dominum, et qui ambulant in viis eius: beati sunt illi, quos magister magistrorum Christus pronuntiavit beatos, hoc est humiles, spiritus paupertatem adamantes, res externas minime admirantes, mites, mansueti, in bono vincentes malum, lugentes sua et aliorum peccata, et lacrymis, quas S. Bernardus delicias angelorum appellabat, animae suae sordes eluentes; iustitiam omnes virtutes complectentem ardentissimo amore prosequentes; misericordiam in se ipsos et alios exercentes,

Pugna cum vitiis, virtutum exercitatio.

cum extrema sit miseria misericordia carere. Homines candidos, minime fraudulentos, columbina simplicitate conspicuos, et castimonia nitentes, studiosos itidem et auctores pacis, beatos nuncupat, non deliciis affluentes, non fruentes titulis, quorum nulla est fruitio, usus potius moderatus; sed maledicentias, calumnias, iniurias omnium generum pro virtute tuenda et pro amore Dei aequo animo ferentes. Qui alios beatos putat, quam hos, errat vehementer, et quo in subliniore dignitatis gradu est constitutus, eo magis errat.

Cardinalatus pericula.

15. Ostendere possem facile Cardinales nonnullos fuisse miseros, Cardinalatus dignitatem illis potius obfuisse, quia maxima illa dignitate et illis Cardinalatus splendoribus decepti ad insaniam nescio quam redacti, ab adulatoribus et perniciosis cousultoribus domesticis satis cavere nequiverunt. Sed hoc, quod dico, et notum est, et ex historiis colligi potest. Tu aliter sentis, Borromaee, et saepe animi tui sensa mihi aperuisti, ut supervacanea omnia videri possint, quae hac ipsa de re ad te scriberem. Certo scio te saepe visitare speciem tuam: considera te esse Cardinalem, vigesimum tertium annum agentem in Cardinalium collegium esse cooptatum, in quod quinquagenarii, sexagenarii etiam homines doctrina multiplici, et variis virtutibus praestantes, quamvis pro ecclesia Dei multum ac diu laboraverint, non sunt cooptati; et quo magis cogitas, insolita quadam et admirabili ratione, ita Deo disponente, te Cardinalem factum, eo magis tibi persuadeas, maximam de te concitatam esse expectationem; ab orbe christiano postulari, exigi potius, a te omnium virtutum, quae optimo Cardinale digna sunt, exempla. Adepta dignitate Cardinalitia, ita distributore omnium dignitatum Deo disponente, danda est opera Cardinali, ut illa minime fruatur: frui enim, ut definivit S. Augustinus, est aliqua in re acquiescere; quod fieri nequit, nisi in sanctissima illa Trinitate, in illius visione: enitendum est ut hac ipsa dignitate utamur ad Dei gloriam, ad multarum virtutum exempla praebenda, ad consulendum hominum calamitatibus. Nec sanctimoniae opinio fugienda est; vitanda hypocrisis est, cordis simplicitatem, rectitudinem mentis, timorem Dei (quibus encomiis celebratus est Iob) in urbe Roma viventes rerum omnium gnara, et nihil reticente (ut veteris scriptoris verbis utamur) omnibus in actionibus et sermonibus ostendere debemus. Si aulice vivere est humanitatis, modestiae, mansuetudinis, urbanitatis etiam indicia prae se ferre, hilari vultu omnes excipere, ab agrestibus moribus alienum morum quadam serenitate illos, quibuscum tractat, in sui amorem allicere, aulice studeat vivere Borromaeus Cardinalis, et iam, ut arbitror, aulice vivit: si autem aulice vivere est studere, ut omnes ad eius domum confluant, pollicitationibus lactare homines, anteferre se ceteris, delatores audire, curiosis hominibus delectari, ut uno verbo dicam,

non eum esse qui haberi cupit (hanc enim brevem, et expeditam bene vivendi rationem Socrates existimavit, ut is sis, qui haberi velis) sed totum potius studium suum ponere, ut melior esse putetur, quam re vera sit: aulicam nos huiusmodi vitae rationem minime probandam existimamus.

Splendor moderatus, sinceritas.

16. Quod ad splendorem attinet, illud cuiusdam poëtae accommodate dixerimus, modum esse in rebus, et obtinendam esse ac diligendam auream mediocritatem, ut sordium et avaritiae omnis suspicio tollatur, fastus et vanitas nulla appareat, Cardinalitiae dignitatis ratio habeatur, habeatur etiam nobilitatis atque aetatis: neglectum enim nescio quem adhibere in splendore retinendo, minime vituperandum; si senex Cardinalis in splendore istu, qui in specie est, retinendo paulo negligentior fuerit, erit fortasse, quod aequiores iudices ignoscant; quem neglectum in diacono Cardinale summo loco nato non facile quispiam tolerabit Romae. Ut huiusmodi moderationem et decorum in mensa et in apparatu domus retineas, optimi viri iudicio etiam praestantes, qui Carolo Cardinali amanter et fideliter usque ad eius mortem servierunt, curabunt. Nec profecto ita tectos esse oportet, ut quis in calliditatis incidat suspicionem, ne videatur habere suspectam fidem et benevolentiam hominum, quibuscum tractet: est tamen adhibenda cautio, ne verba interdum effundamus, quae magis expediret non protulisse, et unde in aliquorum invidiam possimus incidere. Laudem scimus esse virtutis praemium, et pretiosam quandam rem, quam qui tribuit hominibus ea minime dignis, graviter peccat, et civilem vitam quodammodo perturbare et confundere videtur, cum extollat laudibus, qui deprimendus est, et improbitatem virtuti anteponat. Laudum prodigalitatem merito valde vituperaverimus, in episcopis in primis et Cardinalibus; cum laus etiam sit dulce venenum, quod propinare ad perniciem hominum, perversi est ingenii, et aurem popularem malitiose aucupantis. Sunt tamen laudandi interdum viri boni, ut magis ad pietatem inflammentur, et eorum exemplo excitentur etiam alii; caute tamen et parce hoc faciendum est. Laudandi quandam facilitatem in viris etiam bonis, Cardinalibus etiam, fuisse pii quidam viri observaverunt; quam facilitatem non imitandam censuerim: danda tamen est opera, ne virtus, nimia laudandi cautione, defraudetur. Gravitatem vero et taciturnitatem Cardinalibus omnibus, diaconis praecipue, existimationem augere nemo dubitabit: comitate tamen et lepore quodam ecclesiastico condiendae sunt gravitas et taciturnitas iuvenibus in primis Cardinalibus, ne plurimorum hominum, illorum in primis, qui in eorum promotionibus praeteriti sunt, odium in se concitent. Et modus in hilaritate et iocis diacono Cardinali tenendus est, memori quis sit, hoc est senator orbis, in sacrum Cardinalium collegium cooptatus, ut consulat reipublicae christianae, et virtutum omnium exempla orbi praebeat.

Visitationum recta ratio.

17. Verum enimvero S. Hieronymus in epistola ad Marcellam scripsit, romanas occupationes in hoc consistere, ut quis visitet et visitetur, salutet et salutetur. A sui ipsius visitatione ceterarum visitationum ratio proficiscitur; quarum omnium visitationum finis est, ut non peccetur. Visitandi regulas vetus quaedam consuetudo, plurimisque annis confirmatus usus docuit, ut Cardinales visitentur singuli in urbem venientes, item recedentes ab urbe, ac denuo redeuntes: aut officii causa, si alicuius Cardinalis pater aut frater ex hac vita decesserit: haec omnia officia praestanda sunt. In quibus visitationibus verborum prolixitas, et nimia quaedam diligentia, ne dicam affectatio, vitanda est; quod consequi est facile nobilibus ingeniis et viris candidis. Quas visitationes si Cardinalis diaconus interrogatione aliqua ad disciplinam ecclesiasticam, sive ad optimarum litterarum cognitionem, aut ad rectam vivendi rationem pertinente condierit (quemadmodum condire solitum audivi Carolum Cardinalem) praeter quam quod ad doctrinam id maxime conducit, observantiae erga seniores Cardinales argumentum est, et summa virtutis laus. Et in admittendis visitationibus episcoporum, et omnium, qui ad nos accedere consueverunt, legatorum in primis Principum, faciles esse oportet omnes Cardinales, iuvenes in primis, ut modestiam, humilitatem potius christianam, se ostendant retinuisse, minime esse elatos splendoribus Cardinalitiae dignitatis. Et in visitandis Cardinalibus adhibendam moderationem prudentes viri existimant, ne sint frequentiores, quam sit opus ne impediantur negotia publica, doctrinae studia, neve fiat iactura temporis, quam maximam esse prudentes homines putaverunt: quam iacturam Cardinales diaconi, qui cum laude vixerunt, maxime studuerunt, ne facerent; ut etiam propter tuendam valetudinem corpus exercentes volverent semper aliquid animo Cardinale dignum; aut loquentes cum Deo, aut ea cogitantes, quibus doctiores aut meliores fierent, et aliorum commodis consulerent.

Occupationes variae Cardinale dignae.

18. Et negotia occupationes laudabiles sunt, si ad Dei honorem et aliorum commoda pertineant: quae non omnia suscipienda sunt, cum etiam a Salomone sit scriptum, fili mi in paucis sint actus tui: periculosa res est multitudo negotiorum, ne distrahatur animus, obruatur potius, ne devotionis siccetur fons: suscipienda sunt in primis illa, quae romanus Pontifex Christi vicarius committit, illa, quae dictat charitas, quae etiam coniunctionis, et amicitiae ratio videtur postulare et maxime quae ad religionem tuendam, et propagandam spectant. Pietati et doctrinae favere, ad Cardinales pertinet; quare si viri religiosi operam imploraverint tuam, illis numquam deeris. Monasteria religiosorum sub regula sanctorum Benedicti, Augustini, Francisci, Dominici, et aliorum, viventium

sunt officinae virtutum. Et sacerdotum congregationes, ut clericorum regularium ex institutione sanctae recordat. Pauli IV; societatis Iesu; S. Pauli Decollati, qui Mediolani sunt ad S. Barnabam; patrum Congregationis Romae, quibuscum tu libenter merito versaris, et quos ego ab annis plurimis valde diligo; hi scholam quandam Spiritus sancti aperuisse visi sunt, cum singulis diebus pios et doctos sermones habeant ad alendam pietatem, et hoc saeculo valde utiles sunt ecclesiae Dei. Et iucundum et utile arbitror monasteria religiosorum, et domos, in quibus viri, quos nominavi, habitant, adire; numquam enim Cardinalis diaconus quispiam huiusmodi officiosum laborem suscipit, quin didicisse ac quaedam, et honestam piamque quandam animi voluptatem percepisse sentiat. Suntque huiusmodi profectiones ad ecclesias et ad monasteria quaedam corporis exercitationes ab inertia semotae iucundae et laudabiles valde. Ita se res habet; dum exulamus a Domino, dum ad patriam caelestem tendimus, humanae infirmitatis hoc est proprium ut sine aliqua oblectatione vivere nequeamus: boni viri a malis hoc ipso distinguuntur, quod boni honestis, mali turpibus delectantur voluptatibus. Quamobrem Socrates compendiariam recte instituendae adolescentiae putabat rationem, si ita instituerentur adolescentes, ut gauderent honestis, dolerent turpibus. Religiosorum sermones varii, doctorum hominum, qui in eorum religionibus floruerunt, commemoratio, convenientium in unum illa religiosa multitudo, chorus ille canentium Domino incredibiliter delectat: habet coniunctam huiusmodi occupatio non minimam piamque voluptatem: quorum religiosorum aliquos in convivio adhibere, parcis etiam eorum mensis interesse consueverat Carolus Cardinalis laudabili et imitando more.

19. Amicitia iucunda res est, quae, ut Aristoteles scripsit, aut virtus est, aut non sine virtute. Amicorum semper paucissimus fuit numerus, quia metiuntur plerique mortales omnia utilitate: et adolescentium amicitiae leves et inconstantes esse consueverunt, quia cum convictus illius suavitas cessat, cessat amicitia: oriuntur saepe aemulationes, simultates, ac saepe etiam maledicentiae: verum hoc ad familiae potius disciplinam spectat. Eiectam ex aula amicitiam pii viri interdum queri consueverunt: sed omnino eiectam minime crediderimus; cum amicitia perfectius quiddam, nimirum caritas omnium virtutum regina et mater vigeat in multis. Haec alenda virtus est, haec augenda beneficiis conferendis in alios; benigna enim caritas est, benefica est. In conferendis autem beneficiis regulas, quas Seneca aureis suis illis libris, quos de beneficiis inscripsit, observandas existimarem. Egregius scriptor est Seneca, eo in argumento tractando se ipse visus est superasse: eo scriptore, et Plutarcho, quorum praecipuas etiam Ludovicus Granatensis excerpsit sententias, et in librum congessit, delectatus est Carolus, et tu delecteris eisdem scri- De colendis amicitiis

PP

ptoribus: ethnici quidem sunt, sed ab aegyptiis vasa aurea, et argentea mutuemur interdum, quibus templum Dei ornemus; nam, ut nosti, S. Basilius libellum scripsit hoc de genere: hi autem duo, quos nominavi, pulchra admodum afferunt ad civilem vitam, et ad morum disciplinam, illorum praesertim, qui in aula vivunt, pertinentia. Et praeclarum et utile valde Cardinalibus Plutarchus, ut alia omittam, opusculum scripsit de dignoscendis amicis ab adulatoribus; adulatorum enim plena sunt omnia, ut non sit facile dulci adulationis veneno non infici: et quidam ita callidi reperiuntur adulatores, ut vix ab amicis illos quispiam possit discernere. In conferendis beneficiis illam, ut ita dicam, mercaturam Cardinale indignam, indignam etiam nobili homine existimaverim, nimirum ut beneficia in illos tantum conferamus, quos in nos maiora collaturos arbitramur. Pii homines, docti, inopes, peregrini, religiosi, nobiles, si cum nobilitate coniuncta sit virtus, nobis antea noti, hoc est in gymnasiis, qui nos aliquid docuerint, aut in nos benevoli animi testimonium aliquod dederint, in eadem, qua nos nati sumus, patria; sed maxime omnium illi, quos bonos esse servos Dei existimamus, testimonio nostro fovendi, et beneficiis, prout suppetunt facultates, afficiendi sunt. Liberandus est animus suspicionibus variis, ne facile quempiam non sincero esse animo erga nos arbitremur, ut saepe solet accidere in tanta ingeniorum varietate, et in magna aemulorum et invidorum multitudine. Et maxime vitandum est, ne in conciliandis nobis animis hominum solliciti nimis simus.

Curiositas vitanda.

20. Curiositas vana, perniciosa etiam, occupatio est, quae invidiae et detractionis comes, nutrix maledicentiae, odio etiam coniunctissima est. Tantum ne otii tibi, comicus ille scriptum reliquit, aliena ut cures? et plerumque festucam in aliorum oculis observamus, trabem in nostris, ut evangelicis verbis utamur, non videntes. Inimica prudentiae curiositas est, temporis, quae pretiosa res est, prodiga, aemulationum, inimicitiarum etiam nutrix, quam maxime omnium in omni vita sua fugit Carolus noster. Qua ratione, inquies, fugiemus aulicorum alumnam curiositatem, a qua qui est alienus, rebus gerendis parum idoneus, attonitus plerumque putatur? Audiamus sapientem dicentem, memorare novissima tua; si hoc fecerimus, non peccabimus, non erimus curiosi: hac in re nulla cuiuspiam admonitione eges; neminem enim iuvenem novi minus curiosum, quam te; quod fecit, ut nullum in tua ista amplissima dignitate consequenda aemulum sis expertus.

De epistolis aliisque lucubrationibus scribendis.

21. Et in scribendis litteris ad Cardinales absentes, ad principes, ad episcopos, et ad alios occupari necesse est; qua in re nimia quaedam diligentia vitanda est; est enim periculosa et molesta valde: aliorum opera uti necesse est; sed quae nostro nomine scribunt alii, et legere attente, et corrigere saepe necesse est: cui non inutili curae et iucundo labori mini-

me est parcendum. Praecipua et magna diligentia est adhibenda in latinis conscribendis litteris, si interdum ab exteris hominibus, a principibus in primis, aut officii aut negotii causa provocatur Cardinalis: et haec in primis est adhibenda ratio, ut nullius litteris non respondeatur, et quamprimum respondeatur; hoc enim est civilis, et nobilis viri. Iucundiorem ullam vix experiri possumus occupationem, quam assiduam quandam scriptionem et stili exercitationem, quia stilus est dicendi effector et magister, et supellectilem bonarum sententiarum comparat. Omnia monumentis litterarum iam esse consignata, non esse opus quicquam scribere, multi etiam prudentes viri dicere consueverunt: hac de re minime contendimus, scriptionem tamen laudamus; sive commentarios memoriae causa nobis conficiamus ex vetere et novo testamento, ex sanctorum patrum collectis, et unum in locum dispositis sententiis, sive nostro ex ingenio quaestionem aliquam tractandam suscipimus (1). Incredibiliter delectatus est Carolus scriptionibus, synopsibus quibusdam suis (2), quibus adhibito mirabili ordine quaecunque legerat, in ordinem disposuerat. Velim ut industriae illius sis imitator, ut te iam esse arbitror: eritque iuventutis tuae admodum laudanda occupatio, eaque digna Cardinale, si scriptiones omnes Caroli studiose legeris, imprimenda etiam quaedam opuscula ad curam pastoralem pertinentia, et egregios illos sermones eius, quos habuit ad populum, edendos curaveris, praesertim quos habuit in synodis, quos eo in genere gravissimos et pulcherrimos quispiam existimaverit.

22. Et locorum sanctorum sanctarumque reliquiarum visitatio nobilis et digna Cardinale occupatio est; cum S. Chrysostomus in oratione, quam habuit in laudem Babylae martyris, post verbum Dei rem nullam habere tantam vim scripserit ad excitandam et augendam pietatem, quam sacrarum reliquiarum cultum. Romam multis nominibus, hoc in primis, cum plurimorum martyrum sanguine inspersa sit, beatorum in primis Petri et Pauli principum apostolorum martyrio decoratam veteres ecclesiastici scriptores celebrant: quod praeterea vestri ordinis singulare est ornamentum, beatorum Stephani et Laurentii martyrum reliquiis munitur atque illustratur Roma. Martyribus dedicata templa adeunda sunt, eorum invocandum auxilium, ut christianam rempublicam suis precibus iuvent apud regem regum dominum Deum, haeresibus variis contaminatum orbem pro sua clementia idem Dominus purget, urbem Romam domicilium sanctae sedis apostolicae virtutibus quotidie magis exornet, beatissimum patrem nostrum Pontificem custodiat, et illi pia

Adeundae martyrum basilicae.

(1) Egregie usus est hac admonitione Federicus Borromaeus, qui plurimos sane libros scripsit, quorum pars magna, edita, pars item magna inedita in ambrosiana bibliotheca conservatur. Ibidem nonnulla quoque Augustini Valerii nondum vulgata opuscula custodiri scio.

(2) Has quoque S. Caroli synopses, cum aliis multis eiusdem scriptis, praesertim epistolis, in ambrosiana bibliotheca vidi.

et sancta suggerat consilia; sacro etiam Cardinalium collegio donet idem dominus Deus spiritum consilii, ut semper in consistorio dicant ea, quae ecclesiae sanctae Dei salutaria sint futura. Et brevibus illis profectionibus constantiam sanctorum martyrum considerantes, incredibiliter excitantur homines ad robur quoddam animi, ad despiciendas res externas, et ad caelestem patriam appetendam. Et saepe adeundae sunt illae ecclesiae, quarum titulo Cardinales nominatur, ut in illis ecclesiasticum decorum servetur. Nec vero hoc loco ad tituli tui curam pluribus verbis mihi adhortandus es, qui et innata pietate duceris, et praeclarum exemplum habes Caroli Cardinalis qui S. Martini laquear fecit, sanctaeque Praxedis aedem egregie ornavit; cuius sororis S. Pudentianae vetustissimum religiosissimumque templum vides quam magnifice quantoque sumptu ab illustrissimo viro instauretur, cui is titulus est commissus: sicque plerique clarissimi viri titulorum suorum sacras aedes a vetustate et squalore vindicarunt, et in antiquam pulchritudinem restitutas (1) splendidius etiam excoluerunt; ut vix etiam ad amplificanda ecclesiae tituli tui ornamenta locus tibi relictus esse videatur.

De familiae reiq. familiaris cura.

23. Verum laudanda est magnopere in Cardinalibus familiae cura, ut omnes, qui nobiscum vivunt, meliores fiant quotidie, eorumque commodis quoad fieri possit, ab eisdem Cardinalibus consulatur: qua in re hoc maxime studendum est, ut caveatur otium, et aliqua in re singuli occupentur: omnia ludorum genera amoveantur, et exercitationes quaedam piae instituantur, quibus devotio, quae ecclesiasticarum familiarum magnum est ornamentum, alatur, et aliqua etiam rerum cognitio augeatur: quamobrem lectione, oratione, et piis sermonibus retinendos existimaverim illos, qui in nostra vivunt familia: cuius disciplinae egregius cultor fuit Carolus, ut optime nosti; quem si hac in re imitaberis, et exemplum afferes caeteris, et laudem non minimam consequeris. Iam rationem huiusmodi familiae tuae recte instituendae te adhibere audivi. De illis autem occupationibus, quae ad oeconomiam pertinent, S. Bernardi verba illa ad Eugenium pontificem scripta interdum arbitror consideranda: nihil esse turpius episcopo, quam mordere suspicionibus, scrutari singula, moveri ad quaeque deperdita, non invenire quempiam, cui credat facultatulas suas: quae omnia ad Cardinalem etiam accommodari posse merito quispiam dixerit. Fugienda est igitur ea in re nimia diligentia, et quaedam sollicitudo, quae angustiam nescio quam animi indicat, et progressum in viis Domini valde impedit; solet etiam mi-

(1) Exemplum eius rei praeclarum Card. Baronius edidit instauranda tituli sui sacra aede SS. MM. Nerei et Achillei, cuius antiquum statum studiosissime conservavit, et successoribus etiam suis scripto lapide eximis precibus commendavit. Ast ii qui vetustis aedificiorum formis novas et saepe vitiosas substituerunt, male enimvero et suae famae consuluerunt et de bonis artibus meriti sunt.

nuere existimationem, quae minime negligenda est, cum ad Dei gloriam procurandam et ad iuvandos pios homines prodesse possit plurimum. Fuerunt quaedam praestantia ingenia, quae in oeconomicis occupationibus cum delectarentur nimis, quamvis etiam magnificos sumptus facerent, in avaritiae nescio quam suspicionem inciderunt, quae maxime vitanda est omnibus, viris in primis ecclesiasticis, qui sunt oeconomi redditnum ecclesiasticorum; qua in re officio suo satisfaciunt, si probatis hominibus rerum suarum curam committunt. Cupiditatum inopia, quam copiam Seneca nominavit, rei familiaris curam habet: variae cupiditates inopiam pariunt etiam in opulentis viris; et ideo commemorandnm est saepe quantis non indigeamus, ut sine illis etiam satis honeste dignitatem possimus tneri. Sed haec tu, et familiares tui sub Caroli disciplina educati melius nostis, quam ego.

De colloquiis in visitationibus.

24. Assiduam et molestam interdum experiuntur Cardinales diaconi occupationem, cum ad se venientes officii causa admittunt episcopos plurimos, et aulicos homines, exteros etiam; quibus in congressibus gravitas Cardinalitia humanitate condienda est: hilari vultu excipiendi snnt omnes, episcopi praesertim; de pastorali eorum cnra modeste interrogandi, de eorum dioecesibus, de eorum ad urbem adventus causis; iuvandi etiam sunt et testimonio nostro, et opera, si episcopalibus virtutibus praestant; de christianae reipublicae statu, de disciplinae ecclesiasticae reformatione; ut uno verbo dicam, de rebus gravibus habendi sermones sunt, ut quicunque nos adeunt, recedant cum quadam laetitia, de nobis bene sentientes, et a nobis in rebus suis opem aliquam sperantes. Et cnm principum legatis a Cardinalibus habentur saepe sermones, cum ad illos ipsi adeant, accedant etiam interdum Cardinales ad legatos; cum quibus, ut cum omnibus, prudentia et gravitas adhibenda est, et de rebus seriis loquendum. Qua in re valde expedire Cardinalibus diaconis dixerimus, si in historiis versati sint, praesertim nostrorum temporum: est enim historia magistra vitae, nuntia vetustatis, et prudentiae nutrix; in quibus qui non est versatus, est semper puer. Nostra, patrum et avorum memoria res admirandae acciderunt, mutationes regnorum et rerumpublicarum, contagia, horrendae haereses, tyrannidis turcicae incrementum, incendia, pestes, disciplinae ecclesiasticae renovationes, morum reformationes, presbyterorum religiosorum congregationes variae ad ecclesiae utilitatem institutae; novi orbis, Indiae, et Antipodum, qui doctis et sanctis etiam viris ignoti fuerunt, cognitio, et admirandae progressiones. Quae omnia capita in familiaribus colloquiis loquendi materiam gravibus viris suggerunt. Noti sunt qui proximorum saeculorum, nostrorumque temporum historias scripserunt, Blondus, Sabellicus, Iovius, Guicciardinus, et quidam alii, cum quibus historiis

historias Romanorum et Graecorum, illas etiam, quae ab orbe condito exordiuntur, iucundum et utile est coniungere.

Lectiones poetarum et historicorum.

25. Dividat vir etiam occupatus horas, temporis iacturam non faciat, aestivis praesertim diebus; legendi historicorum ethnicorum libros illi tempus minime deerit. Et in poëtis admirabiles reperiuntur sententiae, et lumina verborum quamplurima, ut in Homero, Virgilio, et quibusdam tragicis, Sophocle, Euripide, item Horatio; quos poëtas diebus canicular Cardinales etiam graves legere solitos fuisse audivi, quos nec laudo nec vitupero; maluissem tamen, ut in poëtae illius praestantissimi libro, qui omnium sapientiam continet, et in quo pia nostra semper versatur ecclesia, in quo vel poëtica omnia ornamenta reperiuntur, fuissent versati, nimirum in psalmis Davidis, in carminibus, quae sanctus Gregorius Nazianzenus scripsit, et alii sancti viri, Prudentius, Iuvencus, Arator, et Sedulius. Sunt quidam libri, qui in manibus hominum, praesertim eorum qui ad res gerendas idonei esse cupiunt, plurimum versantur, Cornelius Tacitus, Svetonius, et huiusmodi. Sed adulterinae prudentiae regulae vitandae sunt maxime, ut civilis et christianae vitae pestes. Nec Cornelii Taciti scribendi ratio ita admiranda est, ut is caeteris historicis anteponatur; observanda in eo scriptore, ut in aliis, pleraque callida, et malitiosa nonnullorum, qui ab eo commemorantur, ratio, flagitiaque ac scelera eorum, quos monstra potius quam homines apellare debemus, execranda sunt. Ex omnibus quidem historiis maximae utilitates possunt capi.

Linguarum, musicae, antiquitatis, hebraicae praecipue, studium.

26. Linguae hebraeae, et graecae studium laudabilem occupationem quispiam dixerit: ad quam rem confirmandam Catonis exemplum adhiberi potest, qui octogenarius linguam graecam didicit. Superiore anno antequam Cardinalis esses factus, hebraeis litteris operam dabas aestivo praesertim tempore; quod studium quis ausus esset reprehendere? quis etiam reprehendet, si illam eandem linguam, quae sancta merito nuncupatur, retinere et augere studueris? quamquam id admodum esse difficile ipse sum expertus; cum bis Davidis psalmos, semel etiam ecclesiastem Salomonis audiverim interpretantem professorem; et aliquot post annos intermisso studio fere omnia exciderint. Cardinalem Sirletum linguam hebraeam optime calluisse scimus. Romae reperiuntur aliqui, qui in ea egregie sunt versati. Et sunt qui frequens artis musicae studium laudabilem valde occupationem existimant; relaxationem potius animi illam nominaverimus: qua in re modus maxime adhibendus est, et eatenus vocibus et cantu delectari convenit ecclesiastico viro, episcopo in primis et Cardinali, quatenus recreandus videatur animus, ut alacrior sit, et ea omnia praestet, quae praestanda sunt sanctae ecclesiae Dei, et omnibus. Aliqui honestam et iucundam occupationem putant studium antiquitatum romanarum, et observationem ve-

terum nummismatum; quod studium interdum a curiositate non longe abest. Antiquitatis memoria colenda certe est, sed colenda magis memoria vetustatis, quae in libris servatur. Quamobrem parandam suppellectilem magnam librorum, bibliothecam nobilem instruendam tibi Cardinalis Borromaee putaverim; nulli sumptui parcere hac in re, ad nobilitatem animi tui pertinere quispiam existimaverit (1). Libri boni elegantibus typis excusi non sunt fures temporis, ut aulici plerique, qui nos interdum adeunt, nihil utile, nihil praeclarum afferentes; sed boni et fructuosi amici sunt, cum nobiscum versentur, quandiu volumus, et nostra semper magna cum utilitate et voluptate. Libri animati sunt homines eruditi, in quibus investigandis et vocandis occupari debemus Cardinales omnes, diaconi in primis, qui cum iuniores sint, longiore tempore christianae reipublicae, sanctae ecclesiae Dei sunt profuturi: incredibiliter enim prosunt varii eruditorum hominum sermones ad iudicium in rebus gerendis comparandum.

27. Ex sermonibus Cardinalium aequalium, hoc est eiusdem aetatis, mira percipitur utilitas, atque etiam voluptas. Estque tecum praeclare actum Borromaee, quod apud Cardinalem sedeas, iuvenem ingenio praestantissimo, multiplici et recondita etiam doctrina instructum, moribus optimis praeditum, et admirabili dicendi facundia. Sunt alii in ordine, quo tu nunc es, diaconorum, excellentes ingenio et praestanti doctrina praediti; quod sacro collegio, summo in primis Pontifici iucundum, tibi etiam et honorificum et utile in omni vita futurum est. Laudabilem etiam occupationem diximus diaconis Cardinalibus dignam, si ex seniorum et doctiorum Cardinalium sermonibus doctiores vel meliores studeant evadere; interrogationibus plurimis aliquid cognitu dignum ab illis elicere studeant, ut Iulium Cardinalem urbinatem ex sermonibus Reginaldi Poli Cardinalis fecisse audivimus; quem Iulium Polus deinde in dialogo quodam suo de officio Pontificis appellavit. Cardinalem etiam de Nobilibus valde delectatum fuisse scimus sermonibus Pauli IV, dum is Cardinalis et archiepiscopus teatinus esset. Et hic mos fuit etiam veterum Romanorum, cum praestantium adolescentium laus illa fuerit a gravissimorum hominum latere numquam discedere, et sibi insignem aliquem senatorem imitandum proponere.

De sermonibus cum Cardinalibus.

28. Ab initio huius libelli proposui me scripturum breviter, et paterne: non scripsi admodum breviter, ut animadverto, aut vitio aetatis, (iam enim factus senex atticismum illum, aut laconismum, quo delectatus sum, vix potui retinere) aut potius amor in te meus facundiorem, ne dicam verbosiorem,

Operis conclusio.

(1) Cumulatissime id praestitit F. Borromaeus fundata Mediolani ambrosiana bibliotheca, de quo munifico Cardinalis famosi consilio minima sunt quae ego scripsi in prolegomenis ad Homeri fragmenta et picturas. Opto ut aliquis praestans ingenio eruditione ac sedulitate vir ad scribendam Card. Federici litterariam vitam, et ad bibliothecam eius accuratius patefaciendam incumbat. Neutrum enim argumentum a bono hactenus historico tractatum fuit.

in hac scriptione me feci: non est tamen ita longa, ut horis quatuor perlegi nequeat. Patres omnia bona cupiunt filiis suis, repetunt etiam illis saepe ea, quae illos observare non ignorant, ut in eorum animis magis imprimant, quae illis fore utilia arbitrantur: optant etiam scire filios suos ea, quae ipsi sciunt et multo plura; student, ut uno verbo dicam, ut sint et habeantur optimi; à Deo magnis precibus petunt, ut nihil ipsis desit, quo sint beatissimi. Quia hic fuit scopus meae scriptionis, quia omnia, quae dixi, tibi opto ex animo Federice Cardinalis, ideo paterne scriptum hunc libellum dixi, cum nemo tibi servire magis cupiat, quem heredem maximorum in me meritorum Caroli Cardinalis, et illius observantiae, qua virum illum Dei sum prosecutus, semper agnoscam. Leges tu libellum hunc interdum, nemini trades legendum; non est enim scriptus ea, qua oportet, diligentia, nec admodum accurato ordine; octo enim diebus ab occupato homine iam sene non scriptus, sed dictatus est. Nec ad alium Cardinalem, quam ad diaconum viginti trium annorum (1), heredem cum caeterarum virtutum, tum modestiae et humilitatis Cardinalis Borromaei senioris ausus essem, nec cogitassem quidem haec scribere. Erit certe hic meus labor tibi iucundus: ipsi Carolo Cardinali postremo illo sermone, quem mecum habuit Mediolani, tacite etiam de caelo postulanti satisfeci. Non arbitror a quopiam grati animi mei significationem posse reprehendi; accepturus etiam ipse sum in bonam partem, si quis nota omnibus, nec tibi, qui his imbutus es, necessaria, ut ingenio meo et amori erga Cardinalem mortuum, atque erga ipsius nominis heredem indulgerem, me scripsisse dicat.

(1) Ergo anno 1587. scriptum fuit hoc opusculum; etenim natus est Federicus anno 1564, creatus autem Cardinalis anno 1587, cui adolescentulo purpuram induenti et gratulationis et admonitionis causa misit hunc libellum Augustinus Valerius Cardinalis senior.

IMPRIMATUR.

Fr. Ioseph M^a. Velzi S. P. A. Magister.

Ioseph Della-Porta P. C. Vicesgerens.

EMENDATIONES.

Praef. p. XIII. v. 18. *vituperavisse* corr. *vituperavisse*.
p. XIX. v. 21. *Chriso* corr. *Christo*.
Part. I. p. 8. v. 23. corr. ἀπάντων.
p. 12. v. penult. ἑτέραν.
p. 17. v. 16. οἰκείους.
p. 23. v. 32. et p. 141. 18. τὸν corr. τήν.
p. 56. v. 2. σωτῆρα.
p. 61. v. 1. ἰδού.
v. 10. πεποίηκε.
p. 71. v. 17. et p. 219. v. 22. ἱερωσύνης.
p. 103. v. 1. Βόθρου.
p. 108. v. 20. διαπορθμεύσω.
p. 115. v. 27. ἑαυτόν.
p. 129. v. 8. εἰσενεγκών.
p. 150. v. 30. θεός. Scribe continue ὅπου etc.
p. 159. v. 15. ὕδατος.
p. 185. 17. ἱκανόν.
p. 196. v. 9. ἐμιμήσατο.
p. 204. v. 3. ἡμέρα.
p. 216. v. 15. προσηγγ.
p. 220. v. ult. ἐκελεύσθη.
p. 224. v. 20. ἀναλαμβ.
p. 243. v. 24. πεπονά.
p. 250. v. 28. καί.
p. 251. v. 11. ἀντιστηγ.
p. 256. v. 8. χρόνον.
p. 301. v. 14. εὔθετα
p. 344. v. 27. *καὶ* omittatur.
p. 374. v. 17. ἔθνων.
p. 399. v. 5. a fin. *utpote*.
p. 403. v. penult. *sed ad*.
p. 421. v. 4. *nio* pertinet ad v. 5. fin.
p. 424. v. 15. *persona*. Malim *Christus*.
Part. II. p. 1. not. col. 2. v. 2. *turpes*.
p. 56. v. penult. ad voc. *calculo* pertinet scholion 7.
p. 133. v. 26. *de* scribe — *De*.
p. 211. v. 10. et 11. *primi*.
p. 222. v. 20. *taedere*.
p. 276. col. 1. v. 8. a fin. *exiturum*.
p. 292. v. 28. *nimirum*.
p. 304. v. 1. *fecit*.

Ad Zachariam cap. I. 8. p. 223. addenda adnotatio. " Quia nos Hieronymus docet sanctum Hippolytum scripsisse commentarios in Zachariam, valde suspicor Theodori invectionem adversus illos interpretes, qui)(in)(angelo Christum agnoscebant, contra Hippolytum quoque deferri, qui illum etiam angelum babyloniceae fornacis Christum esse putavit. (Videsis catenam in Danielem a nobis editam cap. IV. 92.) Profecto si qui Hippolyti morem interpretandi mecum callent, in hanc facile sententiam concedent ,,

Ad Attonis sermonem tertium. " Hunc sanum sermonem commendat ipse Atto in epistola prima ,,